Al Sig.r Cav.e Avellino

L. ant.co

TENTAMEN HERMENEUTICUM IN ETRUSCAS INSCRIPTIONES:

EIUSQUE FUNDAMENTA PROPOSITA

A CATALDO JANNELLIO

REGIO BIBLIOTHECARIO ET ACADEMICO HERCULANENSI.

NEAPOLI,

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

1840.

Numquam autem invenietur (veritas) si contenti fuerimus inventis. Praeterea qui ALIUM *sequitur nihil invenit , imo nec quaerit. Quid ergo ? Non ibo per priorum vestigia ? Ego vero utar via veteri ; sed si propiorem planioremque , invenero hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt , non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas , nondum est occupata , multum ex illa etiam futuris relinquimus.*

SENECA *ad Lucil. Epist. 33.*

In Tentamen Hermeneuticum Etruscum
PROLEGOMENA.

A R T. I.

Quae et quot necessario requirantur, ut aequum et rationale Tentamen Hermeneuticum Etruscum obtineri possit.

Ignotam Linguam, cuius nempe Vocabula surda et inania nec per certas traditiones ac testimonia, nec per comparationes Linguarum notarum explicata ad nos pervenerint, nisi per ingentes labores, nisi per adiumenta plurimarum disciplinarum, nisi per theses atque hypotheses quam plurimas, per theoremata ac problemata multarum Scientiarum aequo et rationali modo explorare, explicare, vertere impossibile est. Nam nil minus sane quaeritur, quam detectio, et si dicere fas est *inventio Linguae*, quae *Mater* vel *Soror Etruscae* habenda sit et dicenda, quia in eâ *Etrusca* lingua adhuc *ignota* omnes causas suas, omnia etyma, omnes significationes certissimas nancisci et invenire debeat; quaeritur *Lexicum* ex unâ parte ignotum, secretum, absconditum, invisibile; quia illud noscere, detegere, deprehendere, invenire non potuerunt viri hactenus plurimi praestantissimi, trium saeculorum spatio; et ex alia parte ita clarum, ita notum, ita certum, ut ex eius luce, claritate, evidentia *Lingua Etrusca* ignota et deperdita

tota illustretur et restituatur. Quod, si possibile est, nisi paratis antea pluribus Scientiis et Disciplinis, nisi multis Disquisitionibus, ut dicebamus, praemissis, numquam obtinebimus.

I. *Glossosophiae humanae fundamenta.*

Et omnium primum quî sperare possumus hoc difficillimum propositum feliciter efficere, nisi comparata sufficienti *Scientia Linguarum humanarum*, nisi antea noverimus naturam, elementa, partes, fontes, varietates, origines, mutationes, formationes, mixtiones, transformationes, cognationes, peregrinationes, et alia plurima *Linguarum* humanarum, quae utcumque Libro I. *Fundam.* nostrorum *Glossosophic.* indicamus, et hîc pag. 252. ad 267.?

II. *Glossogonia generalis.*

Tum necessarium est *Interpreti*, ut de ipsa *Linguarum* humanarum *generatione* et formatione quaerat, et Systema suum *Glossogonicum* condat, ponat, constituat, proferat. Nam quis nisi hoc prolato et constituto poterit nisi pueriliter inclamare, en *Linguam matrem* vel *Sororem Etruscae* claram et demonstratam? Neque hoc negotium leve et facilis disquisitionis, imo longe abstrusum et difficile. Nam nullum hactenus propositum prolatum vel receptum *Systema* est *Glossogonicum*, per quod *Etruscorum Lingua* possit rationali modo explicari et restitui. Nam tria hactenus vel proposita vel recepta sunt *Systemata Glossogonica* classica. Scilicet: Primum: Humanas Linguas sive omnes, sive praecipuas immutatas miraculo, vel inditas et infusas fuisse in clade Babelica. 2. Secundum: Humanas Linguas sive omnes sive plerasque esse populares, plebeias, barbaricas, foedas corruptiones et depravationes Linguae Babelicae. 3. Tertium: humanas Linguas sive omnes sive plerasque a mutis et brutis Hominibus per proprias et individuas vires fuisse conditas. Atqui si humanae Linguae vetustiores maxime et clariores inditae

et infusae sunt miraculo in Babelica clade, ut plerique olim revera tenuerunt, et tenent adhuc plures, quis inter eas *Etruscam* vetustissimam non numeraverit? Et adeo faciet idioethnicam, prorsus originalem, atque per aliam quamcumque inexplicabilem? Si humanae *Linguae* progenitae sunt ex *Babelica Lingua* per foedam plebeiam et barbaricam corruptionem ex violenta et vehementi dispersione ortam: ut ut ponatur una Babelica Dispersionis Lingua, datâ foedâ variâ et diversâ depravatione et corruptione, impossibile per has variissimas corruptiones *Linguam Etruscam* restituere: et Interpres qui id teneret, et praedicaret, longe magis delirus et illusus habendus esset, ac sutor vel faber Italus, qui putaret ex una plebeia sua Italica lingua, absque alio adiumento, posse se belle et clare Poëmata Horatii aut Virgilii capere et vertere. Quod si humanae linguae a brutis et mutis hominibus per originales et idiomaticos ululatus in propriis et idioethnicis sylvis sunt conditae, quae opinio est omnium eorum qui dici volunt Philosophi, et eorum qui discipuli sunt I. B. Vici Neapolitani: si lingua Etrusca orta et facta est per ululatus Etruscorum sylvestrium ad ripas Clanis, Umbronis, Arni, nae fatuus ille dicendus est, qui originales ululatus Etruscorum vellet definire vertere et explicare per ululatus aeque originales sylvestrium hominum ad Thessalica Tempe, ad montes Galaad et Hermon, ad Taurum, et ita porro. Ita ut quemadmodum dicebamus, qui de Interpretatione *Linguae Etruscae* non vult prorsus desperare, omnino debeat sibi condere novum, et illud idoneum atque opportunum systema *Glossogonicum*, per quod scilicet possit detegi agnosci et demonstrari *Lingua* nota et certa vel *mater*, vel *soror Etruscae* ignotae.

III. *Glossogonia specialis, sive elementa Historiae Pragmaticae Linguarum Veterum illustriorum.*

Nam si *Lingua* cligenda *Mater* aut *Soror Etruscae*, ex Linguis nobis notis et certis esse debet necessario; Arabica, puta, aut Syra, Graeca, Latina, Indica, Celtica. etc. est utique antea aliqua harum *Linguarum* historia praestituenda, ne in ea definienda gravissime et pueriliter erremus. Nam si ex. gr. Lingua Graeca, quam ex Scriptoribus Classicis novimus, non perfecta et absoluta est, nisi Solonis et Pisistrati aetate, inepte habebo ut *matrem* vel maiorem *sororem Etruscae*, quae est plane vetustior. Si Lingua *Graeca* peculiari artificio, peculiari methodo, peculiari transformatione per Cadmeios, Orphicos, Homeridas condita et formata est, nonne frustra eam *Matrem* et *Sororem Etruscae* faciam? At contra si Linguae *Pelasgicae* ipsae et eaedem fuerunt ac Linguae *Hellenicae*, nec nisi Dialecto leviter discreparunt: Si lingua Platonis, Euripidis, Herodoti ipsa fuit ac Lingua Lini, Orphei, Musaei, Thamyrae, et ita porro, tum possum utcumque facere. Quae tamen non affirmare et ponere ex receptis tantum praeiudiciis sat est, sed sunt demonstranda.

IV. *Origines Gentis, ac Civilitatis Etruscorum.* Nam sunt, ut notum est, Indigenistae, Graecogenistae, Syrogenistae, Celtogenistae, etc. et est aliquid certi et demonstrati proponendum. Tum quoad eorum Civilitatem sunt Autosophistae, Archaeosophistae, Graecosophistae, Phoenicosophistae, Aegyptosophistae: scilicet sunt qui civilitatem et scientias Etruscorum vel indigenas prorsus et natas circa Arnum, Clanim, et Umbronem tenent: alii qui vetustissimos Noachidas statim et scisse et occupasse Italiam putant, et hinc Graeciam aliasque Terras Populis, Scientiis, et artibus Etruscis implent: Alii universa Etruria barbaricis, stupidis, et feris tribubus impleta, advocant ad eorum humanitatem et Civilitatem efformandam quosdam veluti Missionarios, Oratores, Praeceptores ex Graecia, ex Palaestina, ex

Syria, ex Aegypto, etc. ut hoc pacto videant loquentes, scribentes, et sapientes Etruscos: ut ex operibus Dempsteri, Maffeii, Gorii, Passerii, Guarnaccii, Lanzii, Micalii, Inghiramii, Vermigliolii, Romagnosii etc. colligere pronum est. Atqui Etruscus Interpres et de his originibus aliquid certi et explorati proponere tenetur.

V. *Canones Hermeneutici Homiophoniae rationalis*.

Sed haec adhuc remotiora. Methodus autem proxima et ratio immediata, per quam Vocabula *Linguae ignotae*, fiant *nota*, est aequa et rationalis *Homiophonia* Linguae *notae* et *ignotae*. Cuius *homiophoniae* leges sunt ideo diligenter et accurate seligendae colligendae et statuendae. Nam qui semper flagitaret in *nota Lingua* ipsam vocem *Etruscam*, ipsum vocabulum prorsus *homophonum*, postularet rem, quae nec est, nec esse potest, et numquam fieret Etruscae Linguae interpres: Ut qui contra omnes plebeias literarum corruptiones accurate colligens, ut fecerunt Passeratius, Vossius, aliique, inde Canones Homiophonicos statueret, aquam cribro hauriret; Nam pro una *homiophonia* centurias haberet, et vocabulum Etruscum in diversis Linguis centum, et diversis significationibus centum posset aeque proferre: quod idem plane est ac nihil et frustra proferre. Quin ubi datur ista foeda et plebeia literarum et vocabulorum depravatio, et adeo infinita varietas homiophoniarum, est plane impossibilis persuasio rationalis, et qui his fatuis *homiophoniis* capiuntur et tenentur, inter plane pueros et ineptos sunt accensendi. At si, inquies, plenae *homophoniae* plerumque impossibiles, si plebeiae et populares *homiophoniae* fallaces et fatuae, qui, obsecro, fons aequarum et rationalium *homiophoniarum* est quaerendus atque habendus? Pronuntiatio, inquam, doctorum Virorum, Praeceptorum, Sapientum, Pronuntiatio, quae ex Rerum

humanarum certo et statuto ordine fluit et pergit, quae obedit quidem et flectitur vi Climatum et Temporum, sed temperate, sed moderate, sed certis finibus coercita. Et profecto si tu colligis Vocabula Semitica, quae sive Rabbini Iudaei per plures Regiones dispersi, sive literati viri inter Arabes, Syros, Persas, Turkas etc. sive doctissimi viri Europaei literis Latinis expresserunt, eaque mutuo, et cum literis originalibus confers, nescio quam gravem heterophoniam primo intuitu videris tibi deprehendere: quae tamen attente considerata si minus plena *homophonia* est, est tamen moderata, probabilis, et certis quibusdam limitibus coercita *Homiophonia*. Ita vocabula Italica ex doctorum Virorum ore desumta pleraque Latinis originalibus sunt *homiophona*, desumta eadem ex ore Vulgi et Plebis saepius *heterophona*. Nisi igitur Interpres aequissimos et maxime rationales *Canones Hermeneutices homiophonicae* sibi constituat, effundet frustra totum laborem, quia extra hos *Canones* persuasio rationalis haberi non potest.

VI. *Data Lingua Etruscae.*

Absque *Datis* nulla *Quaesita* possunt inveniri; nulla *ignota* absque *notis* possunt definiri: si nulla sunt *Data Linguae Etruscae*, eius interpretatio habenda est prorsus desperata et impossibilis; at si sunt, ut ut pauca, colligenda sunt sedulo, et attentissime examinanda, et longa prorsus cura excutienda.

VII. *Characteres et criteria theoretica Linguae dandae.*

Omnia Mundi Entia et Res per suos characteres et *criteria* discernuntur, seliguntur, deprehenduntur. Absque *criteriis* et characteribus discernere aliquid et constituere impossibile est. Impossibile quin *Linguae Dandae* nempe *Matri* vel *Sorori Linguae Etruscae* plures et insignes characteres non adsint. Impossibile ut Lingua huiusmodi certo definiatur nisi

characteribus et *criteriis* eius cognitis et definitis. Interpreti igitur Etruscistae sunt necessario definienda *criteria* et *characteres Linguae dandae.*

VIII. *Electio tandem et demonstratio accurata et practica Linguae dandae.*

Quibus peractis per analysin et comparationem *Criteriorum* inventorum: Per origines demonstratas *Gentis Etruscae*: per gravem et accuratam analysin DATORUM, indicabit tandem et proferet Interpres *Linguam*, per quam *Lingua Etrusca* sit explicanda atque intelligenda.

ART. II.

Quae hactenus praestita sunt ab Interpretibus Etruscistis.

I. *Indicantur praecipui literati viri qui ad illustrandas Etruscas Inscriptiones accesserunt.*

Ex quo Etruscae Archaeologiae Studia, edito potissimum opere Dempsteriano de *Etruria Regali*, instaurari in Italia sunt coepta, plures insignes et literati Viri Etruscas Inscriptiones legere, colligere, edere, explicare, atque illustrare adlaborarunt: inter quos fuerunt Philippus Bonarota, Franc. Ant. Gorius, Scipio Maffeius, Ioh. Bapt. Passerius, Iohannes Lamius, Alex. Symmachus Mazochius, Ludovicus Coltellinius, Aloysius Lanzius, Ioh. Bapt. Vermigliolius, Ioh. Bapt. Zannonius, Franciscus Oriolius, Vincentius Campanarius, Desiderius Magius, Dominicus Valerianus, Michael Angelus Missirinus etc. etc. inter quos peculiari memoria et laude sunt digni tum constantia assiduitate et patientia laboris, tum cura et diligentia Ioh. Bapt. Passerius, Aloysius Lanzius, et Ioh. Bapt. Vermigliolius; et inter hos Lanzius edito insigni opere, cui Titulum fecit: *Saggio di Lingua Etrusca etc.* anno 1789. quo tum magnam sibi famam adeptus est; tum Scholam quamdam et Disciplinam *Etruscae*

Hermeneutices, quam plurimi susceperunt et probarunt, constituisse visus fuit.

II. *Quae Fundamenta Hermeneutica horum Interpretum?*

1. Linguam *Graecam* et *Latinam* esse dialectos eiusdem Linguae *Pelasgicae*, quae per universam *Graeciam*, atque *Italiam* diutissime invaluit, uno fundo, uno lexico fundamentali praedita.

2. Omnes Linguas veteris Italiae, *Umbram*, *Eugubinam*, *Sabinam*, *Oscam*, *Latinam Priscam*, *Etruscam* uno eodemque fundo et Lexico constitisse; adeoque omnes posse et deberi explicari per Lexica *Graeca* atque *Latina*.

3. Linguas Italicas diversas a *Graeca* et *Latina* haud servasse vocabula *pura*, recta, accurata, homophona, sed plerumque retinuisse plebeias et absurdas corruptiones, mixtiones, aphaereses: Ita ut ubi Geaecus ex. gr. diceret *Venerem* την ουρανιαν, Etruscus faceret et diceret TURAN, articulo τα commixto cum Nomine inepte decurtato: Ex Ερμης Graecorum recto, puro, absurdus Etruscus faceret TURMS: ex ἱερος Graecorum faceret *Phleres*, et ita porro per alia innumera.

III. *Quid profecimus per haec Fundamenta Hermeneutica in explicatione et versione Inscriptionum Sacrorum Anathematum, et Cryptarum funebrium?*

Nil prorsus. Nam ne una quidem ex his *Inscriptionibus* Grammatice, Logice, et Archaeologice explicata et demonstrata fuit. Haud Pantheum Etruscum auctum, haud Ceremoniae liturgicae detectae, haud mores civiles Etruscorum deprehensi vel firmati. Quin pleraeque ex his *Inscriptionibus* a doctioribus et modestioribus Interpretibus Passerio, puta, Lanzio, et Vermigliolio haud plene et per singula vocabula explicantur, sed saltuatim paucissimae voces hac illac arreptae tentantur, ignota semper et incomperta totius Inscriptionis potestate et sententia. Tum

illud te ingenti stupore et dolore percellit, quod hi aliique Interpretes exquisito labore desudent non ut ex Etruscis huiusmodi Inscriptionibus *Deorum* et Daemonum Etruscorum Nomina Cognomina potestates, non ut munera, officia, gesta, opera clarorum Virorum inde eruant et educant, sed ut in fatuum cumulum Nominum et Cognominum Personalium falsorum et fictorum omnia convertant et transforment.

IV. *Quid profecimus in interpretatione Titulorum funebrium Etruscorum?*

At nonne, inquies, 600, imo plusquam 800 Tituli funebres Etruscorum per horum Interpretum labores et curas leguntur facile, et commode intelliguntur? Absit, ut recepta beneficia nolimus fateri, absit, ut non putemus maximas esse agendas gratias istis illustribus Interpretibus, et singillatim Lanzio et Vermigliolio, qui magnum hunc Thesaurum *Inscriptionum Etruscarum* pararunt, condiderunt, facilemque nobis reddiderunt. At itane id factum per Fundamenta Hermeneutica horum Interpretum? Itane per Lexica Graeca et Latina explicamus et vertimus Thesaurum hunc Etruscarum Inscriptionum? Atqui nil certe minus *Thesaurum* hunc *Etruscum*, quam *Lexicon* Ciceronis aut Virgilii, Homeri aut Herodoti poterit umquam illustrare atque explicare. Utinam porro sexcenti isti, vel 800 Tituli per istos Interpretes ita emendati, ita instaurati, et explicati fuissent, ut nullam aliam curam, nullum alium laborem possint et debeant suscipere. Atqui contra fatendum est plura adhuc in eis esse emendanda, corrigenda, explicanda, illustranda.

1. Et omnium primum plures Tituli funebres a Lanzio et Vermigliolio, tamquam foeminei versi, miraculo Caenei sunt in viriles transformandi, ut ex ipso hoc brevi nostro *Tentamine* poterit quivis arguere. Et id factum, quod Interpretes numquam firmos et certos

Canones sibi antea proposuerint et demonstraverint, per quos certo nossent Titulum Foemineum a Virili discernere.

2. Secundo, quia pleraque Nomina et Cognomina Etrusca in versionibus Lanzii, et Vermigliolii ita immutata et depravata sunt, ut minime prorsus agnoscantur. Lanzio Etrusca *Preathrei* est *Pletoria*: Etruscus *Pepna* est *Perpenna*: *Phelmui* est *Velinna* Saggio II. 344. 348. 349. *Cneuna Cracnal* est *Gnaea Graccha*: pag. 348. *Rapa binei Bential* est: *Sexta Paccia Vinia nata*: et ita porro et pertinaciter. Vermigliolius similia, vel graviora. Et qua, obsecro, auctoritate, qua analogia, cui bono, quid lucramur? Profecto Etrusca funditus amittimus, et Latina non habemus. At, inquiunt isti, ex Inscriptionibus bilinguibus certum esse saepe voces Etruscas graviter discrepare a respondentibus Latinis, ut *Caixna* Etruscus sit *Caesius* Romanus. Atqui primum regero, vos istas Inscriptiones bilingues nec probatis nec recipitis. Tum maxime non videtis, quod licet Etrusco et Romano profunde versatis in Linguis suis, ut nos pro data occasione hoc in *Tentam.* pag. 139. animadvertimus, tibi non licere, qui funditus et penitus Linguam Etruscam et Etyma Nominum Personalium Latinorum ignoras. Ne velis igitur misero Etrusco etiam quod nudum manet Nomen distorquere, et eo modo penitus perdere. *Pulphnae* Etrusco, *Phalmuo* Etrusco sunt Etyma sua intimae significationis, quae male quis quaesierit in *Fulvinia*, et *Velinna*, quae Interpretes isti arbitrio suo proferunt, et constituunt.

3. Tertio loco, etsi nemo exspectet ex his 600 vel 800 Titulis funebribus prolixam seriem amplum numerum Vocabulorum socialium, quisque tamen certo sentiet octo tantum, vel decem tantum posse inde colligi et adunari falsum esse, et intrinsece improbabile. Nam sunt necessario in his Titulis invenienda Vocabula cognationis et adfinitatis, loci et sepultu-

rae; inclamationes funebres faustae, et alia similia, quae vocabula omnia esse octo vel decem nemo putaverit et crediderit facile. Vid. hic *Tentam.* nostrum p. 113. ad 131. pag. 171. ad 200.

4. Quarto loco, quia Voces istas sociales in Titulis funebribus, occurrentes ut *Abil, Abils, Clan, Lupu, Puia, Ril* etc. etc. omnes falso et absurde verterunt Interpretes: ita ut omnes huiusmodi Tituli sint emendandi, et iterum vertendi. Vid. iterum loc. cit. p. 113. 151.

V. *Querelae doctorum Virorum.*

Hinc factum ut apertis querelis in huiusmodi *Hermeneuticum Systema* plures docti viri iam surrexerint: Niebuhrius in *Histor. Roman.* tom. I. Muellerus in opere *de Etruscis*, quod tamen non vidi, Dorowius in *Voyage Archaeolog.* Sebastianus Ciampius peculiari disputatione in *Antol. Florentin.* 1825. *octobr.* pag. 53. 54. Franciscus Oriolius loc. cit. pag. 62. 63. Dominicus Valerianus in *Proleg.* ad *Museum Clusin.* Tom. II. Iosephus Micalius in *Storia degli Ant. Popol. Ital.* Tom. II. Raoul-Rochette in *Iourn. des Savans* ann. 1834. pag. 288. 289. Richardus Lepsius in *Annal. Arch. Rom.* 1836. p. 199. 200. aliique plures, etc.

VI. *Cur Systema Hermeneuticum Etruscarum Inscriptionum iam indicatum probari, et retineri non possit.*

1. Primo, quia per istud Systema ne ex hypothesi quidem et coniectura tractari plene possunt *Inscriptiones Etruscae*, ut exemplo Virorum doctissimorum Passerii, Lanzii, Vermigliolii constat, qui ne per triginta quidem annorum studia indefessa ausi sunt aliquot *Inscriptiones Etruscas* plene et totas explicare: Quod argumentum certissimum absurditatis suae intrinsecae et insuperabilis.

2. Secundo, quia *heterophonia* inter Linguam *Etruscam* et Linguam *Graecam*, et *Latinam* est intima profunda intractabilis.

3. Tertio quia Glossomorphe harum Linguarum, Etruscae nempe, Graecae, et Latinae prorsus diversa.

4. Quarto quia nulla DATA Etrusca ab Interpretibus collecta examinata atque excussa.

5. Quinto, quia per hoc Systema atrox et intollerabilis calumnia perpetuo intentatur veteri Etruscorum Genti, eique praestanti, illustri, nobilissimae, utque ferebant tempora literatissimae; quum omnia vocabula ab ea adhibita non possint inveniri nisi in foeda, plebeia, et absurda corruptione vocum Latinarum et Graecarum.

6. Sexto quia prorsus falsum *Latinam* Linguam esse Dialectum *Linguae Graecae* Aeolice corruptam: Falsum utramque esse Dialectos *Pelasgicae*: Falsum, *Pelasgos* atque *Hellenes* fuisse *homoglossos*; falsum Linguam *Eugubinam*, aliasque Italicas esse intime cognatas Etruscae, et unam per aliam explicari posse et converti.

ART. III.

Quae a nobis sunt praestita, ut novum Tentamen Hermeneuticum Inscriptionum Etruscarum possemus rationali et aequo modo proponere et proferre.

I. *Glossosophiae humanae fundamenta.*

Et primum sane longam et prolixam operam dedimus, ut praecipua *Theoremata* et *Axiomata* de natura, elementis, partibus, fontibus, varietatibus Linguarum humanarum etc. investigaremus, inveniremus, colligeremus, adstrueremus. Indicem utut ieiunum et aridum dedimus hic data opera in *Tertia* parte *Tentam. Herm.* pag. 252. 253. etc.

II. *Glossogoniae generalis fundamenta.*

Quin longiorem adhuc et prolixiorem operam dedimus, ut *Systema Glossogonicum* idoneum et opportunum investigaremus et inveniremus, illud nempe

quod ex una parte accurate et solide possit demonstrari, et ex alia parte certa et tuta *fundamenta Hermeneutica* Linguarum ignotarum suppeditaret. Nam ut superius monuimus per tria hactenus proposita et recepta Systemata Glossogonica *Tentamina Hermeneutica* cuiuscumque ignotae Linguae, *Etruscae* puta, *Oscae*, *Eugubinae*, sunt impossibilia, Summa autem *Systematis* nostri *Glossogonici* est huiusmodi:

1. Extat adhuc in humano Genere et latissime diffusa *Lingua Grammatodynamica*, ea nempe cuius Vocabula vi et potestate singularum literarum, quibus constant, certam ideam, certum obiectum, certum factum satis clare, satis aperte significant et indicant: Quam potestatem *Grammatodynamicam*, qui putaret, et teneret nullam, vel plane tenuissimam, et nullo modo sensibilem, et qui flagitaret prorsus evidentem, et vividissime afficientem sensus, et quam statim et omnes sentirent et perciperent aeque erraret; omnino enim sat est in hac nostra oeconomia, quod sit *Literis* humani *Oris* potestas certa, satis sensibilis, et quae haud difficillime deprehendatur, sentiatur, et teneatur animo.

2. *Lingua* huiusmodi una *Semitica* est, et singillatim *Hebraica* Prophetarum.

3. *Lingua* haec non potuit primum condi, nisi a Protoparente Generis humani speciali Dei Opt. max. providentia adiuti, et ad nos nisi per Humani Generis Reparatorem Diluvianum pervenire non potuit.

4. Haec autem *Lingua* potestate et substantia Vocum mira et profunda, *Forma* tamen caruit, indeclinata fuit, aorista fuit, *amorpha*, vel si vis *Oligomorpha* fuit.

5. Hanc Linguam non unae Tribus filiorum Heber, sed aliae pleraeque servarunt, et omnium Tribuum Sacerdotes, Theurgi, Liturgi, Haruspices, Augures, Divini, Ascetae, Sapientes, et Pii homines, Magi,

Iatromagi, Ascetae omnes, et Nazaraei; quia nulla esse posset prae illa Rebus Theologicis aptior et opportunior.

6. Hac *Lingua* necessario usi sunt omnes *Hierographi*, et *Symbolographi* Veterum Gentium, *Agalmatopoei*, *Dramatopoei*, *Emblematopoei*, Auctores et conditores omnis Scripturae *Hieraticae* et *Hieroglyphicae*; quod per alia etiam et aeque intrinseca argumenta demonstrare conati sumus quatuor voluminibus decimo abhinc anno editis, et quos legere et intelligere hactenus noluerunt Alphabetistae.

7. Hanc *Linguam* omnes Tribus Patriarchales, et Isonomicae, ut *Oscae*, omnes Ordines Aristocratici, ut *Etrusci* totam fere servarunt, excepta *Idiomatica* varietate, quae Linguae naturam minime corrumpebat. Et hinc dato Lexico *Linguae* huius *Grammatodynamicae* originalis, data est sive *mater* sive *soror* Lingua *Oscae*, et *Etruscae*.

8. Hanc vero *Linguam* omnes Gentes *Mythophilae*, *Poëtophilae*, Nomographae, ut Graeci, Latini, Indi, Scandinavi, Slavi etc. etc. per *Glossotropismum* systematicum, per Methodos Crypticas et sollertes *Lexeotropicas* eam transformarunt in alias, et ita immutarunt, ut sint hae mutuo incomparabiles, et inexplicabiles.

9. Qui *Glossotropismus Systematicus* et Technicus debetur potissimum Sacerdotibus et Ascetis Samanaeis primum in originali sive orientali et *Cadmonaea* Phoenicia ortis per Taautum ter-maximum, et hinc per Orpheum, Zoroastrum, Buddam, Zamolxim, etc. in multas Terrae Regiones propagatis. Et si Graeci nil aliud servassent nisi memoriam *Alphabeti Cadmaei* XVI. literarum, hac una memoria mysterium universum Glossotropismi systematici et Neoglossae servassent. Nam contractio Alphabeti XXII. circiter literarum in XVI. non potuit fieri nisi per coniurationem Cad-

monacorum, Linicorum, et Orphicorum, ut novam Linguam conderent.

Haec autem et alia huiusmodi plura excussa et demonstrata a nobis sunt in citato *Opere* nostro libr. II. III. IV. et V. hîc vero in *Adpendice* brevissime per *lemmata* tantum *Capitum* indicata. pag. 268. ad 303.

III. *Glossogoniae specialis elementa.*

Hinc Sexto libro huius *operis nostri*, veteres Linguas illustriores *Graecam*, *Latinam*, *Zendicam*, *Samscriticam*, *Sinicam*, *Copticam* peculiari examini subiecimus; eorumque auctores et formatores, et elementa, quibus constant, definire studuimus. Dolet harum Disquisitionum elementa ne indicari quidem hîc satis potuisse: quum quae de Chronologia Linguae Zendicae et Samscriticae dicenda erant, pendeant a Canonibus Criticis nostris in *Historosophia* adhuc *inedita* conditis et constitutis. Quae tamen possibile fuit indicari, indicavimus pag. 304. 305. etc.

IV. *Origines Gentis et Civilitatis Etruscorum.*

Has autem *Origines* quaesivimus hîc in priore parte *Tentam. Hermen.* p. 2. ad 9. et ut ut breviter eas constituimus, quae tum omnibus traditionibus Historicis perfecte convenirent, tum dignitati et decori Gentis insignis et vetustae congruerent. Non implevimus sylvestribus et ululantibus Hominibus ripas Arni, Clanis, Umbronis, et Minionis: non advocavimus aliquot praeceptores et missionarios, utque appellat Romagnosius *Themosphoros* ex Aegypto, Phoenicia, Syria, Mauritania, Libya, qui barbaros illos ad nescio quem cultum adducerent: Sed ex Familia *Tarsis Iavanidae* latissime aucta et propagata in Assyria, Syria, Lydia, Bythinia, Filios posterosque dictos Tarsisios, primum hinc Thessaliam et Epirum, tandem Italiam occidentalem occupasse putavimus, dictosque nomine suo *Rasenas*, Romano *Etruscos*, Graeco *Tyrsenos*. Genti fuit Lingua propria Patria Noachica, Semitolexica, Pantheum proprium Cabiri-

*

cum; mores, et disciplinae, scientiae, instituta propria, patria; Sacerdotes et Sapientes indigenae; a quibus constitutum est Regimen asperum quidem et acre; sed moribus et naturae Gentis plane congruum: vide p. 19. 20. etc.

V. *Hierographia et Pantheum Etruscum.*

Et quoniam nec Civilitas ulla est absque systemate Theologico et Hierographico; et Systema Theologicum et Hierographicum intimo nexu inhaeret Systemati *Glottico* et Politico; ideo et aequum et necessarium duximus de *Panthei* et *Hierographiae Etruscae natura* elementis origine quaerere et disserere; quod peculiari *opere* et mox, Deo dante, edendo peregimus.

VI. *Characteres Grammatici Linguae Etruscae.*

Characteres vero Grammaticos Linguae Etruscae definire studuimus in Prima Parte *Tentam.* huius *Hermen.* sect. IV. p. 51. ad 61. scilicet profiteri esse prope nullos: Etruscamque Linguam habendam esse omnino *pavromorpham*, et fere ita amorpham ac Literatam Linguam Sinensium, salva Vocabulorum prolixitate. Speramusque fore, ut per profundum studium Fragmentorum Etruscae Linguae difficillima pars Historiae Pragmaticae Linguarum Pelasgicarum possit condi et constitui.

VII. Canones Hermeneuticos Homiophonicos haud peculiari capite produximus: Nam eos iamdiu indicavimus *Praef. ad Fundam. Herm. Script. Crypt.* pag. XLII. etc. eosque colligere facile est ex ipsis versionibus et Interpretationibus nostris.

VIII. DATA Linguae Etruscae collegimus una atque explicavimus Part. II. sect. I. huius *Tentam. Herm.* p. 97. ad 139.

IX. Denique Linguam DANDAM et agnoscere et definire studuimus eodem *Tentam. Herm.* pag. 85. ad 96. Et adeo omnia officia explevimus Interpretis, qui sincere veritatem quaerat et velit adsequi.

X. Hinc succedunt Interpretationes nostrae simpli-

ces, nudae, austerae, quia lectorem non eruditione, et commentariis distrahere, sed strictissima vocum explicatione continere potius in propositi *Lemmatis* Grammatica et Logica intelligentia studuimus. Et si ex una parte utilissimum duximus priores Interpretes et Editores Inscriptionum singularum referre et adlegare: Si Lectori gratissimum fore putavi, si ipsas eorum Interpretationes et versiones in Libello nostro saepius inveniret; Ex alia parte a pertinaci et perpetua refutatione, et analysi adversarum interpretationum, quod facillimum mihi fuisset, certo consilio me temperavi, et abstinui.

Lexica Glossosemitica, quibus frequentius usi sumus, sunt Lexicon Pentaglotton Schindleri, Heptaglotton Castelli, Diglotton Buxtorphii: Alia omnia adnotare non praestat.

Liceat tantum breve hic *Paralipomenon* adiicere de natura *Dialecti*, qua utebantur in Italia Tyrseni Samothraces et Thessali: Nam quum Tribuum Etruscarum criteria p. 30. 32. definiebam, ignorabam penitus naturam *Dialecti* illius, eamque deprehendi et novi deinceps ex *Inscriptione* praestantissima *Vasculi Agyllensis* edita a Lepsio in *Annal. Inst. Archeolog. Rom.* ann. 1836. tom. VIII. pag. 199. 200. qui accurate et recte de Alphabeto et Orthographia Inscriptionis disseruit: adeo ut a *Pelasgis Lydis Pelasgos Samothraces* Dialecto et Idiographia discrepasse per hoc insigne documentum iam constet. Vasculum autem quo Inscriptio adsculpta, est *Infundibulum*, quod nos Itali dicimus *Imbuto*, Lepsius Gallice dixit *Entonnoir*: Eaque est huiusmodi: MINI CE THUMA MIMA THUMA RASLI SIATHU PURENA, IETHE ERAI SIE EPA NAMI NETHUN ESTAF HELEQE. Qua Inscriptione, ipsam *Infundibuli* naturam, et Criteria sollertiâ Veteribus propriâ describi et significari arbitror, et adeo verto: *Vas hoc absorbet aquam, demergit liquescentia, stat*

terebra , *ex leni fluxu strepit* , ***addis mensuram*** (liquorem) , *auges inferius fluxum genitum.*

1. MINI est מאן , MAN , *vas vasis.*

2. CE ipsum זה , ZE , *hoc istud* Infundibulum.

3. THUMA , טמע , THMO , *demergit* , *immergit* , absorbet.

4. MIMA , מים MIM , *aquam* , aquas.

5. THUMA , טמע THMO , *absorbet* , immergit , demergit.

6. RASLI , non RAMLI , a רשל RSL , *res molles* , teneras , soluta , dissoluta , quae semiliquida sunt et liquescentia , ut mel : Quod si scriptum revera est RAMLI , רמל , RML est *arena* , terra arenosa, *pulvis*, qui facile etiam demergitur et labitur per *Infundibulum.*

7. SIATHU , סעד , SOD , *firmatur* , constituitur , statuitur , stat *Infundibulum* , quomodo , cedo?

8. PURENA , ברן BRN , BURENU *Terebra* , per *Terebram* , facto foramine , impositum in *Foramen* factum a *Terebra.* Vel etiam fixum , infixum bombylat , susurrat , strepit. Nam ברן BRN , PURENU est *bombylus* , *susurrus.*

9. IETHE est אטי , ATHI , *leni* , tenui , *suavi* , ERAI , רוה RUE *fluxu* , *effluxu.*

10. SIE-EPA, סאה-ופא SAE-UPA, *mensuram addis*, partem aliam liquoris adiungis.

11. NAMI , נמה , NME , addis , *auges* , *accrescis.*

12. NETHUN , נטע NTHO , נטה , NTHE *infra* , נטן , NTHUN , *inferius* , *inferiorem.*

13. ESTAF , שטף , STHF , fluxum , *effluxum* , *liquorem.*

14. HELEQE , חלק , HLQ , *creatum* , procreatum, genitum.

Atqui haec criteria , hi characteres *Infundibuli* : super quo *Inscriptio* adsculpta. Et haec adeo Lingua *Tyrsenorum* *Thessalicorum* , sive *Agyllensium* , circa aetatem primorum Romanorum Consu-

lum : Scilicet adhuc Noachica et Patriarchalis, adhuc non modo indeclinata, sed prorsus *Aorista*, quin haec, fortasse ob brevitatem et paucitatem vocum, carens etiam illa Lyda vocula AL, qua utcumque iuvatur ad *formam*. Quod documentum Gentis longe clarissimae, et quam plures ut prorsus et penitus *Graecam* habuerunt, et fere recentis, nam non superat quintum saeculum Prochristianum, utinam, utinam! ad evellenda plurimorum praeiudicia circa veterum Linguarum naturam et formationem sit idoneum et opportunum. Nam certe et coniectiones et systemata nostra Glossogonica et Glossosophica prorsus et penitus firmavit, et roboravit.

Quin liceat mihi hoc insuper loco pauca addere de plane singulari Titulo funebri Tuscaniensi, quem edidit idem Lepsius in *Bullet. Archeol. Rom.* ann. 1836. pag. 147. 148. selectum ex aliis pluribus, qui inaccurate et supine descripti et editi sunt in *Bullet. Arch. ann.* 1839. pag. 25. 26. et qui merentur subtiliore diligentia edi atque illustrari, maxime quia spectant ad Etruscum funebre Tuscaniense Hypogaeum in genere suo unicum, utpote factum non ex Urnulis bipedalibus, sed ex *Sarcophagis*, sive Necrothecis, in quibus adversus ritum Etruscorum Lydorum, sed secundum ritum Etruscorum Dardaniorum et Samothracum cadavera, ut credere necesse est, integra condita et servata. Titulus autem ille, quem dicebamus, adpositus *Sarcophago* plusquam novem palmis longo est huiusmodi : FIPINANS SETHRE FELTHUR....MECLASIAL THANCHVILU, ABILS CIS CEALCHS. Lepsius vertit : *Vibinianus*, *Setrius*, *Velturius*, *Meclasii filius*, *Thanaquillae natus*, *aetatis*. pag. 149. et secundum quodcumque Systema hermeneuticum non recte, etiam, quia non clare. Nos vertimus : *Sarcophagus Sethrii Felthurii Thanaquilae Meclasiae filii. Felix sit et bonus senex pius.* Nam : 1. FIPINANS, nempe FI-PIN-ANS est

nobis nomen Etruscum *Sarcophagi*, et *Necrothecae*. Nam fit a FI פי, PHI, בי, BI hic, hoc loco, sedes, *locus*, *loculus*, FIN, פני PHNI, *mortui*, *defuncti*, vita functi, ANS, אנס ANS, *hominis* Viri: quumque haec vox in eodem Hypogaeo Tuscaniensi saepius occurrat, et palam sit non esse Nomen vel Cognomen familiae, certo tenendum esse vocem socialis usus, et esse vertendam ut fecimus. 2. SETHRE, *Sethrii* nempe: quod numquam praenomen, non Nomen Gentis, sed *Cognomen* puto: vel Nomen Collegii, et si vis *Officii* et Muneris sacri: Nam haec potestas vocis receptissima. Et hoc nomen legitur etiam adsumtum quandoque ab alia Familia Felthuria, vel *Felthurnia* Perusina, cuius Titulos edidit Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* 1832. pag. 262. 263. 3. FELTHUR...vel BELTHUR...quod Gentis Nomen in aliis Titulis eiusdem Hypogaei etiam ingeminatum. 4. MECLASIAL THANCVILU: Nempe *Thanaquillae Meclasiae*, quae Matris nomina, ut quisque colligere debet; etsi insolitum sit Praenomen maternum et addere et postponere. 5. ABILS, ut dictum p. 120. 121: *felix sit*. 6. CIS est nobis חסה CSE, CIS *propitius*, *benevolus*, bonus: nam Lemures noxii et malefici, Manes boni et benefici. 7. CEALCHS, CEALCHS, CEAL ipsum Arabum כהל KEL KEAL *Senex*, provectus aetate, CHS iterum puto esse חסי, CSI, sed alio sensu nempe *pius*, innocens, puris, et piis moribus.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM.

TENTAMINIS
HERMENEUTICI ETRUSCI
PARS PRIOR.

FUNDAMENTA HERMENEUTICA, SIVE DE GENTE ET LINGUA VETERUM ETRUSCORUM DISQUISITIONES FUNDAMENTALES.

SECTIO I.

DE INSIGNIORIBUS POPULIS, EX QUIBUS GENS ET RESPUBLICA ETRUSCORUM COALUIT.

CAP. I.

Insignis pars Etruscorum facta est ex Pelasgis Arcadicis et Dardaniis.

I. D*E quadruplici genere Pelasgorum.* Qui hactenus de Pelasgis egerunt Salmasius, puta, Bochartus, Rycquius, Cluverius, Bianchinius, Freretus, Pelloutierius, Guarnaccius, Attellius, Dupuisius, Larcherus, Sainteeroix, Mannertius, Clavierius, Rochettus, Niebuhrius etc. omnes de Pelasgis egerunt quasi una eademque Gente homophyla, homodiaeta, et homotropa, quae scilicet eadem civilitate et moribus socialibus usa fuisset. Qua potissimum ex caussa factum est origines Graecorum, atque Italorum esse hactenus confusas et absurdas. Verum quidem est ipsos Scriptores veteres Herodotum, puta, Dionysium Halicar., Strabonem etc. aliosque, confuse, supine, et negligenter de Pelasgis egisse. At aeque verum et hos ipsos Scriptores, et alios longe plures ea de Pelasgis tradidisse, quae ubi tu per Gentilia criteria dispescis et tribuis, ubi per Tribules characteres ordinas et disponis, genuinas Pelasgorum et origines et distiuctiones arripis et tenes, veteremque Historiam mira luce auges et collustras. Et ideo primi sese sistunt

1. Pelasgi Arcades, qui genuini Pelasgi sunt, et Proto-Pelasgi dici possunt. Pelasgi nempe Lycaonii, quorum Pantheum ex Pane, Iove Lycaeo, et Mercurio Atlantio potissimum factum. Proselenismus Mythicus, Diluvium Nyctimi, Callisto, et Arcas Ursae coelestes, quae reliquae Tribus Pelasgicae non agnoverunt. Professio Pastoralis, Regimen Patriarchale, Convivia tribulia, Biotropismus per vicos et pagos saepius.

2. Alterum Genus Pelasgorum fuit Atticum, Aegialaeum, Sicyonium, a Ketimo Iavanis ortum, quorum Diluvium fuit Ogygis, etc. Typi divini maximi Vulcanus Demiurgus, Minerva, Neptunus centralis. Sedes Genti fixae, Vita agricola, Hierographia propria, Reges proprii.

3. Tertium genus Pelasgicum habendum est Argivum, Argolicum, Inachium: quibus Typi Divini et Mythici: Inachus Fluvius, Vacca Io, Epaphus Taurus. Perseus Semideus, Danaides, Vita bellica, Nautica, vaga, militaris, tumultuosa, errans.

4. Quartum Genus Pelasgicum est Tyrrhenorum, vel potius Tyrsenorum, qui origines suas ad Neptunum, et Nympham *Larissam* mythice referebant: quibus Pantheum Cabiricum et Samothracium Idioethnicum et proprium. Quibus Architectura Cyclopica, ars etiam Idioethnica et characteristica. Nautica, Musica, Artes propriae. Vita vel Urbana, vel Piratica militaris inquieta.

II. *De Pelasgis Arcadicis et Dardaniis primis Etruriae incolis.*

1. Proto-Pelasgi Arcades et Lycaonii e primis Mesopotamiae sedibus profecti, relicta deinceps Lycaonia et Chaonica Regione Cataonia, in Troade Phrygia et Mysia consederunt: ubi *Azaniae* Regnum constituerunt, nomine servato diu. Ibique Dardaniis et Samothraciis, Ausoniis et Auruncis coniuncti magnam gentem Pelasgico-Dardaniam condiderunt: quae Gens quum sese diffudisset in Thessaliam, Epirum, atque

Illyrium, ibique primum ut Pelasgica et Dodonaea late claruisset; tandem se in Italiam immisit, et praeter alia loca plurima, de quibus in *Disquisitionibus Oscis* agitur etiam plenius, circa Etrusca Flumina Caeritis, Minionis, et Tiberis consedit: Nam Virgilius Aen. lib. VIII. v. 596. ita canit:

Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Relligione Patrum late sacer, undique colles
Inclusere cavi, et nigra nemus abiete cingunt;
Silvano fama est veteres servasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque Deo, lucumque, diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

Qui fines sunt etiam Etrusci: Hos autem Pelasgos ex Deo Silvano characteristico alios esse non potuisse nisi Arcadicos quisque videt.

2. Tum Dionysius Periegeseos v. 347. haec cecinit: » Τυρρηνοι μεν πρωτοι, επι δε σφισι φυλα Πελασγων » οι ποτε Κυλληνηθεν εφ' Εσπεριην αναβαντες » αυτοθι νηησαντο συν ανδρασι Τυρρηνοισι ... Scilicet *Tyrrheni quidem primum, post hos autem Tribus Pelasgorum, qui quondam e Cyllene in Italiam profecti illic habitarunt cum viris Tyrrhenis*. Pelasgi autem *Cyllenii* sunt Arcades.

3. Tandem Scymnus Chius edit. Huds. II. P. 316. scribit v. 216:

Μετα την Λιγυςικην Πελασγοι δ' ἐισιν, οι
Προτερον κατοικισαντες εκ της Ελλαδος
Κοινην δε Τυρρηνοισι χωραν νεμομενοι.

Post Ligusticam Pelasgi vero sunt, qui prius illic habitabant profecti e Graecia, communem vero cum Tyrrhenis (Etruscis) *Regionem colentes.* Qui Pelasgi sunt Arcades sive Pelasgi Dodonaei. Tandem Silius Italicus etiam in Italica Archaeologia doctissimus lib. IV. v. 720 canit: » *Ergo agitur raptis praeceps exercitus armis* » *Lydorum in Populos, sedemque ab origine prisci* » *Sacratam Corythi, cunctosque a Sanguine avorum* » *Maeonios Italis permixta*

Stirpe colonos ». Atqui *Itali* antonomastice et proprie sunt uni Populi Arcadici, uni Hesperii, uni Ausones Atlantii. Quamobrem, ut dicebamus, a Macra ad Tiberim scilicet per totam Etruriae longitudinem magnum numerum tribuum Oenotriarum et Vulcientum, sive Proto-Umbrorum sedes suas posuisse tenendum est.

4. Quin illud monendum arbitror vetustissimum oppidum *Caere*, non *Cortonam* Umbram, quod plerique tenent, esse habendum *Corythum* Dardani Virgiliani, et ideo Proto-Patriam Italorum secundum maximum istum Italum. Nam excussis pluribus locis ipsius Virgilii III. Aen. v. 167. 168. 206. 207. lib. VII. v. 616. 617. VIII. 617. 618. et Silii Italici IV. v. 721. VIII v. 470. 471. ita est omnino et necessario tenendum.

Et profecto si circa Caeritem amnem Venus Dea filio Semideo apparet, et arma divina tradit, quibus Italiae imperium fundare debebat: si futura Gentis Fata ibi tradit: si foedus et pacta cum Etruscis iis in locis ferit Aeneas; utique in sede propria Idioethnica Dardani Aurunci et Arcadis debuit Poëta haec ponere et constituere. At de his Arcadibus, Ausonibus, et Umbris vide etiam *Priorem partem Tentaminis nostri Hermeneutici Osci.*

Cap. II.

Aeque insignem Etruscorum partem factam esse ex Pelasgis Tyrsenis Thessalis Samothraciis Hellespontiis tenendum est.

1. *Primo quia hae origines certae sunt testimonio Historicorum insignium.*

Pelasgos Tyrrhenos habitasse per plura saecula Bithyniae, et Propontidos oras et insulas, quin partem etiam insignem Thessaliae magno veterum Scriptorum testimonio iamdiu probarunt, qui de Pelasgis egerunt Bochartus in Phal. I. c. 33 pag. 584 587. Guarnaccius

in *Orig. Ital.* I. p. 263. 264 Rochettus *des Colon.* I. 362. 364. aliique. Horum vero Pelasgorum ingentem plane numerum sedibus suis fuisse eiectum a Lelegibus, Aeoliis, Curetibus, et proiectos in Illyrium et Epirum aeque certum. Quos inde transfretasse in Italiam, superatoque Apennino circa Umbronem, et Clanim, et alia Etruriae loca consedisse Hellanicus et Myrsilus Lesbii historici vetustissimi apud Dionysium Halic. p. 16. 19 testantur et memorant: ibique Pisas, Caere, Alsium, Saturniam, aliaque oppida habuisse. Eos autem fuisse ipsos Pelasgos Tyrsenos, quos superius indicavimus ex ipso Dionysio Halic. constat, qui eorum Pantheum Cabiricum memorat. P. 19. 20 tum et Nautica et Architectura plurimum illustres facit P. 14 et 21 et singillatim eos ipsos dicit, qui praedicarentur filii Neptuni et Larissae. Qui characteres Ethnographici certi et historici tenebras illas, quas ipsemet Dionysius offundere studuit, penitus dispellunt et amovent. Quin si Graecus iste Historicus omnes calamitates et mala advocavit, ut hos Pelasgos funditus ex Italia perderet et eiiceret, nos fidentissime id pernegamus, et affirmamus esse impossibile in Italia media ingentem numerum Tribuum humanarum in universum potuisse interire.

Praeterea si ex ipsomet Dionysio constat hanc praestantissimam Pelasgorum Gentem intime cum Aboriginibus, Latinis, Marsis, ceterisque Oenotriis et Italis mixtam et confusam: aeque certo tenendum eos cum Aboriginibus, Oenotriis, ceterisque Italis mansisse incolumes, quum nemo prorsus Aborigines hos, atque Oenotrios aliqua magna tum calamitate pessumdatos tradat. Quin modo fidentissime affirmamus, omnes Cyclopicas substructiones, omnia ingentia moenia polygonis et immanibus lapidibus condita; quae sunt in utroque Latio, in Sabinis, in Marsis, in Volscorum campis, et alibi in Italia, omnia esse certissima et perennia argumenta et testimonia tum numeri, tum du-

rationis Pelasgorum Tyrsenorum in Italia. Nam hae substructiones nec a Pelasgis Arcadicis sive Oenotriis, neque ab Oscis, et Ausoniis, neque a Pelasgis Atticis, neque a quacumque alia Tribu vetere poni et condi potuerunt. Adeoque quamdiu in Italia substructiones illae durabunt, tamdiu erit et memoria Tyrsenorum Fabrorum duratura.

II. *Secundo quia Scriptores Graeci unanimes et constantissime Etruscos Italos Tyrrhenos vel Tyrsenos, et Etruriam Tyrrheniam appellarunt.*

Regiones et Terras a Populis et Tribubus occupantibus denominari frequentissimum et solemne vel nostris temporibus: ut per innumera exempla constat. Atqui ab omnibus Graecis Etrusci dicti *Tyrrheni*, et Etruria *Tyrrhenia*, et amplissima et clarissima olim Gens *Tyrrhena* vel Tyrsena in Thracia, Bithynia, Ponto. Ergo nulla alia de caussa potuit doctissima et accuratissima Graecorum Gens Etruscos *Tyrsenos* dicere, nisi quod facti fuissent ex Tyrsenis Pelasgis sibi notissimis. Dionysius Halicarnasseus, qui Etruscorum origines prorsus confundere et miscere conatur in Lib. I. Ant. Rom. P. 20. 21. obiicit non semper respondere nomina Regionibus imposita ipsis Gentibus, quae eas habent, maligne confundens duo obiecta invicem diversa. Nam aliud est universam Italiam Tyrseniam dici, quia universi Itali sint origine et moribus *Tyrseni;* aliud universam Italiam solemniter et constanter appellari *Tyrseniam*, nullo Tyrseno incola et cive Italico. Hoc impossibile, falsum alterum. Illud verum magnas regiones plerumque appellari et denominari a clariore, illustriore, et insigniore Gente, quae occupaverit, etsi adhuc aliae sint heterogeneae et heterotropae una habitantes. Ergo, ut dicebamus, si doctissimi Graeci constantes et unanimes Etruscos *Tyrrhenos*, Etruriam, vel saepe totam Italiam, *Tyrrheniam* appellarunt, utique fecerunt, quia amplissimam Tyrrhenorum Gentem sibi notis-

simam in Italiam transfretasse scirent, et ab eis Etruriam potissimum occupatam per certas historicas traditiones nossent.

III. *Tertio, quia praecipua elementa Civilitatis Etruscorum eadem fuerunt, ac Tyrsenorum Samothracum et Hellespontiorum.*

1. *Nautica et Piratica.*

De *Nautica* et *Piratica* Tyrsenorum Italicorum abunde egerunt Dempsterus, Bochartus, Guarnaccius, Micalius, aliique, qui de Etruscis egerunt: De *Nautica* et *Piratica* Tyrsenorum Thracum testes ipsi Graecorum Mythi: primum de Argonautis, quos cum Tyrsenis pugnasse traditum. Vid. Athenaeum Deipn. libr. VII. p. 296: tum de Tyrsenis in Delphinos a Baccho conversis: de quibus Auctor Hymn. Homerici in Bacch. v. 52. 53. Ovidius III. Metam. v. 560. 570: aliique egerunt. Testis porro ex Historicis Herodotus libr. VI. c. 138. p. 376. agens de raptu puellarum Atticarum Braurone peracto: et Menodotus Samius apud Athenaeum libr. XV. p. 672. 673. et ita alii.

2. *Musica*, potissimum *Auletica*.

Et ita quidem, ut modo difficile sit definire in multis testimoniis Scriptorum veterum: an hi loqui voluerint de Tyrsenis Hellespontiis, an Italicis. Testimonia plura iam collegerunt Dempsterus et Guarnaccius, inter quae illud Pausaniae in Laconicis p. 158. peculiari mentione dignum iudicamus, quo de Minerva Salpingi Tyrsenica agitur. Etruscos vero sive Tyrsenos Italicos auletica insignes extitisse, ex ipsis eorum Dramatibus hierographicis notum, in quibus saepius auletae conspiciuntur duas inflantes tibias. Nec leve est inter paucissima vocabula Etrusca explicata, quae Romana curiositas servavit, esse *Subulo* sive *Tibicen* Etruscis, Varrone teste de L. L. libr. IV. pag. 72. de qua voce diximus in *Tent. Hermeneut.* Parte II. Sect. I. Cap. I.

3. *Architectonica.*

De Moeniis et Substructionibus Pelasgicis sive Tyrsenicis in Italia egerunt Gorius, Micalius, Dionysia, Inghiramius, Oriolius, Martellius, Petit-Radellus, Gellius, Dodwellus, et alii perplures in *Bullet. Arch. Rom.* 1831. ad 1834. dignumque est adnotari ipsa Dionysii Halic. aetate veteres illas substructiones tam pertinaciter Tyrsenis tribui, ut ipsemet potuisset arbitrari eos Tyrsenos a τυρσεις dici, et cognominari. Tyrsenis porro Hellespontiis fuisse eamdem scientiam architectonicam, arces sive urbes munitissimae *Larissae* dictae, ac Genti characteristicae sunt argumento certissimo. Tum murus ille Pelasgicus ab ipsis mercede conductis Athenis erectus et substructus, et de quo egerunt Herodotus libr. I. c. 57. Thucydides libr. II. p. 117. Strabo libr. V. p. 221, et ipse Myrsilus Lesbius apud Dionysium Halic. I. p. 22.

4. *Pantheum.*

Pantheum Tyrsenorum Samothracum et Hellespontiorum, sive eorum qui insulas Samothracen, Lemnum, Imbrum, Thasum habuerunt, diutissime fuisse *Cabiricum*, quis dubitaverit, si ipsis his in Insulis, et praestantissima, et celeberrima imo praecipua et fere unica sedes *Cabirismi* posita et constituta sit: ut ex Herodoto lib. II. c. 52. p. 108. Dionysio Halic. I. p. 20. Diodoro Siculo libr. V. c. 47. 48. p. 223. 224. Clemente Alex. Protr. pag. 12. aliisque pluribus certo colligitur? Pantheum autem Etruscorum fuisse aeque *Cabiricum*, tum ex iis ipsis Historicis, quos modo citavimus, tum ex longa et prolixa analysi ipsorum Monumentorum Etruscorum, quae peculiari opere de *Pantheo Etrusco* expendimus, demonstratur.

5. *Disciplinae Liturgicae.*

Fuisse Etruscis sive Tyrsenis Italicis gravem, variam, operosam, et implexam Liturgiam ex testimoniis veterum, et ipsa Historia pragmatica Etrusco-Romana certum. Et libris Etruscorum Ritualibus, Acheronticis, Fulguralibus, Haruspicinis infinitas Liturgias

a superstitiosa sedulitate plurimorum Collegiorum Sacerdotalium fuisse conditas quis dubitaverit? Fuisse porro Tyrsenis Samothraciis variam et amplam liturgiam incredibilis claritas Mysteriorum *Cabiricorum* necessario suadebit. Tum testimonium maximi Platonis, qui lib. V. de Legib. P. 806. agens de *Liturgiis* divinis duas tantum deligit et laudat, quasi ceteris augustiores et sanctiores, *Tyrsenicam* nempe, et Cypriam: dubio procul ad *Pantheum* ipsum *Cabiricum* animum intendens omnium humanorum Pantheorum vetustissimum et praestantissimum, et quo elementa ipsius Metaphysices et Ideogoniae, quam profitebatur, continebantur. Qui autem putaret Platonem hoc loco non Tyrsenos Samothraces, sed Italicos sive Etruscos designasse, mea sententia, erraret: Nam ea ipsa Socratis, sive Platonis aetate Etruria pessime apud omnes, et maxime apud Graecos, ob infamem et acerrimam Piraticam audiebat, quam adhuc exercebant et exercuerunt usque ad Alexandri Magni posteros. Neque Italia Media erat tum adeo non dicam illustris et clara apud Graecos, sed vix nota, et quae nominari quidem digna videretur, ut ex libris tum Herodoti, tum Thucydidis, tum Xenophontis, qui per haec tempora fuerunt descripti, notum et certum est.

6. *Dogmata Philosophica.*

Dempsterus, Maffeius, Guarnaccius, Laparellus, aliique plures acerrime semper contenderunt, ut olim apud Plutarchum in Sympos. VIII. quaest. 7. P. 727. Lucius Etruscus, Pythagoram Mnesarchi filium Italicae sectae fundatorem non sensisse tantum in pluribus dogmatibus Metaphysicis cum Etruscis, sed proprie et plene fuisse Etruscum, nempe in Etruria natum, educatum, et altum. Et profecto plura testimonia sunt, plura argumenta, quae te vehementer afficiant, et moveant, et quorum solutionem numquam invenies, nisi cum Aristoxeno maximo Pythago-

ricorum historico Mnesarchum Pythagorae patrem facis Tyrsenum ex Tyrsenis Samothraciis et Lemniis, et hinc societate Milesiorum et Samiorum huc illuc vagantem: et hinc filium suum Sami genitum secum educentem, et Mysteriis Samothraciis, et omni Tyrsenorum disciplina imbui et exornari curantem: tum enim omnibus traditionibus historicis, ut aequum est, servatis, Pythagoras Tyrsenus poterit iure haberi Etruscus, quia tum sanguine frater, tum mysteriis coniunctus, tum Philosophia Etruscis socius.

IV. *Quarto quia Etrusci sive Tyrseni Itali in nonnullis Emblematibus suis sese Tyrsenos lexeoschematice dixerunt.*

Dramata Urnarum funebrium Etruscarum esse saepissime lexeoschematica suadere adnisi sumus in *Fundam. Herm.* lib. II. Sect. 1. Cap. 4. P. 114. 124. quin selectis insignioribus atque explicatis ea in peculiarem sectionem coniiecimus, quae editur sive in Pantheo nostro Etrusco, sive in tractatu de Etrusca Hierographia. Quamobrem est intrinsece probabile Etruscos in plusquam 500 Urnis funebribus, quot ex Lanzio, Vermigliolio, Gorio, Passerio, Inghiramio percurrere potui, nomen Gentis suae saepe expressisse, et Emblemate Araldico significasse, ut frequentissime fecerunt Veteres. Et profecto si in Dramatibus funebribus Etruscorum plane frequenter plane saepius conspicitur *Piscis Delphin*, Piscis, qui in Italia, teste Plinio, dicebatur *Tursio*, et a Poëtis frequenter *Piscis Tyrrhenus*, ut iam animadverterunt Bochartus, Guarnaccius, Lanzius, aliique: et si Mythus late celebris per Graeciam vulgatus est Tyrsenos sive Hellespontios sive Maeonios et Lydos fuisse a Baccho conversos in pisces *Tursiones*, certo tenendum aliquam relationem intercedere debuisse inter Tyrsenos et *Piscem Tursionem*: quae relatio esse non potuit nisi *Lexeoschematica*, et *Emblematica*. Et adeo tenebimus Etruscos in omnibus Dramatibus, quibus Tursiones sive

Delphinos adscalpserunt, se esse et dici *Tyrsenos* fateri et significare.

2. Alterum *Emblema* Tyrsenicum in Dramatibus Etruscis funebribus arbitror esse habendas ingentes *Rosas*, et *Peltas*: quae frequentissime etiam conspiciuntur. Nam *Rosae* Glossosemitis ורד VRD ARD: si addis אל AL. L. habebis LARD LARTH. Atqui *Pelta* est תרש TRS *Tursio* Tarsi. Ergo *Rosá* et *Peltá* exprimitur *Larthes Tyrsenus*.

CAP. III.

Tertiam adhuc partem atque insigniorem Etruscorum factam ex Tyrsenis Lydis, est aeque certo tenendum.

1. *Primo quia id tradiderunt Scriptores plurimi et certissimae fidei.*

1. Scilicet ex Graecis praeter illos, ex quibus plura mutuatus est Dionysius Halicarnasseus lib. I. p. 23. 24. sunt Herodotus lib. I. c. 94. p. 39. 40. Scymnus Chius in Descr. Orbis. v. 216. 217. Lycophron in Alexandra v. 1245. 1344. 1350. p. 286. Strabo lib. V. p. 219. 220. Plutarchus Quaest. Rom. II. Tom. Op. p. 277. in Romul. T. I. p. 73. Appianus Alex. Punicor. libro, Pausanias Corinth. p. 63. vel 55. Iohan. Lydus de Ostent. cap. 3. Eustathius ad Dionysii Perieg v. 347. 348. Ioh. Tzetzes in Lycophron. loc. cit., et alii plures. Ex Latinis porro Cicero de Div. I. c. 22. p. 243. Virgilius II. Aen. v. 782. VIII. v. 479. 480. IX. v. 11. X. v. 155. et ad haec Servius. Horatius I. Satyr. VI. v. 1. Ovidius Artis I. v. 112. Fastor. II. v. 310. 312. Silius Italic. IV. v. 720. 735. VIII. v. 470. Velleius Paterculus I. c. 1. p. 12. Valerius Maximus Exempl. II. c. 4. p. 92. Seneca Consol. ad Helvi. c. 6. p. 110. Plinius libr. III. Hist. Natur. c. 5. p. 103. Tacitus Annal. IV. c. 55. p. 183. Pompeius Festus in *Sardes* p. 235. Tertullianus de *Pallio* c. 4. de Spectacul. c. 4.

p. 73. ex Timaeo Siculo vetustissimo: Rutilius Numatianus in *Itiner.* p. 26. S. Hieronymus in *Isaiam* c. 66. v. 19. S. Isidorus lib. XIV. Etymol. c. 3. p. 331. XVIII. c. 16. p. 444. aliique.

II. *Secundo quia certum est Pelasgos Tyrsenos etiam Lydiam per aliquod tempus habuisse, et possedisse.*

Quod iam ex veteribus Scriptoribus Bochartus, Dupuisius, Rochettus, aliique agentes de Pelasgis collegerunt. Argumentumque certum diuturnae morae Tyrsenorum in Lydia est, etiam in hac regione tres fuisse *Larissas* sive urbes sive arces Pelasgorum Tyrsenorum characteristicas: quarum una fuit ad fluvium Hermum, altera ad Caystrum et Maeandrum, tertia ad Cumas Phriconidas: ut ex Stephano Byzantino, Auctore Magni Etymologici, et Strabone colligimus. Nec leve est Ovidium Nasonem in omni Archaeologia doctissimum Tyrsenum piratam Acoetem Bacchi hostem facere Lydum et Maeonem. Metam. III. v. 582 facere Tyrrhenum v. 696. unum, quem Bacchus servaverit. Quin Plutarchus in Vita Romul. I. p. 18. et Eustathius in Iliad. II. v. 838. Tyrrhenos Lydos eosdem ac Thessalos fuisse putarunt, ex Thessalia nempe in Lydiam transmigrantes: quum contrarium revera teneri posset, fuisse nempe eosdem, dummodo ex Lydia et Maeonia in Thessaliam, et inde in Epirum, et in Italiam transmigrasse teneamus.

III. Tertio quia plura civilitatis elementa eadem fuerunt Lydis, atque Etruscis.

1. *Architectonica.*

Etruscos sive Tyrsenos Italicos plurimam operam in construendis Turribus posuisse, iam indicatum p. 7. 8. Apud Lydos autem plures etiam Cyclopicas substructiones, et ingentia moenia fuisse posita et excitata testis oculatus Richardus Pocokius in Itiner. edit. Gallic. Tom. V. p. 16. 17. dubitare non patitur, quin Tantalis urbs ad Sypilum condita, et omnes *La-*

rissae opere cyclopico extructae saltem ex aliqua parte id demonstrant ut recte iam animadvertit R. Rochette de Coloniis Tom. IV. p. 384. 385. et Petit Radellius in *Magasin* Millin Tom. LXXVI.

2. *Cryptae funebres.*

Hypogaea et conclavia funebria in Montibus excavata fuisse Etruscis plurima ex *Musaeo Etrusco* Gorii T. III. ex *Osserv. Lett.* Scipionis Maffei Tom. VI. ex Inghiramii, et Micalii *Monum. Etrusci*, aliisque pluribus notum. Fuisse etiam Lydis ex pluribus Itineratoribus, ut Pocokio, Mourierio, aliisque abunde constat. Quin animadvertendum est Tumulos illos funebres, quos positos haud longe ab urbe Lydorum Smyrne Pocokius describit pag. 21. 22. Tom. V. illis plane simillimos videri, quos Dorovvius Tarquiniis vidit, et in *Itiner.* suo *Archaeologico* per Etruriam indicavit.

3. *Nautica.*

Etruscos fuisse claros Nautica iam superius p. 7. monitum; floruisse olim Lydos, nempe aetate Pelasgica arte Nautica ex Epochis Nauticis Castoris Rhodii Chronologi celebris, quasque iam illustrarunt Bochartus in Phal. p. 87. Bianchinius in *Hist.* Univ. p. 550. 554. Heyne in *Act. Academ. Gotting.* 1770. I. p. 66. 69. certum est. Et notandum est Isidorum Hispalensem ex veterum Scriptorum dubio procul fide libro XIX. Etym. c. V. pag. 454. scribere: *Lydii autem primum navim fabricarunt, pelagique incerta petentes pervium mare usibus humanis fecerunt.*

4. *Musica auletica.*

De Auletica Etruscorum dictum supra p. 7: de Lyda testimonium primum est in originali Mytho inventionis Tibiarum a Minerva in Lydia peracta. Tum Marsyam, Olympum, aliosque auletas summos et primos praeceptores atque institutores Lydos extitisse.

5. *Fusoria atque Iconica.*

Plurimum in his artibus valuisse Tyrsenos Italicos

sive Etruscos eorum *Sigilla sparsa per terras*, ut loquebatur Plinius Lib. 34. c. 7. p. 334. ostendunt: eaque semper et quaesita et collecta testatur Horatius libr. II. Epist. 2. v. 180. 181. et Musea inde apud nos condita et exornata cimeliis Etruscis. In his ipsis autem Artibus etiam Lydos valuisse ex pluribus locis. Herodoti ut I. c. 14. 15. c. 92. 93. etc. ex Philostrati Heroicis cap. I. p. 169. aliisque pluribus clare colligitur. Nec leve est tributos primos Nummos cusos Lydis; et Plinium lib. VII. c. 56. p. 343. scripsisse: *Aes conflare et temperare Aristoteles Lydum Seuthem monstrasse putat.*

6. *Ludi, Histriones, Spectacula.*

Etruscos sive Tyrsenos Italicos in his exercitamentis floruisse et claruisse ex Livio Lib. VII. c. 2. p. 60. ex Ovidio de Art. I. v. 111. 112. Valer. Maximo I. c. 4. Tacito Ann. XIV. c. 21. Tertulliano de Spect. Cap. 5. Isidoro lib. 18. c. 16. aliisque pluribus constat. Atqui hos ipsos *Ludos* ita *Lydorum* proprios veteres habuisse, ut inde nomen obtinere sibi plures persuasissent, ut quisque ex Valer. Maximo, Tertulliano, Isidoro, quos modo citavimus, nosse potest. Quin aperte Lydos sibi Ludorum primam inventionem tribuisse testis Herodotus I. c. 94. p. 39. nec dissentiunt Dionysius Halic. II. p. 130. et Plutarchus in Quaest. Rom. 107. Tom. II. opp.

7. *Vestes sociales insigniores Tunica, Toga, Calcei, Cothurni.*

Hisce vestibus usos Etruscos ex eorum Dramatibus, et Monumentis patet. Has ipsas vestes quasi Lydorum proprias et peculiares existimarunt Lucilius in Satyr. fragm. I. p. 80. edit. Comin. Tertullianus de Pallio C. I. p. 36. edit. Salmas. Ovidius III. Amor. Eleg. I. v. 14. Servius ad Aen. I. v. 382. Pollux lib. VII. c. 22. p. 347. etc. Virgilius Aen. VIII. v. 458.

8. *Vestes Praetoriae, Imperatoriae, Regiae.*

Has vestes omnes ab Etruscis mutuatos Romanos

laudibili ingenuitate omnes sunt fassi, ut constat ex Sallustio in Catilin. cap. 52. p. 296. Livio lib. I. c. 8. p. 14. Silio Italico VIII. Punic. v. 484. 486. L. Floro lib. I. c. 8. p. 57. Macrobio Saturn. I. cap. 6. p. 179. Servio ad Aen. VIII. v. 505. aliisque. Atqui has ipsas vestes fuisse Maeonum et Lydorum tum Silius Italicus loc. citat. tum ipsemet heterodiactismi sui oblitus Dionysius Halicar. lib. III. p. 195. aliique aperte testantur.

9. *Luxus, vita mollis et delicata.*

Hanc exprobrarunt Etruscis plures apud Athenaeum lib. XII. p. 517. 518. 519. 634. et alii ex Italis: hanc ipsam exprobrarunt Lydis Herodotus lib. I. cap. 55. Gellius lib. I. cap. XI. pag. 20. Athenaeus lib. X. p. 515. XII. p. 558. XV. p. 699.

10. *Prostitutiones Puellarum.*

Hanc infamiam obtinuisse apud Etruscos testantur plures apud Athenaeum lib. XII. p. 517. nosque rem disquisitione dignam iudicavimus Sect. II. cap. 1. pag. 23. 24. Hanc ipsam infamiam obtinuisse apud Lydos testis Herodotus lib. I. c. 95. p. 19. plures apud Athenaeum lib. XII. p. 516. Aelianus in Var. Histor. lib. IV. c. 1. p. 96. aliique.

11. *Religio Herculis Candaulis.*

Tyrsenos Italicos sive Etruscos fuisse maximos Herculis cultores, et potissimum illius, quem nos in *Pantheo Etrusco Candaulem* appellamus, ex innumeris sive sigillis sive Dramatibus Herculis est certum atque exploratum. Apud Lydos porro Herculem fuisse celebrem et illustrem et Mythice, et Historice, et Hierographice notum; quin si Herculem plures Gentes sibi vindicant, Hercules *Candaules* Lydorum tantum fuit.

12. *Ars fulguralis divinatoria.*

Quantum in hac arte excelluerint Etrusci, notum ex Plinio lib. II. cap. 53. 54. p. 45. 46. ex Senecae *Quaest. Natural.* libr. II. p. 636. ex Cicerone *de di-*

vin. II. quin ex ipsis Fragment. Libror. fulguralium, quae servarunt Nigidius Figulus, et Ioh. Laur. Lydus *de Ostentis*. Atqui is ipse Ioh. Laur. Lydus una Italus, Etruscus, et Lydus artem hanc fulguralem ab Lydis ad Etruscos pervenisse testatur.

IV. *Refelluntur obiecta a Dionysio Halicarnassensi.*

Adversus Lydam Etruscorum originem obiiciebat primo Dionysius lib. I. Arch. p. 22. Xanthum Lydium historicum patrium et vetustum nullam prorsus huius Coloniae et transmigrationis memoriam iniecisse: quod omnino fecisset, si vera fuisset. I. Respondeo Xanthum istum, ut omnes Historici ante Herodotum, scripsisse Historiam veterem quasi per saturam, nempe per exempla, per obiecta, et facta selecta: non per Tempora, Saecula, Dynastias, Reges, Principes. Et ideo nil mirum, si relationem illius Coloniae, quae non esset sibi visa momenti maximi, et curiositatis insignis ad lectores suos, praeteriisset. Et quoniam Xanthi huius universa historia periit, certo tenendum non modo de vetustissimis factis, sed etiam de recentibus, et de ipsis Mermnadis inepte et imperite egisse. Quin illud est serio animadvertendum Tribus Lelegicas et Caricas, quae Xanthi aetate erant, fuisse primis et vetustioribus Pelasgis infensissimas: eos pertinacissime expulisse, eorum sedes occupasse, et memoriam adhuc eorum odisse. Atqui Xanthus iste historicus spectabat ad Lelegas posteriores, non ad Pelasgos vetustiores; et tota Asia facta Lelegica ab adventu Deucalionidum, et Aeolorum acerrime Pelasgos cunctos dispellebat: et hinc factum ut universa Italia evaderet Pelasgica, Pelasgis ex minori Asia in Graeciam, et ex Epiro et Illyrio in Italiam adfluentibus. Addebat porro Dionysius loc. cit. p. 23. se eo maxime argumento Lydam Etruscorum originem negare, quod Lydi, quos ipsemet noverat, atque Etrusci nec homodiacti essent, nec homoglossi.

Quod argumentum tam certi et invicti ponderis visum est Cluverio, Bocharto, Frereto, Bardetto, Heynio, Carlio, Micalio, Niebuhrio, ut traditionem illam plurimorum Historicorum fabulam Lydam dixerint et habuerint. At prorsus temere et imperite. Nam primo falsum est ita penitus discrepasse mutuo Lydos atque Etruscos moribus et institutis, ut indicare visus est Dionysius, et hi literati viri autumarunt, quemadmodum ex Specimine superius posito clarissime patet. Eoque inspecto, imo per alios labores aucto, quod facile est, nemo esse poterit, qui vicium humanarum et conversionum socialium peritus veterem et constantissimam Traditionem per tantam institutionum similitudinem non firmet et roboret. Quae humanae vices et Politicae conversiones ita graves plerumque sunt, ita potentes, ut non dicam post decem integra saecula, quot inter aetatem Coloniae Lydae Tyrsenicae, et Dionysium hunc intercesserunt, sed post quatuor vel quinque tantum saecula vix Gens agnoscatur et Moribus, et Pantheo, et Lingua. Quod ut quisque sentiat nec Iaponiam, nec Sinas, nec Indiam petere necesse est. Sed vices Byzantii, sive CPoleos, Romae, Italiae, Galliae, Angliae percurrere est satis. Quamobrem quis mirabitur si inter Lydos Lelegas, Rizophtharticos Lingua, et Lydos Pelasgos Rizophylaces Lingua eiectos et pulsos, et qui novam Rempublicam in Italica Regione per varia et diversa elementa condunt, post infinitas Rerum varietates, et corruptricem Persarum malitiam, et Graecorum incuriam plenus homotropismus deprehendi nequeat? Culpandus Dionysius, qui supine et negligenter de Etruscis et Lydis egit, culpandi gravius Literati isti viri, qui nec Tribus Pelasgicas a Lelegicis discernere didicerunt, nec naturam vicium socialium considerantes Traditiones Historicas invictae potestatis pessumdederunt: et ceteris gravius Niebuhrius, qui Italorum historiam ex professo et data opera tractans in

Histoire Romaine I. p. 102. 104. imperite et superbe aliorum errores auxit.

V. *Origo partis insignioris et potioris Gentis Etruscae ex Lydiâ, quam isti negarunt, est veritas historica plenae et invictae certitudinis.*

1. Primo quia testimonia Historicorum Romanorum sunt tanto numero, tam frequentia, ut habenda sint, ut testimonium totius Gentis et Populi Romani. 2. Et quoniam haec testimonia prolata fuerunt coram ipsis Etruscis, testibus Etruscis, scientibus Etruscis; et hi numquam iis testimoniis sunt adversati: ergo adsenserunt Etrusci, et se esse Tyrsenos Lydos certo adfirmarunt. 3. Tertio quia Scriptores Graeci, ut Strabo. V. p. 219. originem Lydam Etruscorum, non ut peculiaris hominis opinionem; sed ut traditionem, et memoriam Graecorum omnium protulerunt. 4. Quarto tandem quia ipsi Lydi publica confessione, testibus Herodoto lib. 1. c. 94. P. 19., et Tacito Annal. IV. c. 53. p. 252. se se Etruscorum consanguineos et fratres habuerunt et praedicarunt. Lydam ergo Etruscorum originem testantur ipsi Etrusci, Romani omnes, Graeci omnes, Lydi plurimi: eamque qui negant vel funditus quid sit Generis humani Historia ignorant, vel evertere eam et pessumdare volunt.

SECTIO II.

DE NATURA ET FORMATIONE REGIMINIS ETRUSCI.

CAP. I.

Regimen Politicum Etruscorum fuisse Aristocraticum, illudque acre et severum certo tenendum est.

1. *Ex nominibus Personalibus.*

Neminem ignorare puto pleraque Monumenta et Documenta Etruscorum scripta non versari nisi de *Nominibus* Personalibus. Maffeii, Gorii, Passerii,

Lanzii, Vermigliolii etc. etc. opera obvia. Quin etiam hîc in Tentaminis nostri altera parte exempla plurima prolata. Ex eis autem colligi plerosque Etruscos ingenuos, et eos quorum Tituli seriberentur fuisse, ut iam saepe monuimus, *quadrinomios*, quod sine aperta Nobilitatis et Aristocratiae adfectatione haberi non potest.

2. *Ex Hypogaeis sepulcralibus familiaribus et hereditariis.*

Scilicet aeque notum ex eorumdem literatorum Virorum operibus plurima fuisse per Etruriam Hypogaca et Conclavia sepulcralia familiaria et hereditaria, et quae adeo haberi possunt, quasi quaedam Archiva Nobilitatis et Aristocratiae Etruscae.

3. *Ex Anonymismo Politico.*

Ex tot autem Centuriis Nobilium et Optimatum Etruscorum nec Nomina Lucumonum nota, nec summorum Sacerdotum, nec insignium Haruspicum, et Vatum et Divinorum, nec eorum qui Libros condiderunt et Disciplinas crearunt: nec Principum praecipuarum urbium, nec Ducum et Imperatorum exercitus nota; nec strenui viri celebrati. Scilicet ex absurdo et deterrimo dogmate Aristocratico: nullius Civis nomen sit illustre et famosum, ne summam potestatem Populi et Plebis adiumento facile arripiat et teneat. Omnes Optimates aeque anonymi in muneribus, et officiis; si strenui erant totus ordo illustrabatur et firmabatur. si infirmi pellebantur, et succedebant alii. Qui Anonymismum Etruscum in Romanorum invidiam reiiciunt, fatuos calumniatores se probant, Rerumque humanarum ignaros. Nam nisi Etrusci ex Regiminis sui constitutione fuissent prorsus Anhistorici et Misohistorici, Cryptae suae funebres et Loculi sepulcrales, et Urnarum chiliades ingenti numero Elogiorum historicorum fuissent exornata, quae non dicam Romani religiosissimi, sed nec *infandi Senones* attigissent. Immo certum contra est omnia Monumenta

Etrusca, quae utcumque dici possunt historica, esse aetatis, et Regiminis Romani.

4. *Ex Disciplinis Sacris.*

Quae fuerunt ita arcanae et secretae, tam arcte in Familiis certis custoditae, ut universae perierint; etsi Etrusci per X saecula cum Graecis et Latinis convixerint omnium humanarum Rerum curiosis quaesitoribus, et collectoribus.

5. *Ex naturâ Divinationum.*

Quae plurimae et variae, ex omnibus coruscationibus, fulguribus, tonitribus, monstris, portentis, prodigiis, phantasmatibus, vocibus, etc. etc. Eaeque omnes tristes, terrificae, luctificae, graves, implexae: data opera a Collegiis Sacerdotalibus conditae, ut infelix Plebs his quasi ferreis catenis contineretur, et constringeretur, et ideo maneret quieta in servitute.

6. *Ex Domorum forma.*

Scilicet Domorum Etruscarum conclavia, uti refert Diodorus lib. V. c. 4. p. 360. et indicat Varro de L. L. IV. p. 38. 59. erant ita disposita, ut filii, clientes, famuli, mancipia possent contineri et detineri et averti. Erant profecto aedes optimatum et dominorum.

7. *Ex paucitate urbium munitarum, prae amplitudine Populi, et Regionis.*

Nam ubi pauci sunt Domini, ut in Regimine Aristocratico severo paucae urbes et parvae sunt satis, ut eos tueantur: reliquo populo et plebe per pagos et vicos disperso. Adeoque teneri potest non nisi XII. urbes initio, et eas non magnas fuisse munitas, quibus et Lucumones, et Collegia Sacerdotalia, et praecipua Civilitatis Etruscae elementa castice, ut dicemus paullo post, ex profundissima prudentia, disposita, continerentur.

8. *Ex nullitate magnorum et ingentium Templorum, Basilicarum, aliarumque publicarum Aedium.*

Quum imperium eminens et summum in Etruscos iam Saeculo V. Urbis declinante non Lucumones et Collegia Sacerdotalia exercerent, sed Senatus Populusque Romanus, si rudera et reliquiae viginti vel triginta magnarum et ingentium Aedium publicarum fuissent detecta in Etruria et animadversa, nil fuisset mirum; nam natura Regiminis Romani non modo patiebatur, sed postulabat aedes huiusmodi. At contra fuisse olim posita in Etruria magna et ingentia Templa, amplas et spatiosas Basilicas demonstrari certo non potest: imo omnia evidenter ostendunt nulla olim fuisse posita et erecta: scilicet quia Oligarchia dominatrix suspiciosa atrox angustis et secretis locis gaudet. Tum servatis a Politica Romanorum prudentia collegiis Sacerdotalibus Etruscorum superbis, arcanis, hereditariis, haec in parvis et minutis aediculis sese colligebant, et coibant: nec Paestano aliquo vel Agrigentino Templo egebant, ut arcana sua liturgica vel addiscerent, vel docerent.

9. *Ex Comitiis universae Gentis in uno Voltumnae Fano habitis.*

Ut constat ex Livii libr. IV. c. 23. p. 271. IV. c. 61. p. 316. Ex libr. V. cap. 17. P. 338. VI. c. 2. p. 3. ex libr. X. c. 16. p. 265. usque ad annum urbis 445. quo in Fano non potuerunt cogi et congregari nisi Lucumones, et Pontifices, et distinctissimi tantum Optimates ex legibus severae et oligarchicae Aristocratiae.

10. *Ex nomine Principum et Lucumonum, et Primorum, et Virorum sublimium, quo Rectores et moderatores Reipublicae Etruscae exornabantur.*

Principes appellat non semel Cicero II. de Legib. c. 11. p. 471. De Divin. I. c. 41. p. 284. *Principes* Livius libr. VI. c. 2. p. 3. libr. X. c. 26. p. 265. Varroni dicuntur *sublimes Viri* de R. R. II. c. 4. p. 23. et *Primores* Claudio Imperatori apud Tacitum IV. Ann. c. 15. p. 140. *Lucumones* sive

Reges a מלך MLK Rege appellat Censorinus de Die Nat. cap. IV. pag. 28. Servius. ad Aen. II. v. 278. 279. V. v. 560. VIII. v. 475. etc.

13. *Ex arte Piratica.*

Etruscos ex Reipublicae suae constitutione ad aetatem Pyrrhi late fuisse infames Piratica constat ex Diodoro Siculo Libr. XI. c. 58. p. 471. Cicerone de Republ. II. c. 4. p. 139. Strabone libr. V. p. 229. 232. libr. VI. p. 267. Servio ad Aen. VIII. v. 479. Isidoro libr. 18. c. 4. p. 458. Metrodoro Samio, apud Athenaeum libr. XV. c. 4. p. 672. Haec autem Piratica in raptura et venatione scelestissima potissimum *hominum* erat posita, sive in formatione Mancipiorum, quibus ergastula Optimatum implebantur, ut modo addemus.

14. ***Ex immani numero Mancipiorum et Ergastulorum Etruscorum.***

Quod historice constat ex testimoniis Diodori Siculi libr. V. c. 40. p. 362. Appiani Alex. libr. I. Bell. Civil. p. 253. 254. Valerii Maximi libr. IX. c. 1. p. 582. Athenaei libr. IV. c. 12. p. 153. et potissimum Dionysii Halicarnassei, qui libr. IX. p. 575. *Penestis*, sive servis Thessalis ingentem partem Plebis Etruscae comparat. Quin acerbissime in Mancipia et servitia sese Etruscos gessisse Proverbium Graecum Δεσμοι Τυρρηνοι demonstrat, quod afferunt Hesychius, et collector Proverbiorum, quae edidit Schottus pag. 207. Magnumque est Martialem desinente iam primo saeculo Christiano scribere libr. IX. Epigr. 23. p. 491. *Et sonet innumera compede Tuscus ager:* et Iuvenalem Satyr. VIII. v. 180. *Quid facies talem sortitus, Pontice, servum?* » *Nempe in Lucanos, aut Tusca Ergastula mittes* ». Tandem locus Livii libr. V. c. 1. p. 318. est adnotandus, ex quo colligitur unum ex Lucumonibus publicorum Ludorum solemnitatem interrupisse Artificibus subtractis, quod maxima ex parte eius servi essent.

15. *Ex luxu vitae.*

Vitam mollem, deliciosam, desidem, luxuriosam exprobrarunt Etruscis Dionysius Halicarn. libr. II. p. 105. libr. IX. p. 575. Diodorus Siculus libr. V. c. 40. p. 363. plures Graeci apud Athenaeum libr. IV. c. 12. p. 153. XII. c. 4. p. 517. Catullus Carm. 39. aliique plures. Atqui nulla Familia potest luxu et deliciis affluere nisi adsint plurima mancipia et servitia, nisi spectet ad ordinem Optimatum et Principum, et Potentum, Plebe reliqua et paupere et serva.

16. *Ex prostitutione mulierum.*

Quam infamiam Etruscis obiiciunt plures Auctores veteres apud Athenaeum libr. XII. c. 4. p. 517. et aliqua ex parte etiam Heraclides Ponticus de Politiis pag. 525. edit. Cragii. Quae infamia, si de uxoribus et filiabus, et sororibus Larthum, Lucumonum, Sacerdotum, et Nobilium agitur, habenda est prorsus falsa et calumniosa. Nam data filiarum corruptione, et uxorum adulteriis, est data necessario filiorum incertitudo, et prolis ambiguitas: et ideo nullum esse potest Regimen Aristocraticum et Optimatum. Et contra si certum est regimen Etruscum usque ad totalem Gentis extinctionem fuisse pertinacissime aristocraticum, quantum scilicet et tempora et vices humanae pati poterant, Romanis Dominis; certo etiam tenendum uxores, filias, sorores Larthum et Lucumonum fuisse castissimas, nec nisi in proprio ordine filios suscipere ex selectissimis personis constantissimo consilio sibi proposuisse. At si istae nequitiae de tenuioribus mulieribus, et inferiorum Classium uxoribus intelliguntur, verissimas et plane genuinas Veterum traditiones tenebimus. Nam inter arcana et infanda dogmata Aristocratiae severae fuit, corrumpendas funditus origines Plebeiorum, ut miseri hi nescientes et qui essent, et unde essent, nec coire in Ordines et Classes possent, nec uno nomine rebellare, sed innominati, obscuri, ignoti ad unam servitutem se esse natos sentirent. Et si Romae ubi

conditio Plebeiorum longe mitior et minus iniqua fuit, inclamatum est publice et frequentissime in Comitiis a Patriciis usque ad V. saeculum Urbis CONNUBIA esse SUA: et Plebeios *agitare nuptias more ferarum:* quis mirari posset, si apud Gentem, penes quam despectior Plebs et humilior, mulierculae huius conditionis frequenti prostitutione pollmerentur, filiique plures nascerentur *apatores*, sive incerto et ignoto patre. Et profecto qui ad hoc detestabile dogma Aristocraticum animum advertit, non mirabitur si in celebri Papyro Graeca Borgiana edita a Dano Nicolao Schow ingens numerus Aegyptiorum, ipso secundo saeculo Christiano, ut mihi videtur, sit *apator*, et unam matrem nominare valeat. Tantum adhuc valebant Collegia Sacerdotalia, et hactenus tam pertinaci coniuratione mutuo adhaerebant; quod simili plane modo factum in Etruria tota Gentis historia pragmatica demonstratur.

17. *Ex bellica imbecillitate.*

Per quinque fere saecula, per quae acriter et pertinaciter Etruscos inter et Romanos bellatum fuit, fere semper Romanos Etruscos debellasse, et postremo domuisse penitus et subiecisse certum est. Sunt profecto Etruscomanes, qui mendaces faciunt Romanos Historicos, sed hi omnium primum fatuos et insensatos debent declarare Etruscos suos, qui summos Etruriae Imperatores, et victores Duces, et strenuissimos Milites, et triumphatores Lucumones in arcanis Cryptis funebribus ineptis nominibus cumulantes, et laudes eorum, et munera bellica, et officia civilia, et victorias et triumphos numquam, nec adposuerint, nec adscripserint. Tum se rerum humanarum Scientiae imperitos atque ignaros se ostendunt. Nam si ex una parte impossibile est Romanos et Graecos historicos potuisse gravissime de publicis factis mentiri, ex alia parte non tantum possibilis, sed prorsus necessaria exstitit Etruscorum Bellica imbecillitas ex absurditate et ini-

quitate Regiminis Aristocratici severi et liturgici. Nam in hoc Regimine pauci esse possunt milites strenui, plerique imbelles, molles, vel ad domestica Ergastula et mancipia occludenda, custodienda, servanda occupati. Clientes pauci. Plebeii hostes et fugaces.

18. *Diuturna patientia Romani imperii.*

Etruscomanes inter maximas et deterrimas calamitates numerant occupationem a Romanis factam Etrusci Imperii; nos contra contendimus tum beneficium humano Generi factum, tum maius ipsis Etruscis. Nam secus si durasset severitate sua Regimen Aristocraticum in Etruria non modo nullum civilitatis incrementum habere potuisset Etruria, quin ne paucissimae quidem Inscriptiones ad nos pervenissent. At contra occupato a Romanis Imperio Regiminis eminente et summo, Collegia Sacerdotalia iuribus servatis et opibus potuerunt libere Religionibus suis vacare, et libris: tum a bellicis periculis immunes, et otio pacis abundantes plerique debuerunt necessario amare et diligere dominos suos. Ex reliqua Plebe, plerique legibus mitioribus, et maiore commerciorum libertate uti coeperunt, quumque esset liberum militare cum Romanis, et praemia capere, amare non odisse Regimen aequum fuit, quo fortunam suam augere non imminuere, si singulis libuisset, licuisset. Ex quo fieri necesse fuit ut iugum Romanorum haudquaquam Etruscis ita asperum et intolerandum videri potuerit, ut per frequentes et atroces coniurationes deiicere tentarent, vel conarentur evertere.

Cap. II.

Regimen Politicum Etruscorum constitutum fuisse et fundatum a Tyrsenis Lydis, non a Tyrsenis Samothraciis, vel Arcadibus Pelasgis tenendum est.

1. Primo quia Scriptores veteres superius citati pag. 12. qui de Etruscis loquuti sunt, Tyrsenos *Lydos* unice laudarunt et celebrarunt.

Quin ex arcanis dogmatibus Aristocraticis fundator Gentis, summus et primus Lucumo, κτιστης Reipublicae est TARCHON vel Tarcho *Lydus* et Tyrsenus, qui ex Strabonis, Lycophronis, Virgilii, Silii Italici, Ioh. Lydi, Eustathii, et aliorum testimonis vel idem vel gemellus Mythicus TAGETIS est dicendus atque habendus.

2. Secundo, quia Epochae Civitatum Etruscarum fundatarum vel foederatarum Epochae Lydorum Tyrsenorum, non aliorum vetustiorum respondent.

Nam si adventus Lydorum Tyrsenorum non ante X. vel IX. Saeculum Prochristianum potest constitui, ut peculiari capite expendimus, adventus Tyrsenorum Samothracum duobus seculis vetustior est statuen dus, et Arcadum Dardaniorum et Umbrorum adhuc vetustior atque antiquior, idque ex omnium, quos scimus, Chronologorum calculis, et veterum Historicorum consensu.

3. *Tertio quia omnis Politicae Potestatis insignia, vestes, ornatus Lydae originis esse, non Samothraciae vel Arcadicae veteres Scriptores tradiderunt.*

Inter quos cum primis laudandi Dionysius Halicar. libr. III. p. 195. et Silius Italicus libr. VIII. v. 485. 486. et aliqui ex illis, qui de originibus Insignium Romanorum loquuti sunt superius laudati pag. 14. 16.

4. *Quarto quia per alia argumenta constat Pe-*

lasgos Arcadicos, et Tyrsenos Thessalos aequiore Regimine et mitiore usos.

Quod satius paullo post animadvertemus, Criteriis trium populorum collectis atque examinatis.

C a p. III.

De ratione et modo quo Respublica Etruscorum a Lydis Tyrsenis est constituta.

1. *Primo debellatione et victoria.*

Quod non semel tum Virgilius Aen. VIII. 480. 481. tum Silius Italicus de Etruscis agentes aperte indicant; ut etiam Diodorus Siculus libr. V. cap. 40. p. 362. Wess. Tum Plinius Secundus libr. III. cap. 14. scribens p. 121. *Umbrorum gens antiquissima Italiae existimatur.....Trecenta eorum oppida Thusci debellasse reperiuntur.* Quae oppida posita fuisse non circa Sapim, Aesim, et Metaurum, sed circa Umbronem et Clanim est certo tenendum. Nam ea aetate trecenta oppida immane prorsus terrarum et agrorum spatium occupare necesse fuit: et quoniam nec ad Aesim nec ad Metaurum Etrusci habitarunt, sed omnino ad Umbronem et Clanim, absurde scripsisset Plinius fuisse Umbros debellatos per 300 oppida, si tantum etiam vi et coacti Etruscos sive Tyrsenos Lydos per agros suos transire sivissent: sed trecenta illa oppida insignem partem verae et propriae Etruriae tum ab Umbris et Arcadibus Pelasgis occupatam constituisse tenendum est, in qua debellatione occupata fuit Etruria a Tyrsenis Lydis. Et ego non dubito quin infamia illa servitutis, quam *Pelasgi* etiam Italici contraxerunt, et de qua loquuti sunt Stephanus Byzantinus in *Chio* pag. 758. et Eustathius in Dionysii Perieg. v. 555. p. 202. Huds. ex hac maxime debellatione a Lydis facta ortum habuerit. Nam saepe Pelasgorum nomine, quasi uni, et per excellentiam dicerentur, appellatos Arcades et Chaones et Lycao-

nes ingenti veterum testimoniorum numero demonstratur.

2. *Elevatione totius vel fere totius Tribus et Gentis Lydae ad nobilitatem et patriciatum.*

Ut fecit Cyrus Achaemenides de Gente Persarum, ut fecerunt Heraclidae occupata Peloponneso, ut fecerunt successores Alexandri occupata Asia, quoad ingentem Macedonum numerum: ut fecerunt deinceps Tartari Mogolli, Mangiurii, Turcae occupatis amplis imperiis.

3. *Constitutione Collegiorum Sacerdotalium per certas familias.*

Plurima collegia Sacerdotalia fuisse apud Etruscos constituta iam adnotatum a pluribus; eaque fuisse etiam per Familias propagata notum: ad quam rem firmandam sufficiunt haec desumpta ex libr. XI. Annal. c. 45. p. 131. Cornelii Taciti ubi scribit. » Claudius Imperator anno Christi 47. » *Retulit ad Senatum super Collegio Haruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret: saepe adversis Reipublicae temporibus accitos, quorum monitu redintegratas ceremonias, et in posterum rectius habitas, Primoresque Etruriae sponte, aut Patrum Romanorum impulsu retinuisse scientiam, et in Familias propagasse.* Et ego arbitror magnum numerum *cognominum*, sive secundorum Nominum Etruscorum non esse divisiones Gentis, sive Familiae magnae, sed esse potius nomina Collegiorum sacrorum, ad quae illa Gens, sive Familia potius erat adgregata et adlecta.

4. *Adgregatione* ad Nobilitatem Lydam omnium praestantium Familiarum Thessalicarum, Samothraciarum, et Arcadicarum, sive Umbrarum, Oscarum etc. Nam 1.° nisi hoc Politico temperamento dato est ferme impossibile Tribum externam Regimen ponere Aristocraticum et severum, quod aliquamdiu duret et permaneat. 2. Secundo quia Nominibus Etruscis con-

sideratis, plura Umbra, et Arcadica, et Protosabina sunt dicenda, non Lyda; ut Gens *Camarinea*, *Sentinatis*, *Casperia*, *Pomponia*, *Uhtavia*, *Hurtensia*, *Latinia*, *Petrunia*, etc. etc.

5. *Unitate Doctrinae Sacerdotalis*, *et Linguae Theologicae et Politicae Collegiorum Sacrorum.*

Nam ut diximus Pag. 26. et omnes sciunt, unus TAGES Doctrinarum Revelator et Magister, unus TARCHON κτιςης Gentis et fundator Regiminis Politici et sacri celebratus Etruscis, ut *Taautus* Aegyptiis, cui Taauto nos ipso nomine *Tagetem* Etruscum simillimum ostendimus in *Pantheo*. Et plane mirum per decem fere saecula historiae Etruscae et Romanae, nullam unquam haeresim, nullam gravem divisionem doctrinarum vel linguae factam in Collegiis Sacerdotalibus Etruscis, quae literis mandaretur.

6. *Casticismo Urbium Etruscarum.*

Si Urbes alicuius Gentis puta XII. ita sunt politice constitutae, ut singulae servent unum tantum ex institutis Patriis, et elementis insignibus civilitatis, quibus universa Gens utitur: tum singulae quidem Urbes erunt infirmae et imbecilles, sed tota Gens robustissima. Nam quum nulla ex XII. Civitatibus possit politice vivere absque concursu et ope reliquarum, Gens est vere et necessario una, et intime coniuncta, et inseparabilis; quum contra si singulis Urbibus essent omnia civilitatis elementa, ex omni caussa dissidia possent invicem oriri, et inde separari et discerni, et corpus politicum dissolvi et corruere. Huius *Casticismi* urbani exemplum una plane Aegyptus potest in Oriente suppeditare, in Occidente una Etruria; in qua etsi plane mature per Imperium eminens Romanorum etiam memoria huius *Casticismi* primi et originalis abolenda fuisset, certum tamen est posse nos ea argumenta colligere, quae ad rationalem persuasionem sint satis. Et profecto I. *Vetulonia* prima sese offert cum suo Tri-

bunali et Iudicibus, et Sellis, et insignibus politicae potestatis. Hac *Urbe* erant collocati Iudices summi Iurisperiti Gentis, Legum doctores, mihique probabile nomen VETULONIAE factum a בית-אל-ענה BIT-AL-ONE: scilicet *Domus* sedes destinata *ad responsa.* 2. *Tarquiniis* constituta Sepulcra Gentis solemnia, potiora, plura, nemo consideratis Cryptis sepulcralibus superstitibus poterit dubitare: et adeo ibi Collegia, si licet dicere, *Acherontica* posita vehementer probabile. 3. *Vulsiniis* constitutas praecipuas fucinas fusorias, et ibi insigniora Hieroagalmata et Sigilla Tuscanica condita dubitare non licet. Nec aliunde oriri potuit fabula illa Metrodori Scepsii relata a Plinio libr. XXXIV. c. 7. p. 328. *propter duo millia Statuarum Volsinios expugnatos.* Et mihi est valde probabile nomen urbis factum a פלץ-נוה PLTZ-NVE, quasi *Idolorum habitatio*: quum Semitoglossis saepe hoc sensu vox sumatur. 4. *Volaterris* positi Urnarum funebrium fictores et plastae, de quibus in opere *Monum. Etrusci* Inghiramius egit, etc. 5. *Aretii* vasorum Figuli. 6. *Populoniae* et vicinis Urbibus Nautae insigniores et Piratae. 7. *Caere* Mysteria Cabirica. 8. *Phesulis* collegia *Fulguriatorum.* 9. *Clusii* quandoque saltem sedes Regia, et *vasa melanoglypta*, et Artifices Hierographiae Samothracicae, etc. etc.

CAP. IV.

De criteriis et characteribus trium Gentium praecipuarum, ex quibus Respublica Etruscorum coaluit.

I. *Indicantur criteria Pelasgorum Arcadicorum, et Dardaniorum sive Proto-umbrorum.*

1. *Vita Pastoralis.* 2. *Agricola.* 3. *Commercialis.* 4. Regimen Aristocraticum plane temperatum et Plutarchicum: unde cura *Nummorum* plane cha-

racteristica. Nulla enim est vetus Gens quae prae *Osca* sive Pelasgo-Arcadica Numismaticae magis studuerit; adeo ut si quis Nummos veteres Etruriae considerat, vel omnes vel fere omnes, ad eas civitates et urbes spectare deprehendat, quae originis et stirpis Oscae et Volscae fuerint, non ad eas, quae vere et propriae Tyrsenicae sive Thessalicae, sive Lydae naturae extiterint. Et certum est Stemma Volaterrani Nummi factum a *Protome Bicipite* Iuvenili esse *Mercurium Arcadicum*, non *Ianum*, vel alium Deum Lydum: et dici *Bel-Atri* sive *Deum duplicem* bicipitem, Osce nempe. 5. *Pantheum Panis* sive *Silvani* et *Inui*, et *Mercurii* Arcadici et Atlantii. 6. *Cabirismus*, sive potius *Gemellismus Cabiricus* Dodonaeus. 7. Usus *Sepulturae* non combustionis cadaverum. 8. *Vasa picta* sepulcralia, sed plane et prorsus rudia; et paucissimis distincta figuris, iisque palliatis. 9. Dialectus *Linguae* Volscae, non Etruscae genuinae, cuius fragmentum et specimen putamus servari in lance Tuscaniensi, cuius inscriptionem dedimus in secunda Tentaminis huius parte. Sed quoad criteria vide etiam priorem partem Tent. Hermen. Osci.

II. *Indicantur Criteria Tyrsenorum Thessalicorum et Samothracum.*

1. *Moenia Cyclopica* lapidibus scilicet immanibus et polygonis et incertis condita, de quibus iamdiu loquuti sunt plurimi.

2. *Nautica* et *Piratica*. Nam nec Tribus Oscae neque Volscae, neque Umbrae potuerunt in his Artibus umquam excellere, sed uni Tyrseni Thraces, Bithyni, Hellespontii.

3. *Stilus Hierographicus* curiosus, adfectatus, crypticus, systematicus. Nam nos tenemus ad Pelasgos hosce Tyrsenos, etsi Graecis artibus et Mythis imbutos, esse referenda illa Monumenta Hierographica, quae in Insulis Thraciae reperiuntur posita certe VI. et V. saeculo Prochristiano.

4. *Vasa Melanoglypta*, quae tum Clusii potissimum, tum aliis in locis Etruriae reperiuntur, vasa nempe non picta, sed anaglyphica, vasa propria Etruscorum: sed quae quum non possint tribui neque Etruscis Volscis et Arcadicis, nec Lydis, omnino restat esse tribuendos Samothraciis, et stilo, moribusque consideratis prorsus iure.

5. *Vestes splendidae*, amplae, variae, peculiares: quod manifesto colligitur ex Dramatibus Hierographicis quae supersunt.

6. *Pantheum Cabiricum*, sed vetustum, purum, et carens adhuc *Hercule*, quasi uno ex Gemellis divinis, sive Dioscuris.

7. *Cryptae* et *Cavernae Funebres*, hypogaea, sed cadaveribus non cineribus destinatae. Nam aetate sua hactenus Cabirismus severus durabat. Et nulla combustio cadaverum: quae cum Hercule coepta est.

8. *Dialectus* hactenus ignota Linguae et incomperta. Probabile tamen est plures ex Glossis, quas Hesychius Tyrsenis tribuit, his ipsis Thessalis et Samothraciis tribuendas. Hae Glossae in Sect. I. Cap. I. Partis secundae huius *Tentaminis* a nobis proferuntur et explicantur.

III. *Indicantur Criteria praecipua Tyrsenorum, Lydorum.*

1. *Pantheum Cabiricum*, et Samothracium, sed auctum *Hercule* Perseide sive Tarsisio.

2. *Collegia Sacerdotalia plura* accuratissime condita ordinata subordinata.

3. *Cryptae funebres urnis Dramaticis* ornatae, quibus peculiare genus *Lexeoschematum* conditum, relativum ad ipsa Defuncti Nomina ibi *Lexeoschematice* expressa: et de quo Scripturae genere nos iam egimus non semel.

4. *Stilus Hierographicus* Theologice quidem crypticus, profundus, difficillimus, Technice prorsus

rudis, rigidus, vel nudus, vel pannosus: sed naturalis, non adfectatus.

5. *Nulla* ingentia *Templa*, nullae Aedes divinae amplae magnae, et ideo nullae *Statuae* et simulacra Deorum ingentia, magna, vel aequae saltem magnitudinis. Sed omnia Signa parva minuta tenuia, quae manu ferri et gestari possent, paucissimis exceptis.

6. *Disciplinae arcanae Fulgurales, Extispicinae, Augurales, Necromanticae*, et *Acheronticae*.

7. *Lingua Pelasgica* similaris Noachica facta Idiomatica a Collegiis Sacerdotalibus, ut in *Fundam. Glossosophicis* nostris animadvertimus.

8. *Regimen Aristocraticum*, Sacerdotale una et Militare, sed severum, utque appellant oligarchicum, acre, et per Collegia Sacerdotalia et liturgica acerrima superstitione et distinctum accurate, et munitum fortiter. Vid. dicta superius a pag. 18. ad 25.

SECTIO III.

De remotioribus et vetustioribus originibus Etruscorum.

Caput I.

Etruscos e Gentibus Inalpinis vel Trans-Alpinis ortos et genitos: vel civilitatem eorum in Rhaetia atque Alpibus primum conditam et constitutam tenere absurdum et anhistoricum est.

1. *Primo quia hae Pseudorigines Etruscorum inalpinae nullo veterum Scriptorum testimonio, nulla auctoritate demonstrari possunt.*

Nam literati viri, qui has Pseudorigines commenti sunt, vel probarunt, et receperunt, ut Cluverius, Freinshemius, Freretus, Pelloutierius, Brukerus, Bardettus, Heynius, Niebuhrius, Gherardus, aliique ne unum quidem locum Scriptoris veteris, ne minimum quidem testimonium excitare valuerunt, quo opinionem positam tuerentur. Atqui ubi testes non

sunt, ubi auctoritates non sunt, Historia non est. Ergo hae Pseudo-origines sunt anhistoricae: et propterea penitus et omnino respuendae et damnandae.

2. *Secundo quia certum est Gentes Inalpinas et Adalpinas ad civilitatem et cultum humanum longe serius pervenisse quam Gentes Italiae mediae, et cuiuscumque Gentis insignis australioris.*

Id enim certissimo constat ex historia pragmatica totius Generis humani, omnium nempe Veterum Gentium illustrium et clararum, quarum nulla, prorsus nulla posita fuit ultra gradum 40 vel 45 latitudinis septemtrionalis ante sextum saeculum prochristianum, imo ante primum Christianum. Assyrii, Syri, Mesopotamii, Phoenices, Chananaei, Palaestini, Poeni, Libyes, Aegyptii, Indi, Sinenses, Iaponii, Aethiopes, Medi, Persae, Phryges, Lydi, Pelasgi, Leleges omnes australiores gradu 45. Et si tu non per deliria quorumdam literatorum, ut Rudbekii, Becani, Baillyi, Pelloutierii, sed per genuinas et sinceras traditiones exquiris et petis originales et primas sedes *Proto-Scytharum* et *Proto-Celtarum*, non ultra proxima Armeniae loca, et *Araxem* fluvium, et Tauri montis catenam, et Oras Ponti Euxini, et Chersonesum Cimbricam, et Danubium adhuc VI. e V. saeculo Prochristiano, imo adhuc secundo et tertio invenies et deprehendes. Qui secus faciunt, historiam Generis humani absurde et misere confundunt et perdunt.

3. *Tertio quia est praeiudicium absurdum, puerile, et an-historicum tenere: quod primi vetustiores et potiores Italiae incolae atque habitatores per terrestre iter, et adeo necessario per Alpes penetrare in eam debuissent.*

1. Primo quia falsum est ad quamcumque navigationem nescio quam exquisitam, sublimem, et variam civilitatem expostulari: quum sit historice certissimum, quod plane innumerae Gentes penitus barbarae non solum fuerint et sint nauticae, sed

audacissime et remotissime rates suas impellant. Secundo quia est aeque falsum omnia itinera terrestria tutiora et faciliora esse prae maritimis; quin ego aio saepius maritima terrestribus tutiora, faciliora, et potiora esse. Nam terrestri itinere superandi montes nivosi, asperi, intractabiles, alpini, sunt vel necandae vel vitandae plurimae feroces belluae, sunt debellandae vel placandae Tribus hostiles, et inimicae: sunt superanda deserta, sylvae, nemorosae terrae et penitus sylvestres et inviae: sunt tranandi amnes, vel flumina ingentia; et alia huiusmodi plurima: adeo ut si ponimus, ut factum revera est, circa varios Epiri sinus aliquot Tribus Pelasgorum Arcadum, Tyrsenorum, Aborigenum collectas, quae in alias terras demigrare velint, quaequae sit civilitatis conditio, quam eis adtribuere velis, semper itineri terrestri infinito difficillimo asperrimo transfretationem in Italiam per sinum Adriaticum praeferant, et seligant. Quamobrem dato centro Ethnosporadis Generis humani circa gradum 36 Norticae latitudinis, datisque Traditionibus mythicis navigationum *Dardani*, et *Ionis Inachiae*, et omnium *Tyrsenorum*, imo data *Saturni* et *Iani* bifrontis *rate* longe vetustissima, est praeiudicium plane imperitum et absurdum primas et vetustiores colonias Italicas ducere per Alpes terrasque adalpinas.

4. *Quarto quia omnes Scriptores veteres, qui de Etruscis egerunt, primas et vetustiores eorum sedes in Italia media collocarunt.*

Ita quidem Polybius, ita Dionysius, ita Diodorus, ita Livius, ita Strabo, ita Plinius, ita reliqui universi, nullo excepto. Nec est praetereundum Virgilium Maronem etsi Patriae amantissimum, et Philo-Etruscum, et Poetam, receptas traditiones suscepisse probasse et firmasse.

5. *Quinto, quia historice certum est Etruscos ex Italia media ad Padum et Alpes processisse, non contra.*

*

Id enim perspicue et pluribus testati sunt Polybius libr. II. c. 17. p. 169. 170. Livius Patavinus civis Transpadanus libr. V. c. 33. p. 368. Diodorus Siculus libr. XIV. c. 113. p. 727. Wessel. Strabo libr. V. p. 212. 216. Plutarchus in *Camillo* I. p. 136. Virgilius libr. X. Aen. v. 165. Plinius libr. III. c. 19. pag. 127. Scholiastae Virgiliani Flaccus et Caecina ad Aen. X. v. 129. 130. atque ex his Strabo loc. cit. adnotat non *Etruscos* solos, sed etiam *Umbros* laudabili aemulatione motos colonias ad Padum et trans Padum emisisse ex Italia media.

6. *Sexto, quia aeque historice certum est Rhaetos inalpinos ex Etruscis adpadanis, quos Galli VI. V. IV. Saeculo Prochristiano eiecerunt et fugarunt, ortos et natos fuisse.*

Nam id testantur locupletissime idem Livius libr. V. n. 33. p. 358. Plinius libr. III. cap. 6. p. 128. Iustinus libr. XX. c. 5. p. 182. Stephanus Byzantinus in v. Ραιτοι. Scilicet quum ingens Gallorum numerus circa aetatem Tarquinii Prisci Regis Romani primum in Italiam circa Padum se iniecisset, tum ex colonis Etruscis, qui advenerant, Cispadani remearunt in Patriam, auctoque paullo post Porsenae Clusini Regis exercitu omnia illa, quae scimus egerunt in Romanos; at ex Etruscis, qui trans Padum sedes posuerant intercepti a Gallis, quum atrocem ferociam Gallorum fugere vellent, nec in Patriam remeare fuisset datum, satius rati sunt, se se in montes Rhoeticos recipere, et ibi sedem figere, quod fecerunt: in quibus montibus Tribubus aliis Celtarum et Germanorum barbaris, ut credere par est, coniuncti, ita moribus immanes facti, ita sunt efferati, ut ipso primo Saeculo Christiano, vel paullo ante, propiores belluis, quam hominibus viderentur, ut testes sunt Horatius Flaccus IV. Odar. 4. v. 14. 15. Strabo V. p. 203. 206. Velleius Paterculus libr. II. c. 95. p. 457. Lucius Florus libr. IV. c. 12. p. 285. Dio

Cocceianus ad ann. 739. libr. LV. p. 751. c. 22. aliique. Hoc igitur delirio inalpino Frereti in *Oeuvr.* IV. p. 236. 237. et Niebuhrii in *Histoire Romaine* I. p. 105. 106. vix quidquam magis absurdum, et anhistoricum fingi potest.

C A P. II.

Pelasgi Tyrseni Patres et Fratres Etruscorum habendi sunt filii Tarsis Iavanidae.

1. *Primo quia adest legitima Nominum homiophonia.*

Nam תרשיש TRSIS *Tarsis* vel *Tirsis* est nomen secundi filii *Iavan*, filii *Iaphet*, filii Noe, a quo novum Genus humanum a Diluvio reparatum initium duxit: et *Tirsis* sive *Tarsis* sunt ipsi *Tyrseni.* Atqui similis homiophonia visa est semper omnibus Archaeologis sufficiens et satis idonea ad origines Gentium exquirendas, et mutuo adnectendas: suntque adeo innumeri prorsus doctissimi viri a Iosepho Flavio Hebraeo ad quemcumque recentissimum Geneseos Commentatorem, qui has analogias et probent et teneant. Adeo ut ipse Volneius in *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne* To. 1. etsi systematice Hebraeis Scriptoribus infensissimus has analogias Nominum non modo non spreverit et reiecerit, quin contra collegerit et saepe scite, et vere illustraverit. Et prorsus iure. Nam, ut alibi etiam monuimus, quidquid Bochartus aliique obiecerint, consensu Generis humani certum est plerosque Populos et Regiones a Patribus et Fundatoribus suis appellari, et nomina sumere, et ideo esse intrinsece probabile *Tyrsenos* a Patre *Tyrsio* sive *Tarsisio* dictos et nuncupatos.

2. *Secundo quia Tyrseni nautae praestantissimi.*

Tyrsenos sive Thessalos et Samothraces, sive Lydos fuisse Nauticae peritissimos superius p. 7. 13. adnotatum. Ex alia parte *Tarsisios* sive Tribus ortas a *Tarsisio*

Iavanida addictissimos pariter fuisse Nauticae ex pluribus testimoniis Scriptorum Hebraeorum certum est: qui ipsos *Phoenices* quandoque appellant *filios Tarsis*. Et si nemo dixerit *Naves Tarsis*, ut saepe appellantur in libris Hebraeorum, esse naves *filii Iavan:* nemo aeque tenebit esse et significari *naves maris* quod Gosselinius tueri voluit frustra. Nam in nulla Dialecto Semitica תרשיש TRSIS est *mare:* sed omnino in Bibliis Hebraeorum profunda Vox תרשיש TRSIS naturam et destinationem harum navium egregie significat: Scilicet טרש THRS est *quaerere*, *investigare*, indagare: et primae nauticae expeditiones non factae ad inferendas proprias merces, supellectiles, artificia in alias terras, sed ad quaerenda et acquirenda imo rapienda et convehenda, quae deerant, et potissimum metalla, adeo ut *Naves Tarsis* essent naves *investigationis*, inquisitionis potissimum metallorum et rerum pretiosarum.

3. *Tertio quia Etrusci fuerunt Perseidae*, *et Perseus omnino Tarsisius.*

Etruscos fuisse Heraclidas superius adnotavimus: et quoniam Hercules putabatur natus ex Persei filiis, ideo possemus iure tenere Etruscos fuisse pariter Perseidas. Atqui etiam ex monumentis Etruscis Idio-Ethnicis constat Perseum cultum fuisse ab Etruscis, et adeo ipsos fuisse Perseidas: Mythicum autem genus *Persei* fuisse *Tarsisium* tum facilis permutatio Ph. in Th. suadet, tum dictum mare Perseidarum sive sinus *Persicus*, qui fuit sinus *Tarsisiorum* primitivus, et ubi etiam decimo saeculo Prochristiano est quaerenda *Tarsis* Salomonis Hebraei. Vid. Gosselinii *Recherches sur la Geograph. systématique* Tom. III. tum fundatio *Tarsi* Cilicum metropolis Perseidis tributa, tum intima cohabitatio Perseidarum cum Phoenicibus in Ioppe, et aliis Urbibus Palaestinae.

4. *Quarto quia octavo Saeculo Prochristiano*,

summa Etruscorum potestate in Italia explicatâ et constituta, Tarsis Ionae Prophetae in Italia potius , quam alibi quaerenda est.

Universam *Italiam* Graecos appellasse *Tyrseniam* sive *Tarsisiam* superius adnotatum p. 6. 7. Etruscos porro constituta sua Republica nautica et piratica celebres extitisse, imperiumque Italiae aliquamdiu habuisse auctoritate Livii libr. I. c. 2. et libr. V. c. 54. Servii ad Aen. XI. v. 567. atque aliorum aeque certum. Et Etruscos non modo Campaniam Oscam hanc occupasse, sed et Marcinam in Picentinis posuisse ex Strabone libr. V. pag. 251. notum; quin mihi persuasum est hos ipsos Etruscos aliquamdiu et Cotronem et loca adiacentia et Sinum Scylleticum habuisse, et nomina indidisse, et commercia ibi exercuisse. Aetas autem, qua hoc imperium Etrusci exercuerint nulla opportunior, quam VIII. saeculum Prochristianum, quo in Italia ipsi fortissimi, Romani vel nulli, vel longe infirmissimi: Hellenes, Galli nulli; quin Paeni, et Phoenices ob potentiam Assyriorum iam constitutam infirmi. Adeoque ipsi uni tum florebant, quibus quoddam imperium et dominatio in mediterraneum, et adeo aequissima opportunitas, ut mare occidentale Tyrsenicum vel Etruscum, orientale Adriaticum diceretur, tribui potuit. Hac autem ipsa aetate Ionas hebraeus Propheta ne iret in Niniven, Ioppen Palestinae urbem venit, ut peteret *Tarsis*. Qui *Tarsisiam* Ionae faciunt *Tarsum* Ciliciae faciunt imperite: qui putant esse vel Tartessum Baeticae, vel Carthaginem, non viderunt esse longe satius tum *Italiam* cogitare, quae erat revera *Tarsisia*, et tum ceteris et propior, et celebrior, et illustrior, ob Tarsisiorum sive Tyrsenorum imperium constitutum; quin ob Colonias et commercia ipsorum Ioppensium et Perseidarum sive Tarsisiorum Palaestinorum: quum dubitari non possit plures Salentinorum et Messapiorum et Iapygum Italicorum factos ex Ioppensibus et Ce-

retheis Palaestinis, quod iam abunde indicavit Mazochius ad *Tabul. Heracl.* pag. 537. 538. et posset adhuc per alia argumenta plura firmari.

C a p. III.

Proto-Etruscos sive Tarsisios Iavanidas habitasse primum in Tetrapoli Assur, vel Octapoli Nemrod tenendum est.

I. *Tarsisios Iavanidas, et Proto-Pelasgos Tyrsenos in Octapoli Nemrod habitasse teneri iure potest.*

1. Ex illustribus veteribus Gentibus nulla prorsus est, quae tam certis et multiplicibus argumentis demonstrari possit et Domophila et Poleophila ab initio et a prima sua aetate, ac Gens Etruscorum. Nam ipsum Pantheum Cabiricum, ut loco suo monemus, Pantheum nempe patrium et proprium Etruscorum Pantheum fuit Domophilorum et Poleophilorum, non Amaxobiorum et Hylebiorum profunda sapientia et mira sollertia conditum. Tum mihi est vehementer probabile ipsum nomen *Pelasgorum* factum ex studio et occupatione Architectonicae, et Domophilismo: Nam Gens *Pelasgica* est, גוי GUI *Gens* פלס PLS, *regulae*, amussis: quae *aequat*, exaequat, dirigit: quod Fabri faciunt: magnumque est veritatis argumentum, quod et supra iam adnotavimus, ipsum Dionysium Halic. putasse *Tyrsenos* a τυρσεσι aedificatis et conditis dictos et appellatos. Atqui in Octapoli Nemrodi vel Tetrapoli Assur, nam hîc locus non est gravissimam quaestionem solvere, statim a Babelica Clade non potuerunt manere et cogi nisi Domophili et Poleophili, non Scenobii, Amaxobii, et Nomades. Ergo inter hos fuisse necessario *Tarsisios*, sive Pelasgos Tyrsenos sive Proto-Etruscos est certo tenendum. Idque eo cum maiori fiducia tenebimus, si origines Gentium humanarum duobus praeiudiciis

gravissimis liberi et vacui investigabimus, et statuemus. Scilicet primo si tenebimus numerum Noachidum priorum post Babelicam cladem fuisse adhuc angustum et tenuem: ut pluribus invictis argumentis, si locusdaretur demonstrare possem. Secundo si dispersionem Generis humani non subitanea et furiosa praecipitatione peractam usque ad extremos Terrae fines, sed contra sensim sensimque factam, secundum vim et potentiam necessitatum et opportunitatum humanarum, quae sensim sensimque et oriuntur et maturescunt, tenebimus et tuebimur.

2. *Tyrsenos Pelasgos, atque adeo Proto-Etruscos habitasse in ipsa Resene Assyria est vehementer probabile.*

Pelasgos Tyrsenos pertinacissime adfectasse nomen *Larissae*, adeo ut a *Larissa* Mesopotamiae Xenophontis ad *Larissam* Campaniae Dionysii Halicar. circiter duodecim *Larissae* possint penes Geographos numerari, satis notum. Haec autem tam constans adfectatio oriri non potuit nisi a celebritate et sede originali primae et genitalis urbis. Atque adeo *Larissa* haec Pelasgica sive *Larissan* potest haberi ipsa *La-Resen* Mesopotamica, de qua agitur Genes. X. v. 12. ut iamdiu acute viderunt et tenuerunt Bochartus in Phaleg. IV. 261. Mazochius in *Spicileg. Biblic.* I. p.209. 210. Gurtlerus *de Orig. Mundi.* libr. I. c. 7. p. 75. Calmetus in *Comm. Biblico* ad *Genes* X. v. 12. aliique plures; maxime quia *Larissa* Xenophontis ipsa *Resen* Mesopotamica, ipsa *Resen* Biblica dicenda et tenenda est. Tyrseni Lydi nullam quidem urbem in Italia dixerunt *La-rissam* manifeste, sed *Rosellae* Etruscae sunt ipsa *Larissa* Temurice facta Etrusca methodo, quasi *Resen-al: Rosen-al* levi corruptione Latina fortasse *Rosellae*; quin insuper hi ipsi Tyrseni Lydi quasi proprium et solemne sibi nomen adsumserunt RASENE, et se se Dionysio Halic. teste Libr. I. p. 24. dixerunt *Rasenas*,

sive *Resenas:* ortos nempe et oriundos ex *Resene*, quidquid de Duce *Rasena* dixerit idem Dionysius. At quae, cedo, alia *Resen*, eaque vetustissima, nisi Mesopotamica et Nemrodica?

3. *Etruriae vocabulum factum ex Athuria sive Assyria, et Tibrim ex Tigri teneri iure potest.*

Assyriam regionem dictam a Chaldaeis, et Syris *Athyriam* atque *Athuriam* etiam Strabone adnotante notum; quin iamdiu Bochartus animadvertit non dialecto tantum Aeolica, sed etiam Chaldaica et Syra adsumtione literae R *Assyriae* nomen potuisse transire in *Atruriam* et *Etruriam*, et adeo posse nos non temere *Assyriam* in *Etruria* agnoscere: et si Servius ad Aen. XI. v. 598. nescio quem ἕτερον ὅρον in voce *Etruriae* quaerebat, aperte tamen fatebatur nomen *Etruriae* adsumtum et adoptatum fuisse ex alia Regione. Atqui aio non posse aliam prae *Athuria* potiorem et opportuniorem indicari. Et arbitror hanc Regionem Romanos designasse, *Etruriam* dicentes Regionem Tyrsenorum, et *Etruscorum* nomine Tyrsenos appellantes. Nam Dionysius Halic. I. p. 24. haec diserte testatur: Ρωμαιοι απο της χωρας, εν ἡ ποτε (Tyrseni) οικησαν, Ετρουριας προσαγορευομενης Ετρουσκους καλουσι τους ανθρωπους. Praeterea *Tibris* Dialecto Aeolica, qua γυνη est ipsum βανα, et quam adhibuérunt Latini, est ipse *Tigris*. et *Tibris Etruriae* est *Tigris Athyriae:* et quum Latialis *Tibris* prorsus adfectate et frequenter a Poetis Latinis dicatur *Etruscus*, Tuscus, Lydus, palam est noluisse separare fluvium a Regione, et *Tigrim Athuriae*, egregio crypticismo in *Tibri Etruriae* agnoscere et tenere.

Cap. IV.

Proto-Etruscos sive Pelasgos Tyrsenos habitasse diutissime in Assyria et Palaestina cum Phoeniciis fratribus tenendum est.

1. *Qui dicendi et habendi sint Phoenices veteres.*

Phoenices et *Tarsisii* intime coniuncti cum originibus Graecorum et Italorum non sunt pauci incolae Tyri tantum, et Sidonis, et paucarum adhuc litoralium huiusmodi Civitatum, sed fuerunt *Phoenices* plerique Incolae Galilaeae, Coelesyriae, Antiochenae, et Bataneae, ubi praestantissimi Cadmonaei, unde Cadmus ille Boeoticus. Phoenices olim ipsi Cilices, et plerique habitatores Amani, et Comagenes, ut constat ex Mythis Cadmi, Agenoris, Beli, Danai, et Ionis Inachiae, et Persei, et Cephei, et Phinei, et reliquorum, qui per has regiones claruerunt, et de quibus plures plane insignes traditiones nobis servarunt Iohannes Malala, Chronographus Anonymus Antiochenus, Georgius Cedrenus, aliique plures potissimum Antiocheni. Mythica quidem tempora haec, quia historica adhuc non sunt, at Mythica Geographice numquam sunt falsa. Quin ne Historice quidem quoad origines. Adeo, ut qui putaret Phoenices esse sive Chananaeos, sive Mesraitas, sive Aramaeos, prorsus erraret, quum revera habendi sint filii *Iavan Iapetidae*, quoad maximam partem, filii potissimum *Tarsis* et *Ketim*; filii Mythici *Ionis Inachiae*, ut ipsi Phoenices publice fatentur apud Euripidem in Phoenissis v. 255. Κοινον αἱμα, κοινα τεκνα, τας κερασφορου πεφυκεν Ιους.

2. *Indicantur praecipua argumenta veteris et originalis societatis et cohabitationis Proto-Etruscorum cum Phoenicibus Syris.*

1. *Pantheum Cabiricum* commune Phoenicibus atque Etruscis. *Cadmilus* Samothraeius idem ac *Cad-*

milus Etruscus, et *Cadmus* Phoenix, de quo nos singillatim in *Pantheo.*

2. Forma *Patäica* Cabirorum tum Phoenicum tum Etruscorum.

3. *Dii Demiurgici* Phoenicibus, Dii Demiurgici Etruscis.

4. *Demiurgus* tessaropterus et genuflexus Phoenicibus, tessaropterus et genuflexus Etruscis, quidquid Vermigliolius parum recte obiecerit in *Iscriz. Perug.* Tom. I. Nam *Pataicae* illae Figurae turpes nudae et faemineae saepissime in Speculis funebribus insculptae tessaropterae potius quam dipterae sunt habendae, et evidenter *pataicae* sunt.

5. *Thaut* auctor et fundator omnis Scientiae et Sapientiae, Phoeniciae, *Tages* verius Taget דעת DOT DAGOT ipso sono *Thaut* est fundator Scientiarum Etruscarum.

6. *Dii evirati*, atque aerumnosi Phoeniciis, ut *Esmunus, Bacchus*, sive Iupiter *Casius: Dii evirati* atque aerumnosi Etruscis, ut ostendimus in Pantheo.

7. *Heraclidae* Phoenices, *Heraclidae* Etrusci.

8. Nautae Phoenices, Nautae Etrusci.

9. Phoenices Regiminis Aristocratici fautores acerrimi, fautores et Etrusci pertinacissimi.

10. Praefecti saepius Sacerdotes Reipublicae Phoenicum. Praefecti Sacerdotes Reipublicae Etruscae.

CAP. V.

Proto-Etruscos per aliquot saecula habuisse, et tenuisse Aegyptum cum Phoeniciis fratribus dubitari non potest.

Pastores Aegyptocratores, eos nempe, qui a Dynastia XV. ad XIX. Manethonis saltem per quatuor saecula Aegyptum habuerunt, fuisse maxima ex parte non Amalekitas, non Arabes, non Scythas, sed omni-

no *Iavanidas, Ionis Inachiae* filios, Phoenices, Cadmoneos, Danaos, Perseidas, Atticos, Tarsisios tot testimoniis, tot argumentis, demonstratur, quorum plura iam collegerunt Marshamus in Chronic. p. 100. 104. Freret in Act. Academ. Inscript. tom. 47. Bennettis in Chronol. et Critic. Tom. II. p. 146. 147. V. p. 71. 72. Rochette *des Colonies* T. I. p. 70. 80. II. 114. 115. aliique plures; ut vehementer miratus sim, quomodo haec pars Historiae veteris, ex qua nexus et vinculum et relatio mira et diuturna Originum Graecarum atque Italicarum cum Aegypto et Palaestina et Syria clara adhuc luce sua non fulgeat, praesertim quia Italia nostra innumera monumenta et documenta Isiaca adhuc servet et custodiat. Quamobrem colligemus et recensebimus praecipua argumenta et momenta, quibus certo constat et demonstratur etiam Proto-Etruscos, qui facti sunt deinceps Itali, inter Iavanidas Aegyptocratores viguisse et floruisse: et inde pro data opportunitate emigrasse, et in Lydiam ad fratres concessisse, postquam una et intime illis in Regionibus vixissent et regnassent.

1. *Urbes* plerasque in Aegypto castice fuisse constitutas, scilicet per unica et fundamentalia elementa civilitatis indicatum supra: adeout in una urbe Iudices, Sacerdotes in aliâ, Milites in alia Reges: in una collegia Minervae, in alia collegia Dianae Bubastidis, in alia Vulcani, et ita porro. Atqui ut in toto Oriente una Aegyptus sic constituta, sic in toto Occidente una prorsus Etruria sic constituta, ut vidimus supra p. 29. 30. Et nisi *Tages* et *Tarchon Etrusci*, nempe fundatores Cryptici Reipublicae Etruscae hunc *Casticismum* in Aegypto deprehendissent, vel etiam posuissent, non posuissent in Etruria. Institutum est enim plane profundum et difficile.

2. *Sacerdotio* summus honor apud Aegyptios, summus apud Etruscos. Collegia Sacerdotalia plura, distincta hierarchica apud Aegyptios; plura, distincta hierarchica apud Etruscos.

3. *Scientiae*, disciplinae, divinationes, Scriptura hieroglyphica; Hierographia universa penes una collegia Sacerdotalia severissime custodiebantur apud Aegyptios; apud una Collegia Sacerdotalia aequali vel maiore severitate custodiebantur apud Etruscos.

4. *Divinationes* orales, phoneticae, per sermonem et versiculos, ut plerumque in Graecia; in Aegypto nullae, nullae in Etruria. Omnes contra Sematicae, per signa, semata, monstra, prodigia, portenta, ostenta.

5. Usus *Anni* magni et *maximi* et *Cyclorum Chronicorum* receptus et certus apud Aegyptios, fixus et certus apud Etruscos, ut dicetur capite sequenti; nullus certus, et fixus apud Graecos.

6. *Pantheum Cabiricum* apud Memphitas et Canopitas, simillimum Etrusco.

7. *Dii Patäici*, *Chaotici*, *Demiurgici*, *Arsenotheles*, *evirati* Aegyptiis: similes Etruscis, ut ostenditur in *Pantheo.*

8. *Dii* qui nascuntur ex *floribus* et *Plantis* exhibentur in Aegypto, sunt etiam in Hierographia Etrusca.

9. Usus *Phallorum* sacrorum vulgatus in Aegypto, et in Etruria: quod pluribus animadvertit Gorius in Museo Etrusco.

10. *Deus* doctus Scriba, auctor omnis scientiae et disciplinae sacrae TAAVT, *Thoyot*, Togot, דעת DOGOT, *Taget* Aegyptiis et Etruscis.

11. *Deus puer* aerumnosus Aegyptiis dictus *Harpocrates*, Deus puer et aerumnosus dictus *Alpanus* Etruscis, de quo peculiari capite in *Pantheo.*

12. *Tartaroarchistae* Aegyptii, Tartaroarchistae Etrusci, ut demonstratur in *Pantheo.*

13. *Labyrinthus* funebris Aegyptiis, Labyrinthus funebris Etruscis, sive verus et realis, sive a Sacerdotibus fictus et imaginatione conditus. Id enim satis ad rem.

14. *Cryptae funebres* Aegyptiis, Cryptae Etruscis: et plura in his ita similia, ita paria, ut Gentes una quondam cohabitasse certissimo sint argumento.

15. *Positura Iconum* sacrarum, gestus arcanus, profundus, habitus figurarum, plura similia et scholam communem originalem detegit et ostendit.

16. *Hierophthalmi*, sive ingentes *Oculi* separati et Symbolici adpositi sacris Dramatibus frequentes apud Aegyptios, frequentes apud Etruscos.

17. Usus *Scarabaeorum* sacrorum late diffusus apud Aegyptios, receptus pariter apud Etruscos. Quod numquam fieri potuit absque diuturna cohabitatione, et eorumdem elementorum Theologicorum et Hierographicorum commercio.

CAP. VI.

Tyrsenos Lydos sive postremos Pelasgos qui Etruriam occuparunt, non ante decimum Saeculum Prochristianum Rempublicam Etruscam in Italia constituisse, ex patria et propria Chronologia demonstratur.

I. Indicantur literati viri qui hactenus egerunt de patria Etruscorum Chronologia vel confuse et indistincte, vel temere et hypothetice.

1. Franciscus Bianchinius in *Istoria universale Decad.* IX. *Imag.* 32. pag. 530. 522.

2. Scipio Maffeius in *Osserv. letterar.* Tom. IV. pag. 17. 18.

3. Nicolaus Freretus in *Recherch. sur l'orig. des Peupl. de l'Ital.* Oeuv. Tom. IV. p. 241. 243.

4. Stanislaus Canovai in Actis Acad. Corton. Tom. VIII. p. 199. 200. ex professo rem agens, et confundens.

5. Gotlieb Heyne in Actis Academ. Gotting. Tom. VII. 1776.

6. Niebuhrius in *Histoire Romaine* Tom. I. pag. 129. 130.

Singulorum calculos referre et disquirere supervacaneum ducimus, quum satis superque sit Theoremata illa, quae clare et evidenter ex testimoniis Plutarchi, Censorini, Servii, etc. colliguntur, proponere et demonstrare.

Illud vero est hoc loco etiam animadvertendum Chronologiam illam Cosmogonicam, quam Suidas ignoto Tyrrheno tribuit, numquam potuisse spectare ad Collegia Sacerdotalia Etrusca, et ad genuinas Gentis traditiones: sed esse manifeste Iudaicam et Rabbinicam et Astrologicam, et adeo recentissima tempora praeseferre. Ita ut quomodo ex una parte laudandi sunt Heyuius qui in Act. Academ. Gott. T. VII. prorsus reiecit, et Mazochius, qui in *Spicileg.* Biblico. Tom. 1. p. 8. 9. 10. vel dubitavit, vel aperte Christiano et Iudaico homini adtribuit; sic contra laudari non possint Iacob. Brukerus, qui in Histor. Philosoph. II. c. 10. p. 548. Bennettis III. Tom. Chronol. et Critic. p. 451. et Creuzerus cum Guigniaut qui in lib. *de la Réligion de l'Antiquité* Tom. II. p. 410. apocryphum et ineptum Commentum adversus Heynium vindicare frustra studuerunt: Et minus etiam Stanislaus Canovai, qui loc. cit. p. 204. 205. hanc Suidae Chronologiam Rabbinicam cum genuinis traditionibus Etruscis miscuit et confudit.

II. *Sapientes Etruscorum cursum et vitam Generis humani sive Annum maximum huius Mundi octo Periodis, sive magnis Annis absolvi et confici tenuerunt.*

Id enim docent ex Tyrsenis οἱ λογιοι apud Plutarchum in Sylla l. p. 456. et Suidam v. Συλλας; III. p. 393. Plutarchi verba sunt: Ειναι μεν γαρ αυτῳ (Κοσμῳ) οκτω τα συμπαντα Γενη διάφεροντα τοις βιοίς και τοίς ηθεσι δια αλληλων. Qui cursus Generis humani, per *octo* Periodos firmatur etiam fragmento Doctrinae Etruscae, quod servarunt Agronomi Latini

pag. 258. edit. Goesii: *Iupiter terminis omnia scita esse voluit, quos quandoque ob avaritiam prope novissimi (octavi) saeculi datos sibi homines malo dolo violabunt.* Numerus tandem *Octonarius* est *Cabirica* religione sacratissimus, Pantheumque Etruscum proprium *Cabiricum* fuit.

III. *Singulas ex octo Periodis vitae Generis humani factas ex vita idiodiaeta, et idiotropica sive unius Gentis magnae, sive plurium, quae eadem Periodo viverent, Sapientes Etruscorum tenuerunt.*

Et prorsus iure. Nam Genus humanum non constat nisi ex humanis Gentibus. Et cursus et vita Generis humani non potest esse nisi cursus Gentium humanarum, quae sibi sensim sensimque succedunt, et subeunt. Quamobrem dubitare non possumus, quin Historia Universalis Generis humani ex doctrina Etruscorum Sapientum cursu et successione octo magnarum et insignium Gentium absolveretur: inter quas esset Gens propria *Etruscorum*, quae absoluta fatali Periodo, excipienda esset ab alia Gente heterodiaeta et heterotropa.

IV. *Singulas ex octo Periodis vitae Generis humani, sive vitam singularum octo insignium et clararum Gentium confici decem aetatibus humanis perfectis Sapientes Etruscorum statuerunt.*

Haec Censorinus de *Die Natal.* Cap. IV. p. 112. *Quare in Tuscis Historiis, quae octavo eorum saeculo scriptae sunt, ut Varro testatur, et quot numero saecula ei Genti data sint, et transactorum singula quanta fuerint, quibusve ostentis eorum exitus designati sint, continetur. Itaque scriptum est quatuor prima saecula annorum fuisse centum et quinque; quintum centum vigintitrium, sextum undeviginti et centum, septimum totidem, octavum tum demum agi, nonum, et decimum superesse, quibus transactis finem fore Nominis Etrusci.* Et

adeo Gentem aliam, et aliam Periodum successuram heterotropam et heterodiaetam in Genere humano.

V. *Decimam et postremam aetatem Gentis Etruscae post necem Iulii Caesaris et Cometen ortum incoepisse tenendum est.*

Nam haec adnotat Servius ad *Eclog.* IX. *Virgilii* v. 47. *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum: Sed Vulcatius Haruspex in concione dixit Cometen esse, qui significaret exitum noni saeculi, et ingressum decimi: sed quod invitis Diis secreta rerum pronunciaret, statim se esse moriturum, et nondum finita oratione in ipsa concione concidit. Hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria vitae suae complexus est.* Huc usque Servius. Atqui aio: Vulcatium hunc etiamsi orationem suam ad Romanos habuisset, respexisse ad aetates Etruscorum. Primo quia veri et fanatici Haruspices, ut iste Vulcatius, inter Romanos nulli, plures inter Etruscos. Secundo quia nulla Chronologia Romana, sive ab Aenea et Ascanio, sive a Romulo, sive per Ludos saeculares, sive per alia argumenta potest ad istam *Decimam* aetatem aptari. Tertio quia si Varronis aetate erant celebres Historiae Etruscae octavi Gentis saeculi, certo tenendum eas nec valde vetustiores esse ipso saeculo Varronis, nec plane synchronas: Non prorsus synchronae, quia id ipse Varro animadvertisset: non valde vetustiores, quia quum ipsa Roma perpetuo plena Haruspicibus Etruscis esset, Historiae illae fuissent suppletae et absolutae. Sed factae, ut ego arbitror, sub finem VI saeculi Romani, vel VII ineuntis, ipsius Romanae historiae aemulatione. Scilicet quum iam editae, vulgatae, et receptae fuissent, et laudatae Historiae Fabii Pictoris, L. Cincii Alimenti, Q. Ennii, L. Calpurnii Pisonis, M. Porcii Catonis, L. Cassii Heminae, et aliorum: adeo ut circa annum Urbis 710. nona aetas potuerit rectissime absolvi, octava iam circa annum 610. 615. absoluta, et transacta.

VI. *Decimo ergo saeculo Prochristiano primam Etruscorum aetatem procedere incoepisse tenendum est.*

Nam si circa annum 710 urbis novem aetates transierant sive anni circiter 9 X 105 = 945, si addimus 40. annos ut habeamus 750. sive aeram Christianam, habebimus 985. annos ante aeram Christianam, qua tenendum est incoepisse primam aetatem Etruscorum, sive primos annos Reipublicae constitutae et vigentis. Quod erat a nobis quaerendum. Nicolaus Freretus in *Rech. sur les peupl. de l'Ital.* Oeuvr. IV. p. 241. 243. haud multum a nostro calculo recedit, initia Reipublicae Etruscae circa 990. prochristianum statuens: quem calculum probavit tum Heynius in Act. Academ. Gottingensis Tom. I. ann. 1776. tum Stanislaus Canovai in Act. Acad. Corton. tom. VIII. p. 199. 200. 201. omnino, quia etiam aliae relationes et nexus Historiae Etruscae cum ceteris Gentibus aetatem haud vetustiorem indicent et demonstrent.

SECTIO IV.

DE CHARACTERIBUS GRAMMATICIS LINGUAE ETRUSCAE.

CAP. I.

Lingua Etrusca habenda est Indeclinata sive Aclisiaca, Aorista, et prorsus Pavri norpha.

Nam diligenter consideratis atque excussis vocabulis Etruscis, quae ad nos pervenerunt, nulla ex iis possunt certo argumento excitari, quae haberi possint ut *declinata*, et eo consilio *inflexa*, et *terminata*, ut varias relationes numerorum, personarum, temporum, modorum, quemadmodum faciunt vocabula Latina vel Graeca, exprimant et significent. Et si tibi occurrunt ex gr. *Caphate*, *Caphates*, *Caphatesa*, *Caphatial*; cave ne statim aliquam *declinationem* modulo Latino Graecove effingas et condas. Nam haec

sunt Nomina Personalia et Gentilia: et terminationes in *es*, *esa*, *al* non sunt casus systematici, sed voces certae et statae potestatis, quae vocem non declinatam systematice, sed compositam faciunt, ut videri potest in huius *Tentamin. Hermen.* Parte secunda Sect. 1.

Et si negari insuper non potest aliquot voculas, puta AL, AS, ES, IS etc. adhiberi frequenter ad relationes Grammaticas significandas, aeque verum non statim effici *declinatam*, euclisiacam, et pleromorpham linguam, cui sint tam tenuia adiumenta Grammatica, sed inter *Pavromorphas,* esse potius et *Aclisiacas* adscribendam.

2. Secundo, quia in *Inscriptionibus bilinguibus,* Vocabula, quae in recto casu et viderentur vertenda, et alias revera vertuntur, in eis vertuntur oblique, in genitivo casu: quod criterium certissimum *aclisiacismi* fundamentalis: Ita L. CAE CAULIAS vertitur: *Lorthis Caii Caulias.* Tum F. LECNE. F. HAPIRNAL: vertitur *Caii Licinii C. F. Nigri.*

3. Tertio, quia in inscriptionibus Anathematum Sacrorum, a certis Personis positorum, Nomina Deorum, quibus Anathemata dedicantur; et quae in Linguis clisiacis, sive declinatis obliquo casu plerumque exprimuntur, Etrusce sunt evidenter monoptota, aclisiaca, et radicalia, ut EPUL. ALPAN. ATHUR. LAUCIN. BELCHINEI. MIALITHIA. etc.

4. Quarto, quia si Etruscis fuissent Casus et Declinationes, ut Graecis, ac Latinis, innumerorum illorum Titulorum funebrium stilus haud fuisset ita moleste monotonus, et pertinacissime uniformis. Nam et varius est Latinis, Graecisque, et summa facilitate datis casibus stilus variatur. At ubi Lingua aclisiaca est, ubi admodum paucae Grammaticae formae, tum fixus, et certus, et constitutus locus singulis vocabulis, et nil movendum a more recepto.

5. Quinto, quia ex viris doctissimis, qui per an-

nos plurimos in Inscriptionibus Etruscis illustrandis insudarunt, nemo prorsus fuit, qui unam saltem Nominum Etruscorum Classem per *quatuor* vel qninque *casus* analogice declinatam potuit demonstrare. Quin Lanzius *Saggio* Tom. I. p. 66. scribebat de hac Lingua: » *Spesso parmi che in vece dell' analogia vi si trovi l' anomalia, o che convenga come nell' Ebraico discernere i casi dalla situazione del vocabolo, non dalla desinenza.* Et pag. 320. » *Essi linguaggi non ebbono analogia di desinenze nel primo nascere, voci monoptote eran le loro, come son quasi rimase nella lingua Santa.*

Cap. II.

Lingua Etrusca habenda est Radicalis non Classica.

Scilicet tenendum est *Radices* Linguae Etruscae, non solum non fuisse auctas et productas in fine, ut casus efficerent, sed neque initio adsumsisse *praepositiones*, sive particulas et voculas, quibus potestas originalis pluribus modis variaretur et augeretur: et unde lingua fit *Classica.* Nam singulae *Radices* verborum per 10. 15. 20. 30. *voculas* variatae *Classem* suam efformant, et Linguam *Classicam* efficiunt. Ita apud Latinos Radix LEG non solum *declinatur* in *lego is, it, imus* etc. Sed habet *ad-lego*, *con-ligo*, *e-ligo*, *re-lego*, *sub-lego*: quibus *classis* vocum peculiaris efficitur. Atqui collectis et excussis vocabulis Etruscis artificium simile non potest deprehendi, nec possunt excitari verba Etrusca, quorum pars facta sit ex radicali voce, pars ex praepositione adsumta: et propterea, ut dicebamus, tenendum est eam fuisse *Radicalem*, non *Classicam*.

Cap. III.

Lingua Etrusca habenda est Polydynamica, maxime quoad Glossomorphen.

Scilicet tenendum est una eademque *voce*, una eademque, ut videtur, radice non unam plane ideam, non singulare prorsus obiectum significari, sed plura, et diversa 1. Primo quia omnes Linguae indeclinatae atque aoristae, quia intima natura et origine sua arcanae sunt et crypticae, ut dictum in *Fundam. Glossosophic.* libr. I. sunt etiam polydynamicae, atque ambiguae. 2. Secundo, quia consideratis et excussis plurimis Inscriptionibus Etruscis, in quibus leguntur ex-gr. voculae AL. AS. ES. statim et necessario sentimus non posse eas voculas prorsus eodem sensu, et potestate semper sumi et intelligi. 3. Tertio quia vocabula Etrusca, quae nos modo oculis auribusque percipimus, non ore et pronuntiatione indigena patria, non alphabeto originali patrio accurato, sed contra extraneo, recenti, Ionico, contracto, imperfecto percipimus et sentimus. 4. Quarto, quia pleraeque Inscriptiones non vetustissimam et accuratissimam Sacerdotalem et liturgicam pronuntiationem exprimunt, sed domesticam, vulgarem, et minus accuratam.

Cap. IV.

Linguam Etruscorum fuisse revera indeclinatam, aoristam, polydynamicam, et pavromorpham aliis argumentis demonstratur.

I. *Primo quia Optimatibus Etruscorum fuerunt plures Libri arcani, secreti, incommunicabiles. Ut libri Fulgurales, Augurales, Haruspicini, Acherontici, Rituales.* De his Libris Etruscorum loquuti sunt saepe Varro, Cicero, Seneca, Plinius, Censorinus, Arnobius, Servius, Fulgentius, aliique. Atqui ubi Civium ordo coniurat, ut intra suos tan-

tum Collegas quasdam Disciplinas et Scientias servet et contineat, nisi eas huiusmodi Lingua describat et condat, qua uni plane Coniurati possint recte uti, serius ocius in vulgus Disciplinae emanant, et Regimen ipsum evertitur. Atqui Libros clara, declinata, pleiolexica, et pleromorpha lingua descriptos diutius retineri ut arcanos et secretos impossibile est. Adeoque si certo tenendum est omnes libros arcanos et secretos necessario fuisse describendos lingua pavromorpha, polydynamica, aclisiaca, et notum omnibus fuisse Etruscis libros plures arcanos, et incommunicabiles, aeque certo tenendum est eos fuisse descriptos Lingua aclisiaca et pavromorpha. Vid. *Fund. nostra Glossosophic. Libr.* I. Sect. de *natura et characteribus linguarum Crypticarum.*

II. *Secundo quia Etrusci caruerunt Bibliotheca populari et plane communi.*

Gentes magnas et insignes penitus interire impossibile est: adeoque aeque impossibile penitus perire Literaturam suam characteristicam et popularem. Adfectus et vires servatrices Historiae, Scientiarum, et Idiomatum patriorum possunt cursu temporum infirmari, imminui: sed numquam penitus extingui: manebuntque perpetuo quasi fragmenta quaedam et reliquiae quae sint criteria certissima veteris conditionis et prisci status. Quamobrem ex alia parte si apud aliquam Gentem nulla fragmenta sunt, nulla documenta popularis et patriae suae literature, non temporum edacitate, non invidia hostium consumta, sed prorsus non facta tenere debemus. Atqui nulla Etruscorum popularia Poemata, nullae Odae, nulli Hymni, nulla quaecumque Carmina popularia ad nos pervenerunt, neque per ipsos Etruscos, neque per Graecos, neque per Romanos, neque in Hypogaeis inventa, nec in aliqua ex innumeris Cryptis, in quibus quaecquae res arcanae, memorandae, pretiosae poterant recondi et servari tutissime et diutissime.

Ergo nulla fuit Etruscis literatura plane popularis et communis, nulli Oratores, nulli Poetae, nulli Historici Populares. Et si dicuntur *Historiae* et *Tragoediae Etruscae*, eas Latinis vocibus descriptas tenendum est. Atqui haec absoluta vacuitas, et defectus literaturae Popularis, ut est impossibilis data Lingua communi et publica pleromorpha et clisiaca; ita non solum fit possibilis, sed plane necessarius ubi Optimates utuntur lingua aclisiaca et pavromorpha, Populus vero lingua hybrida absurda et cacomorpha, ut fit in Regiminibus Aristocraticis severis, ut fuit Etruscum.

III. *Tertio, quia Romani a Romuli aetate ad Iulianum Caesarem eguerunt semper ipsis Hariolis, Haruspicibus, et Divinis Etruscis in procurationibus Religiosis.*

Atqui si Disciplinae Etruscae in pluribus Libris Etruscorum accuratissime collectae descriptae fuissent Lingua declinata, plerolexica, et pleromorpha, Romani Haruspices et Augures in Religionibus antiquis instructissimi non eguissent opera ipsorum Haruspicum Etruscorum, sed contenti libris Disciplinarum, inde facile et tuto hausissent ipsam Disciplinam. At contra ex Romana Historia notum semper Romanos eguisse ipsis Haruspicibus, ipsis Hariolis Etruscis: Ergo necessario tenendum est Libros Sacros Etruscorum ea lingua fuisse descriptos, quam Romani capere et tenere non possent: et quam Etrusci et coniurati uni scirent et nossent: scilicet lingua Polydynamica ambigua et amorpha, quam per arcanam, patriam, hereditariam, et pertinacissimam disciplinam addiscerent. Nec dici potest Libros sacros Etruscorum fuisse Romanis ignotos. Nam Etrusci etiam passi sunt, ut Livius lib. IX. cap. 36. distincte meminit, a Romanis mitti pueros suos nobiles, qui imbuerentur Etruscis disciplinis: sed hae fuerunt, ob linguam ita arduae, ita difficiles, ut Romani tutius adhibere

ipsos Sacerdotes Etruscos putarent, quam Religiones confundere et depravare.

IV. *Quarto quia Bibliotheca Sacra Etruscorum in originali et propria sua Lingua tota periit.*

Atqui, aio, si Libri Etruscorum Rituales, Fulgurales, Haruspicini, Acherontici descripti fuissent Lingua pleromorpha et plerolexica, numquam penitus et absolute periissent. Nam Romani, Graecique Scriptores, ipsique Etrusci Romaeophili, interquos fuerunt Nigidius Figulus, Antistius Labeo, Aulus Caecina, Atteius Capito, Fonteius, Vicellius, C. Plinius L. Apuleius, Annaeus Seneca, Ioh. Laur. Lydus, aliique, plura decerpsissent inde et servassent. Nam plura sunt eiusmodi potestatis in Lingua originali, quae videntur non posse satis et recte verti in alia Lingua, et quae propterea retinentur: ut scilicet lector cum Lingua nota possit ea conferre et comparare. At ubi Linguae sunt incomparabiles, ubi divinando tentando per meras coniectiones, ubi per profundum crypticismum potest tantum nescio quae sententia extundi et decerpi, tum relinquitur textus, et liber penitus perit. Quamobrem si libri Etruscorum perire penitus non potuerunt, nisi quia Lingua qua fuerant descripti erat aclisiaca et pavromorpha: utique colligendum et tenendum Etruscorum Linguam fuisse revera indeclinatam, et pavromorpham.

C A P. V.

Lingua Etrusca pavromorpha et polydynamica habenda tamen est homogenea, analogica, fixa, certa, constans, non hybrida, fluxa, inconstans; non absurde corrupte et foede depravata, ut plerique hactenus tenuerunt.

1. *Primo quia fuit Lingua Larthum, Lucumonum, et Sacerdotum Etruscorum.*

Lingua scilicet Ordinis in Populo praestantissimi,

nobilissimi, Ordinis in quo uno quidquid disciplinarum, quidquid sapientiae, quidquid eruditionis Etruscae erat custodiebatur et servabatur, adeoque Lingua, quae secundum temporum, et Regiminum, et civilitatis conditionem purior, perfectior, nobilior, praestantior haberi, formari, excoli, et servari debuit.

2. *Secundo quia Lingua Etrusca fuit Lingua Ordinis Aristocratici fortiter constituti, et acerrima pertinacia servati.*

Ut iam demonstratum est Sect. II. pag. 18. ad 30. et nullus ordo Aristocraticus potest constitui nisi moribus fixis, et immotis, nisi institutis constantibus; et adeo ex necessaria consequentia Vocabulis et Lingua certa fixa constante immota. Ubi fluxa, corrupta, hybrida Lingua est; fluxi, corrupti, hybridi mores, et fatua instituta, ibi nulla et impossibilis Aristocratia. In Aristocratia omnia et necessario hereditaria, et adeo patria vetera antiqua, non nova recentia, nuper facta fictave. Ergo vocabula decimi saeculi Aristocratici erunt ipsa ac prima, quia hereditate, et pertinacissima constantia suscepta et servata.

3. *Tertio quia Lingua Etrusca fuit Lingua Theologica et Liturgica Gentis Etruscae.*

Scilicet, ut iam adnotatum est, ea Lingua Libri Theologici, et Liturgici descripti, et ea tota Gens recte ordinata Theologice. Atqui omnes linguae Theologicae, et Liturgicae natura sua fixae, constantes, immotae sunt, non fluxae, mutabiles, hybridae, vagae, ut linguae plebeiae et populares cuiuscumque Gentis.

4. *Quarto quia Haruspices et Vates Etrusci per XII. fere saecula apud Graecos et Italos incredibili claritate floruerunt.*

Ut constat ex innumeris Veterum testimoniis, inter quos satis est memorari Ciceronem II. de Legib. c. XI. p. 471. et Diodorum Siculum Biblioth. lib. V. cap. 40. pag. 362. wess.

Nam datis Disciplinis Etruscis intima sua natura futilibus, ineptis, ambiguis, falsis, utpote plerumque agentibus de interpretatione atque explicatione monstrorum, portentorum, prodigiorum, si Lingua harum Disciplinarum fuisset corrupta, depravata, fluxa, inconstans, varia, impossibile prorsus fuisset Chiliades Haruspicum et Hariolorum mutuo convenire et congruere, axiomata et criteria certa tenere, et patriam famam servare, atque augere. Nam vocabula prava, fluxa, incerta necessario pariunt dissensum, lites, contradictiones, heterodoxiam, et hinc mutuum contemtum et tumultum, et tandem dissolutionem Disciplinae et Collegiorum. Atqui contra Disciplinae Etruscae par XII. fere saecula florentissimae, et Collegia Sacerdotalia pertinacissime coniuncta. Ergo Lingua Etruscorum fuit una, certa, constans, fixa, analogica, accurata, regularis.

5. *Quinto quia omnes Disciplinae et Libri Etrusci uni eidemque Tageti adtributi, et adscripti.*

Ut testantur Cicero de *Divin.* II. c. 23. p. 330. cap. 38. p. 345. Censorinus de *Die Nat.* cap. IV. p. 28. 29. Martianus Capella lib. II. p. 27. Ovidius Metam. XV. v. 518. 550. Lucanus Pharsal. I. v. 636. 637. Ammian. Marcell. Libr. XXI. c. I. p. 217. Servius ad Aen. VIII. v. 398. 399. Scholiastes Statii ad Theb. IV. v. 516. 517. Ioh. Lydus de Ostent. c. 3. aliique.

Atqui numquam fieri potuit, ut Libri scripti a Collegiis Sacerdotalibus per 4 vel 5 saeculorum ad minimum spatium uni eidemque auctori et scriptori tribuerentur et consecrarentur, nisi lingua, stilus, formulae, criteria, essent prorsus homogenea, similaria, isomorpha, adeo ut libri potuissent revera ab uno et eodem Scriptore proficisci. Quod argumentum evidens et invictum Linguae certae, fixae, constantis, analogicae, non fluxae, variae, incertae, non foe-

dissima depravatione detortae ex voeibus Graecis Latinisque, quod hactenus absurda et imperitissima calumnia Interpretes et tenuerunt, et proclamarunt.

6. *Sexto quia considerato ipso Lexico Etrusco regularem Linguam fuisse et Analogicam certo deprehendimus.*

Nam primum ex vocabulis Etruscis plurima in vocali A, E, I, U terminantur: Ex reliquis plura in *as, es, is us;* multa in *al*, aliqua in *an*. Aliae terminationes rariores. Tum nomina Gentilia incredibili potius constantia et regularitate condita. Nam omnia vel fiunt ex radice terminata in vocali, ut *Bete*, *Flabe*, *Crace*, *Marce*, *etc.*, vel adsumunt voculam significativam NI, NA, NE, qua vocula significatur *familia, gens*, domus: ut *Caic-na: Pep-na: Pulph-na: Marc-ni: Methl-ni.* Cognomina porro sive *nomina* familiarum vel collegiorum constantissime in AS, ES, IS, US terminantur. Nomina etiam et cognomina Mulierum analogica et constantia deprehenduntur, quantum status harum literarum pati poterat.

CAP. VI.

Solvuntur nonnullae obiectiones.

1. *Quomodo lingua indeclinata, polydynamica, pavromorpha potest esse certa constans fixa?*

Cura, respondeo, studio, coniuratione aristocratica, superbia collegiali. Et si constantissima, fixissima manet adhuc lingua Librorum Sinensium longe magis ambigua, polydynamica, longe magis pavromorpha, prae Etrusca, quidni duraverit Etrusca a pluribus collegiis Sacerdotalibus accuratissime custodita et servata?

2. *Quomodo Disciplinae et Scientiae erunt satis clare et distincte expressae lingua fere per omnia amorpha?*

Adiumentis Rerum praesentium, Gestu, commen-

tario, praelectione, instructione domestica paterna fraterna, longo et dinturno studio curiali collegiali fratriaco. Et si Lingua Sinensi, ut modo innuimus, Disciplinae et Scientiae omnes satis distincte exponuntur, longe clarius, longe plenius potuerunt explicari et significari per Linguam Etruscam.

SECTIO V.

DE DATIS LINGUAE ETRUSCAE.

CAPUT I

De Vocibus Etruscis Datis.

1. *De Vocibus Etruscis, quibus Scriptores Graeci, vel Latini Graecam, vel Latinam interpretationem addiderunt.*

Voces sive Etruscae, sive Tyrrhenicae, quae ad nos cum sua interpretatione pervenerunt paucissimae sunt, eaeque vix ad 30 vel 40 poterunt hactenus numerari. At in tanta Datorum Etruscorum inopia etiamsi essent tantummodo decem, summa cura essent expendendae ac considerandae, quum utcumque haberi possint et debeant, ut *pars aliquota* Linguae universae. Quamobrem laudandi minime sunt Interpretes Inscriptionum Etruscarum, qui haec Data prorsus neglexerunt, vel levissime tractarunt. Lanzius quidem in *Saggio* Libr. I. p. 42. 43. ea de caussa visus est has *Glossas* parvifacere: quod putasset eas non ad Tyrsenos Italicos, sed ad Thessalicos vel Hellespontiacos spectasse. At primo adeo magis erant complectendae, quia certe Fratrum, et intime affinium Tribuum, ut ipsemet Lanzius tenebat, et nos ostendimus supra. 2. Secundo, quia, si pleraeque *Glossae* collectae sunt a Grammaticis Graecis arte Grammaticâ post Alexandrum Macedonem conditâ: et si ea aetate uni Tyrseni Italici sive Etrusci clarebant, et florebant, probabile potius est Hesychianas Glossas ad ipsos Tyr-

senos Italicos spectasse; scilicet ad Cives Agyllae Thessalicae, Telamonis, Populoniae, Volaterrae, quae adhuc negotiabantur cum Populis Graeciae, et *Glossas* suas quasi pignora et criteria originis relinquebant.

2. *De vocibus Etruscis datis in Inscriptionibus Bilinguibus.*

Et hae *bilingues Inscriptiones* Etruscae paucissimae sunt, et brevissimae, omnes ex Titulis funebribus constant, adeoque ex unis ferme Nominibus Personalibus factae. Quaecumque tamen sint habendae, sunt ut DATUM praecipuum Linguae Etruscae, atque criterium certum Linguae DANDAE et eligendae, et propterea summa cura et prolixo studio sunt excutiendae atque expendendae. Eas quidem Interpretes Etruscistae penitus vel neglexerunt, vel data opera earum fidem evertere sunt conati, ausu absurdo: Nam est dementis petere *Ignota* neglectis et reiectis *Notis*. Quin, si verum est quod Lamius in *Gualfond.* VIII. et Lanzius *Sagg.* II. p. 325. 326. et 344. obiiciunt membra scilicet et elementa Inscriptionum Bilinguium non semper neque inter Graecos neque inter Latinos mutuo convenire et congruere, aeque verum semper in pluribus convenire et congruere. Et haec ipsa sive pauca sive multa congruentia absoluta necessitate sunt definienda et determinanda.

Caput II.

De sententia data in Inscriptionibus Etruscis.

1. *De sententia data in Titulis funebribus, quoad Nomina Personalia.*

Consideratis plusquam 600 Titulis funebribus Etruscis, plusquam centum Etrusco-Romanis, considerata analogia Titulorum Romanorum funebrium, haec videntur tenenda et statuenda: In Titulis funebribus Etruscorum, qui constant quatuor nominibus, primum et fere semper breviatum et siglicum esse

praenomen; alterum esse nomen Gentis, et fere semper in Vocali litera terminatum, et saepius in NI: tertium nomen Familiae sive Sectionis magnae Gentis, vel ut ego arbitror Collegii et Fratriae, idque semper in *as*, *es*, *is*, *us* exiens: quartum saepissime in *al-isa* finitum erit nomen Gentis maternae: Et fatendum est in his Lanzium et Vermigliolium saepe recte et sensisse et vertisse.

In Titulis vero Mulierum, quae coniugatae habendae sint, primum nomen, si adest, est praenomen; nam saepe deest: secundum fere semper in *ne*, *ni* terminatum, est nomen Gentis Paternae: tertium non Matri Mulieris, sed Genti Paternae Viri et coniugis est tribuendum, et quartum, si adest, Genti maternae ipsius Viri, quia Mulieres in plenam Viri potestatem concedentes in eius familia quaequae esset recipiebantur: adeoque uxor Etrusca non pluribus nominibus Gentium suarum, sed maxime Nominibus Viri fuit exornanda, quod non modo ex Veterum Iure Connubialii certo colligitur, sed etiam ex innumeris Inscriptionibus Etrusco-Romanis, ut dicemus iterum loco suo.

2. *De Sententia* DATA *in Titulis funebribus Etruscorum quoad relationes consanguineitatis atque adfinitatis.*

Impossibile *dari* Titulos funebres absque relationibus consanguineitatis, vel adfinitatis. Istae autem relationes saepe tacentur, saepe supponuntur, et nota illa: *Hecuba Priami*, *Hectoris Andromache.* Quin illud est animadvertendum saepius etiam posse exprimi per voculas adfixas vocibus principalibus: nec esse necesse, ut vocabula distincta et separata adhibeantur. Inter huiusmodi vocabula esse Etrusca AL. ISA. AS. ES. IS. US. SECH. suo loco monebimus.

3. *De Sententia* DATA *in Titulis funebribus Etruscorum quoad solemnes inclamationes.*

Fausta et laeta adprecari defunctis, et inclamare,

ut pie et bene quiescant, mos fuit perpetuus Generis humani. Qui mos et in Titulis funebribus Hebraeorum et Arabum est manifestus: tum in Titulis Graecis, quos Paciaudius in *Monum. Peloponnes.* Maffeius *in Mus. Veronensi*, Muratorius in *Thes. Inscript.* Biagius *in Monum. Naniani*, aliique collegerunt, apparet: Et si inclamationes huiusmodi non videntur in Titulis Latinis, plane manifesti factum potissimum, quia Tituli Latini sunt omnes Historici, Pragmatici, Politici, non Liturgici et Theologici. At Auctores eorum duabus illis voculis *Diis Manibus*, omnia Religiosa et Theologica comprehendere et concludere se posse putarunt, quod plane verum. Quamobrem si in Titulis funebribus Etruscorum praeter Nomina Personalia, et relationes consanguineitatis atque adfinitatis, sunt alia vocabula, longe probabile est ea esse inclamationes faustas funebres, et habenda quasi sint larificatio et apotheosis defuncti. Et propterea inter has voces loco suo numerabimus ABIL. AFILS. LEINE. LUPU. PUIA. RIL. THUI etc. Nec obstat quod hae voces non legantur in omnibus Titulis funebribus, imo in plurimis non legantur; nam est mihi vehementer probabile apposita haec vocabula tantum illis, qui acerbo fato et ante aetatis maturitatem fuissent morte abrepti: et illis tantum Mulieribus quae viduae permansissent in castitate primi connubii; secundas nuptias respuentes, quasi Virum suum in Tartaro resumturae, ut loco suo monebimus.

4. *De Sententia* DATA *in Inscriptionibus Anathematum sacrorum.*

Inscriptio adposita sacro Anathemati puta simulacro alicuius Dei tribus partibus plerumque constat. Scilicet 1. Nomine et Cognomine Personae, quae vovet, dedicat, sacrat Anathema. 2. Nomine et Cognomine Dei, cui Anathema offertur et sacratur. Et 3. Obiecto, fine, consilio, ratione, quibus consecratur et offertur. Ita ut data Inscriptione Anathematis sacri

in quacumque humana lingua, dummodo sit iustae et aequae amplitudinis, haec tria obiecta quaeremus et exspectabimus; si Titulus brevior, et signum Dei clari, potuit nomen Dei praeteriri.

5. *De Sententia* DATA *in Inscriptionibus Etruscis prolixioribus, quae ad Cryptas funebres fuerunt adpositae.*

Data Inscriptione ad Cryptam funebrem adposita non possunt esse nisi duo obiecta, quae ea contineantur. Unum nempe Historicum, alterum Liturgicum et rituale. Scilicet vel ea Inscriptione referentur Cryptae vel funebris Hypogaei Conditores, Ornatores, Auctores, Domini: vel exponi ea potuit Ritus et Liturgia et Ceremonia funebris, quam Collegium Sacerdotale vel Fratria sibi constituit et disposuit. Qui in data Inscriptione haec invenit sentit recte, qui alia et diversa colligit, non sentit recte.

CAPUT III.

De DATIS *Lexeoschematicis sive Hieroglyphicis Linguae Etruscae.*

1. *Innumera Sigilla et Simulacra Divina Etruscorum propria et patria profunda et arcana arte ex Lingua Sacra et incommunicabili condita fuisse certo tenendum est.*

Nam omnia *Hieroagalmata*, et Signa, et Dramata divina, omnia simulacra Deorum implexa et composita apud veteres Gentes profundissima sollertia per *Lexeoschemata* Linguae Sacrae fuisse condita in *Fundam. Hermeneutic. Hierographiae crypticae* etc. demonstrare adgressi sumus: ipsa autem Sigillorum Etruscorum explicatione id palam faciemus, Deo dante, in *Pantheo*, et *Hierographia Etrusca*, quae sunt iam iam edenda.

2. *Dramata Urnarum funebrium Etruscarum habenda sunt Lexeoschematica.*

Ex quo studia Etruscae Archaeologiae recoli coept sunt, Bourguetus, et alii plures inter Drama Urnarur funebrium et Titulum adpositum relationem quam dam et nexum quaerere adlaborarunt; Ausu profund rationali. Nam laudabile est in factis humanis quae rere et postulare rationem et consilium. At Schol Lanziana omnibus DATIS, et adeo veritatis invenienda rationibus adversa, acerrime semper hunc nexur et hanc mutuam relationem Dramatis et Tituli ir pugnavit et refellit: et ceteris pertinacius Vermi gliolius. Non profecto iniuria, nam nexus ille, quer ex. gr. Bourguetus, et Mazochius quaerebant, no erat, vel erat vanus, et fatuus. At quidni erit alius Itane una esse potest relatio et nexus rerum? Nc contra nunquam putamus Drama esse absque ull relatione cum Titulo Defuncti: immo affirmamus ser per *Lexeoschematice* cum illo referri, et coniungi. E hac occasione aio Hierographos Etruscorum pecu liare sibi genus Hieroglyphicorum condidisse; quo rum natura quaesita in *Fundam. Hermen. Hie rogr. Crypt.* pag. 114 ad 119. satius explicatione ips Dramatum et Titulorum obtinetur, quam prolix Theoriae expositione, quam Deo dante dabimus siv in *Pantheo*, sive in *Hierographia* Etruscorum eden da, sive hîc V. *Sectione secundae Partis.*

SECTIO VI.

DE CHARACTERIBUS ET CRITERIIS LINGUAE *DANDAE* ATQUE ELI GENDAE, PER QUAM SCILICET INSCRIPTIONES ETRUSCAE POSSIN RATIONALI ET CERTO MODO EXPLORARI ATQUE EXPLICARI.

1. *Primo requiritur, ut Lingua* DANDA *sit nota certa, et vocabula Etrusca vel perfecte homiopho na vocabulis Linguae* DANDAE *respondeant, ve saltem eius certis et* DATIS *Radicibus.*

Nam hoc tantum pacto *Vocabula* Linguae *ignota* rationali modo possunt fieri *Nota* et certa; quocumqu

alio modo persuasio rationalis impossibilis est. Si quis flagitaret vocabula Etrusca ipsa tota et semper invenienda esse in Lexico Linguae DANDAE flagitaret *nimium*, peteret, quae exsequi nemo posset, et merito. Nam quid faceres Philologo, qui ut diceret vocabula Graeca *Geometriam*, et *Stereometriam*, et *Metaphysicam*, vellet haec vocabula inter Radices ipsas Graecas nancisci? Nam satis superque est haec, ut alia innumera vocabula, per certas, claras, et evidentes radices Graecas condi et componi. At longe aliud est et diversum, si quum quis petiisset a Lanzio *Saggio* II. Pag. 480. 481. undenam esset vocabulum Etruscum PHLERES is respondisset: esse a Graeco ἱερος, vel esse a Graeco φιλεω *amo*, a quo ipse faceret primum φιλερον, res quae *amatur*, et hinc φιλερον *donum* munus: a qua voce Lanziana recentissima Etruscus Sacerdos fatua corruptione ante 2600 annos fecisset PHLERES. Aliud est flagitare, ut inter Radices Linguae DANDAE sint ex. gr. vocabula Etrusca TURAN, THALNA, TURMS, quoad singulas literas, quum satis sit esse Radices elementares, formatrices, claras, certas: aliud et diversum TURAN esse factum a vocibus Graecis τα ουρανια, THALNA, a τα αλινα, αλινα *maritima*, quum sit ex *Sale confecta*, TURMS a το ερμης: quae quum nulla aequa homiophonia, nulla anologia, nulla auctoritate suaderi possint, sunt prorsus nihili habenda et facienda.

2. *Secundo requiritur ut Lingua DANDA nota sit coaeva et aeque vetusta, ac Lingua Etrusca ignota.*

Nam quum Lingua DANDA habenda sit necessario vel mater, vel soror, vel filia Etruscae, utpote, quae mutuo explicentur, ut coaeva est mater, filia, soror, ita lingua *Danda* coaeva debet esse Linguae Etruscae. Aevo etiam atque aetate Linguae immutantur. Et Lingua quam ineunte saeculo agnoscis, exeunte videri poterit diversa. *Vetustas*, scribebat Varro

*

prudentissime de L. L. IV. p. 6. *non pauca depravat*, *multa tollit* : *quem puerum vidisti formosum* , *nunc vides deformem in senecta. Tertium saeculum non videt hominem* , *quem vidit primum.* Criterium autem aetatis cuiuscumque Linguae faciunt Libri, vel Inscriptiones , vel quaecumque Scriptura certae aetatis et temporis. Ita ex. gr. ad rem nostram animadvertimus VIII. saeculo prochristiano et certius VII. Linguam Etruscorum per Collegia Sacerdotalia fuisse iam constitutam, et Libris aliquot receptam. Nam certum est Romuli aetate, sive primorum Romanorum tempore, non modo fuisse constitutam Etruscorum Rempublicam , sed Romam ipsam ex Librorum Etruscorum praescriptis et ritibus fuisse fundatam. Vid. Plutarch. in *Romulo.* Adeoque nulla Lingua poterit DARI ut coaeva et intime homogenea Etruscae, nisi monumenta et documenta Libris recepta ad VII. et VIII saeculum prochristianum certo pertingant.

3. *Tertio requiritur, ut Characteres Grammatici fundamentales Linguae DANDAE sint vel iidem*, *vel plane similes ac characteres Linguae Etruscae.*

Scilicet necesse est ut Lingua DANDA sit Radicalis, Indeclinata , Polydynamica , Rizophylax , ut est Etrusca. Nam si datur Lingua Classica, Declinata, et Pleromorpha, impossibile quod sint mutuo comparabiles. Nam Clisiacismus et Classicismus necessario faciunt disperire innumeras radices, quae secus servantur et vigent in Lingua indeclinata atque amorpha. Hinc illae frequentes querelae doctissimi Varronis de verbis *Obliveis* Latinis , et de impossibili versione Linguae veteris aetate recentiori. Ponamus in Lingua Classica sive Latina sive Graeca sive alia centum Verba componi per viginti praepositiones *Ex. gr. a, ab, cum, prae, pro, etc.* habebimus $100 \times 20 = 2000$ Verba composita ex Radicibus tantum $100 + 20 = 120$. Atqui in Lingua indeclinata et Aclassica sunt neces-

sariae 2000 Radices distinctae et diversae, quae respondeant istis 120 Radicibus et 2000 verbis, et hoc pacto Linguae fiunt mutuo incomparabiles et inconvertibiles, non datis Lexicis et Grammaticis.

4. *Quarto requiritur ut utraque Gens, cui Lingua Etrusca et* DANDA *spectant, sit homodiaeta, similibus vel iisdem institutis et moribus instructa.*

Nam si Lingua est ipsa expressio et nomenclatura Institutionum socialium et morum: si tota Lingua Etrusca et DANDA una fere eademque debet esse, quia una per aliam est convertenda: utique mores atque instituta Gentis utriusque debere esse simillima vel eadem necessario consequitur. Adeo ut datis moribus atque institutis diversis atque adversis impossibile sit unam Gentem et alteram esse homoglossam, et *lingua* uti per omnia adfini.

5. *Quinto requiritur, ut vel consanguinitas, vel intima adfinitas, vel diuturna et longa cohabitatio Gentis utriusque sit historice certa et demonstrata.*

Nam impossibile est haberi et obtineri Linguas plane sorores, intime similares, homogeneas, nisi per consanguinitatem, adfinitatem, sive intimam coniunctionem, vel per cohabitationem diuturnam. Et propterea contra tenebimus numquam haberi posse homoglossas Gentes, quae nec consanguinitate, nec adfinitate, nec cohabitatione diuturna fuerunt sibi mutuo coniunctae et commixtae.

6. *Sexto requiritur ut vocabula Linguae utriusque sint perfecte Homiophona. Scilicet ut homiophonia Linguae utriusque sit aequa, regularis, rationalis, et intime probabilis.*

Et ita quidem aequa, ita similis, ut Vocabula linguae utriusque sint mutuo substituenda, ut in Vocabulo linguae DANDAE debeat clare et certo agnosci Vocabulum linguae Etruscae, et unum haberi pro altero: quod nisi per intimam similitudinem habire

non potest: scilicet ubi voces constant literis eiusdem organi, vel soni similis, et quarum permutatio et corruptio oriri potuit vi climatis, temporis, et tribulici gutturis. Qui vero clamant esse innumeras caussas per quas non, ut nos hic ponimus, leviter tantum et homiophonice, sed gravissime et foedissime linguae immutentur et corrumpantur, et adeo posse Interpretem late magis vagari ad captanda vocabula homiodynamica: hi naturam rationalis persuasionis et aequae fidei humanae vel ignorare, vel prorsus negligere videntur. Nam ubi aequa homiophonia abest, quidquid tu blateres, de possibili heterophoniae generatione egomet nunquam credam, et tu adeo nil umquam in tua interpretatione proficies. Ita si tu ex gr. clamas Etruscum hominem Graecorum το: ἔρξε in TURCE fatue pervertisse: ego contra non modo non credo, quae tu affirmas, sed te mentiri aio, Etruscum TURCE patrium et proprium affirmo, et te calumniari impudenter assevero. Idipsum dicerem de aliis vocabulis, quae tu foede corrupta ex alia lingua obiiceres. Lingua igitur DANDA debet esse perfecte homiophonica in suis radicibus et elementis cum vocabulis Etruscis.

7. *Septimo requiritur, ut vocabula datae Inscriptionis Etruscae vel prorsus omnia nullo excepto, vel fere omnia homiophona sint vocabulis Linguae DANDAE.*

Nam primo, quum consilium et propositum Interpretis sit Etruscam Inscriptionem intelligere et vertere, et eam intelligere et vertere impossibile sit nisi omnibus et singulis vocabulis explicatis et versis: utique Interpreti illa *Lingua* DANDA est, per quam omnia et singula vocabula possint explicari. Secundo quia plurimae homiophoniae falsae et mendaces haberi possunt in Linguis diversis, et quae Lectorem fallent, nisi totam Inscriptionem intelligat, et capiat. Et adeo esset ridiculus, qui Inscriptione Etrusca

percursa, quod aliquot homiophonias sive Celticas, sive Slavas, sive Samscriticas deprehenderit, statim inclamaret se iam Linguam matrem vel sororem Etruscae invenisse et deprehendisse. Criterium ergo Linguae DANDAE erit sive totalis et plenus, sive plane ingens numerus homiophoniarum aequarum, et intime similarium.

8. *Octavo requiritur, ut omnia* DATA *Linguae Etruscae aequas et opportunas caussas habeant et obtineant in Lingua* DANDA.

Nam *ignota* fieri *nota*, nisi per alia *nota* impossibile est. Ergo per una DATA sua potest *Lingua Etrusca* definiri, et explicari. Et propterea si *Lingua* potest DARI, qua DATA Linguae Etruscae clare explicentur et capiantur, nemo dubitabit, quin haec sit ipsa Lingua quaesita atque exoptata.

9. *Nono tandem requiritur, ut ex versione totius Inscriptionis Etruscae sententia exsurgat Grammatice, Logice, et Archaeologice probabilis.*

Nam haec prima intrinseca et necessaria Criteria veritatis. Si inter omnia vocabula Etrusca, et Linguae DATAE est aequissima homiophonia; Si eae quaecumque sint leges Glossomorphes servatae; Si sententia obiectis personis rebus congruit et convenit; si mores et instituta vetera servata expressa, tum est intrinsece probabile nos recta via incedere; si secus erramus.

SECTIO VII.

ETRUSCAS INSCRIPTIONES PER LINGUAM CELTICAM, CANTABRICAM, GERMANICAM, SLAVAM, SAMSCRITICAM VERTERE, ATQUE EXPLICARE IMPOSSIBILE EST.

1. *Primo quia Monumenta et Documenta scripta harum Linguarum non sunt coaeva Monumentis et Documentis scriptis Linguae Etruscae.*

Nam Documenta scripta Linguae Cimbro-Britannicae, quae a pluribus *Celtica* appellatur, non sunt

vetustiora saeculo Christiano XII, quum *Fabulae Romanenses equestres* celebrari primum et cani sunt coeptae. Et si plures sunt qui putent iam sexto saeculo Christiano receptam scriptis et libris Linguam huiusmodi fuisse, eos prorsus illusos putabimus, nisi historiam pragmaticam certissimis argumentis chronologicis demonstratam exhibebunt. Tum illud de huiusmodi Lingua est sedulo adnotandum, Dialectos suas gravissime secum discrepare, et examinato universo Lexico mediam fere vocabulorum vel quasi *tertiam* partem inveniri Romaicam, et foede saepius ex Latina corruptam: quod iamdiu praeter alios doctissimus Anglus in *Iournal Classical* ann. 1819 gravi labore et studio ostendere est adnisus.

2. Documenta scripta Linguae Cantabricae longe sunt recentiora: quum nullus liber possit excitari vetustior saeculo XVI. Tum Lingua, quam novimus, tertia fere ex parte est Romaica, ut egomet peculiari cura Lexico *Leclusiano* examinato novi et sensi.

3. Documenta Linguae Germanicae, eius nempe quae modo viget, non sunt vetustiora saeculo XIII. si quae citantur vetustiora et saeculi IX. sunt gravissime discrepantia, et si alia vetustiora saeculi IV. et gravius etiam discrepant et discernuntur.

4. Documenta Linguae Samscriticae certa mihi non sunt vetustiora II, III. et IV. saeculo Christiano: qua aetate nos tenemus factam et conditam a Collegiis Samanaeis et Buddisticis in Cryptis et Hypogaeis potissimum Salsettae Elephantae Ellorae Linguam huiusmodi. Scio plerosque alios de vetustate Samscriticae Linguae admodum diversa sentire, sed aeque scio neminem adhuc extitisse, qui probare et demostrare potuisset aetate Alexandri Magni unum Poëma Samscriticum adhuc extitisse, quum certum sit plerosque magnos Poëtas Indicos non fuisse nisi aetate Regis Mythici et absurdissimi *Vicramaditia*, qui ponitur tamen vel 57 anno ante aeram Christianam, vel 78

post; tum in aliis pluribus et diversissimis aetatibus sed posterioribus, ut iamdiu doctus anglus Mackensie peculiari opusculo demonstravit. Vid. *Fundam.* nostra *Glossosoph.* lib: VI. Sect. 4.

Contra vero Linguam Etruscam VIII. iam vel VII. Saeculo Prochristiano receptam libris, et scriptura sua constitutam, ut iam superius pag. 68. innuimus, est certo tenendum. Et certo tenendum linguas libris receptas, et uni tantum Magistro tributas, et linguas prorsus orales vel sero nimis libris receptas non esse mutuo comparabiles, et convertibiles.

3. *Tertio quia Characteres Grammatici harum Linguarum a characteribus Linguae Etruscae penitus discrepant.*

Nam lingua *Germanica, Slava*, *Samscritica* sunt declinatae, classicae, et ex suo systemate *Rizophthatticae:* quum contra *Etrusca* sit indeclinata, radicalis, et ex systemate suo *Rizophylax:* nempe huiusmodi, ut sint mutuo incomparabiles, et inconvertibiles absque Lexicis et Grammaticis datis. Lingua *Cantabrica* est etiam declinata, et in coniugationibus verborum gravissime implexa, tum est profunde *Rizophthartica.* Lingua *Celto-britannica* est quidem minus declinata, sed abundat ingenti numero particularum Glossomorphicarum, et est etiam gravissime *Rizophthartica.*

4. *Quarto quia mores atque Instituta Celtarum, Cantabrorum, Germanorum, Slavorum, Brachmanum penitus discreparunt a moribus atque institutis Etruscorum.*

Nam *Etrusci* aedificant domos, extruunt moenia, condunt Urbes: Celtae, Galli, Germani, Sarmatae aedes lapideas vel ignorant, vel demoliuntur. Etrusci Iconoplastae, hae Gentes Iconoclastae. Etrusci pluribus et longis vestibus induti, hae Gentes seminudae, vel bracatae: et ita porro per reliquam vitam. Adeo ut impossibile sit data tanta vitarum et morum

discrepantia Lexica esse intime similia. Quod si Brachmanibus Indis non fuit ingenium Scythicum; Bracmanes et Samanaei ex alia parte gravius etiam discreparunt ab Etruscis, quam Scythae et Sarmatae. Nam isti Brachmanes et Samanaei fuerunt plerumque atroces Ascetae, sylvicolae, eremitae, hylobii, et Gymnosophistae, nulli apud eos libri Augurales, Fulgurales, nulli Haruspicini: et adeo alia et longe diversa Lexica.

5. *Quinto quia Etrusci nec genere nec adfinitate, nec sedibus et societate diuturna et intima cum Celtis, Cantabris, Germanis, Sarmatis, Indis fuerunt umquam coniuncti.*

Ut notum ex historia pragmatica tum Etruscorum, tum harum Gentium singularum, utque nos superius, quoad Celtas, Germanos, Scythas, Sarmatas peculiari capite demonstravimus pag. 33. ad 37.

6. *Sexto quia DATA Linguae Etruscae sunt per has Linguas intractabilia.*

Si DATA linguae Etruscae fuissent per has linguas tractabilia, saltem illi literati viri, qui ad eas confugerunt, tractassent vel tentassent. Atqui ego aio esse intrinsece intractabilia. Si quis alius potest, tractet, et causas pandat.

SECTIO VIII.

Etruscas Inscriptiones per Graecam Linguam explicare et vertere impossibile est.

1. *Primo quia Etrusci et Graeci fuerunt heterodiaeti, et moribus et institutis mutuo gravissime discreparunt.*

1. *Quoad intimam Regiminis constitutionem.* Nam Hellenes numquam usi sunt, ut Etrusci, Regimine Aristocratico severo, numquam recti sunt per collegia Sacerdotalia. Et quamvis ab adventu Heraclidarum plerique Graeci uterentur Regimine Ari-

stocratico ; hoc semper fuit temperatius, et aequius, et diversum ab Etrusco.

2. *Quoad Nomina Personalia.*

Etruscis plura, scilicet Praenomen, sive Nomen individuum, Nomen Gentis Paternae, Nomen Gentis Maternae, Nomina Familiarum, sive sectionum Gentilium, vel potius Fratriarum, Curiarum, Collegiorum Sacerdotalium. Hellenibus nuda nomina individua; addebatur nomen Patris vel Patriae, ut invicem discernerentur. Pythagoras Mnesarchi, Miltiades Cimonis, Cimon Miltiadis, et ita porro; qui mos primo intuitu levis, est summi et incredibilis momenti, ut inde universa vita civilis iudicetur et definiatur.

3. *Quoad Sacerdotia.*

Sacerdotia Etrusca omnia per familias distincta et adsignata, iure hereditario firmata. Et quamvis leviter adhuc in cognitione linguae sive etymis Nominum Gentilium profecerimus, facile tamen agnoscimus plura *cognomina*, quae Sacerdotales origines aperte produnt, ut *Felchies*, *Sethres*, *Lautnati*, *Lautneteri*, etc. In Graecia contra exceptis plane paucissimis, cetera Sacerdotia per electiones et suffragia adtributa potioribus et volentibus.

4. *Quoad Divinationes.*

Divinationes Etruscae arcanae omnes, prodigiales, Sematicae, mutae, etc. Graecis contra pleraeque captae ex oraculis vocalibus, ut oraculo Delphico.

5. *Quoad anonymismum Politicum.*

Scilicet, ut adnotavimus pag. 19. omnes illustres et magni viri Etruscorum fuerunt Politice Anonymi, innominati, et penitissime ignoti in Historia ob absurditatem Regiminis Aristocratici, et eius essentialem Anhistoresiam. At Graecorum illustres viri omnes fere noti, quia Regimen aequius et Philohistoricum.

6. *Quoad Templa et aedes sacras.*

In Graecia, in qua licebat universum civium coetum

in eadem aede coadunari, positae aedes sacrae ingentes. In Etruria Aristocratica, qua Populus servus et hostis nulla ingentia Templa, quia in nullo magnus Populus erat excipiendus et continendus.

7. *Quoad Systema Mythicum.*

Nullum Etruscis, nullum fuit patrium, proprium, Systema Mythicum, et per Sacerdotes Patrios conditum, quia Sacerdotes ipsi Fabulis et Mythis non egebant, veritate Theologica a Patribus suis plene instructi. Populus contemtus et servus non putabatur dignus, qui traditionibus Religiosis ne fabulosis quidem imbueretur. Contra Graecis varium, magnum, implexum Systema mythicum, quia Populum habere plane ignarum traditionum Theologicarum visum Sapientibus et Patribus nefas, ut aperire et exponere ipsas veritates Theologicas nudas et sinceras facinus gravissimum: sed receptum omnibus per *Mythos* et *Fabulas* esse Populum et Plebem erudiendam, et instruendam.

8. *Quoad Cryptas funebres atque Hypogaea.*

Haec prorsus frequentissima et magna, et saepe insignia in Etruria, ab Hellenibus veris et genuinis in Graecia vel nulla, vel parva, et longe pauciora, nec insignia, et peculiari opere distincta; quin si quae Hellenibus tribuenda, facta ex imitatione Pelasgica tenendum est.

9. *Ergo Etrusci et Hellenes habendi Populi heteroglossi.*

Populos enim, qui Regiminis intima natura et pluribus moribus fundamentalibus discrepant uti linguis plane sororibus, et intime affinibus impossibile est, vel saltem iis quarum una pro alia possit substitui.

II. *Secundo quia certum est Pelasgos Tyrsenos Patres et Fratres Etruscorum fuisse ab Hellenibus prorsus heteroglossos.*

Nam Herodotus agens libr. I. cap. 57. 58 de *Pe-*

lasgis, qui murum et arcem Atheniensium extruxerant, et quos fuisse Tyrsenos ex Locis habitatis, nempe Bythinia, Cyzico, Placia constat: data opera animadvertit fuisse eos ab Hellenibus prorsus *heteroglossos*: et addit scitissime ipsos Atticos, qui fuerant olim Pelasgi Aegialaei et Cranai deposuisse et abiecisse linguam Pelasgicam, et Graecam atque Hellenicam adoptasse. Tum idem Herodotus agens libro VI. c. 135. 136. p. 372. de raptu Atticarum mulierum facta Braurone a Pelasgis Lemniis, qui ipsi Tyrseni sunt, distincte etiam animadvertit fuisse eos heteroglossos, et Atticas raptas conatas linguam suam Atticam filiis susceptis a Tyrsenis tradere Nec est praetereundum Diodorum Siculum agentem lib. V. cap. 47. de Samothracia, et de Pelasgis Tyrsenis, qui eam habuerunt, monere, quod eis fuisset ἰδία dialectus, et adeo lingua ab Hellenica diversa. Quin omnia Genera Pelasgorum sive pleraque, sive plurima vocabula Rerum alia et diversa ab Hellenicis adhibuisse Terentius Varro in L. Aelium animadvertit apud A. Gellium Noct. Act. I. cap. 18. p. 31. qui ex ipso Varrone haec adscribit. *Multa enim* (verba) *vetera illorum* (Graecorum) *ignorantur, quod pro iis alis nunc vocabulis utantur* (Hellenes), *et illorum esse plerique ignorent. Graecum quod nunc nominant* ἤλλημα, *puteum, quod vocant* φρέαρ, *leporem, quod* λαγωὸν *dicunt.* Qui autem putaret ex his testimoniis colligi tantum varietatem quamdam Dialectorum non fundamentalem Linguae diversitatem, penitus erraret. Nam Herodotus qui distincte etiam memorat incredibili Dialectorum varietate Iones suos et Aeoles Asiaticos laborasse; qui sciebat Lacones tam rudi et absurda dialecto uti, ut ne periodum quidem Attici oratoris capere valerent: eos tamen heteroglossos non appellat, sed Hellenice et Graece loquutos eos putat: Ergo necesse est utique dicere Linguam Pelasgorum Tyrsenorum atque adeo Etruscorum per intimam suam constitutionem ab Hellenica discrepasse.

III. *Tertio quia nemo Scriptorum veterum, neque Graecorum neque Latinorum, Graecorum Linguam affinem Etruscae dixit: quin plures plane diversam.*

Atqui cum Etrusci Graeci et Latini per XII ferme saecula cum eadem literatura et commercio unâ vixerint, si fundus Linguae Etruscae fuisset idem et intime affinis Hellenico, plurimi adnotassent et animadvertissent. Contra vero Dionysius Halicar. in omnibus Graeciae Dialectis doctissimus, et qui 22 annorum mora in Italia et Romae Etruscos intime noverat, apertissime affirmat libr. I. pag. 24. eos non esse ὁμογλώσσους Hellenibus. Tum Iuvenalis Satyr VI. v. 186. scribit: *Nam quid rancidius, quam si se non putet ulla « Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est, « De Sulmonensi mera Cecropis*! etc. Scilicet Iuvenalis tenebat penitissime Linguam Etruscam distare ab Hellenica. Et si S. Clemens Alexandrinus in Protr. p. 12. agens de Baccho Cabirico Etruscorum eos appellat *Barbaros*, certo tenendum est ad eorum *Linguam* potissimum spectasse.

IV. *Quarto quia Lingua Etrusca, et Lingua Hellenum, quam novimus, non sunt coaevae.*

Nam Lingua *Etrusca*, ut saepe monuimus, constans, fixa, certa, ut ut pavromorpha, a prima Gentis aetate, saeculo VIII. Prochristiano recepta fuit in libris. Atqui contra ante annum 600 Prochristianum absolutam plane Linguam Sophoclis, Euripidis, Platonis demonstrari non potest; quin certo tenendum non fuisse absolutam. Nam ut datis Homeri Poematibus a Pisistratidis collectis circa ann. 520. ante Christum, statim plurimi vere magni Poëtae et deinceps Sophistae claruerunt, ita si data fuissent haec ipsa Poëmata circa ann. 720-620. floruissent aeque plurimi Poëtae, qui adhuc legerentur. Atqui nulla Inscriptio Graeca hactenus nota vetustior VI. saeculo Prochristiano, et qui tenent extitisse plures longe ve-

tustiores sinceras et genuinas, habendi sunt plane pueri in studiis Palaeographicis. Ergo Lingua Hellenum, quam novimus non vetustior 600. anno Prochristiano: non quod isto 600 annó 2000. Radices Hellenicae antea omnes ignotae tum fuissent creatae, vel tum primum universa Glossomorphe efformata; sed tum absoluta, tum post decem saeculorum labores ingentes postrema fere manus linguae accuratissimae imposita. Lingua enim quae dici posset Hellenica perfecta est ab Homeridis, genere arcano Literatorum, et mea sententia Ascetarum Samanaeorum, de quibus nonnulla dicta iam sunt libro V. et VI. *Fundament. Glossosophic.* Ante hos autem Samanaeos Homeridas usque ad Cadmum, Linum, Musaeum, et Orpheum, viguerunt per Graeciam Linguae Orphicae, Cadmoneae, Aeolicae, Lelegicae non quidem penitissime, sed plurimum diversae ab Homerica, et Hellenica recentiore, tum quoad vocabula, tum quoad formam. Nam illae linguae Graecae erant pavromorphae, cryptomorphae, quarum linguarum quamdam similitudinem arbitramur esse agnoscendam in *Tabulis Eugubinis*, de quibus agimus in *Tentamine* nostro *Osco:* Et has linguas Pseudomorphas, Lelegicas, Aeolicas, Orphicas adhibuisse putamus Macedones, Thessalos, et Epirotas ipsa aetate Historica Regum Macedonum, et Reipublicae Romanae, qua ipsa aetate eos omnes non Hellenice fuisse loquutos, sed barbarice, historice certum est. Ante quas linguas Lelegicas et Aeolicas viguerunt in Graecia eâdem Linguae Pelasgorum Arcadum, Argivorum, Atticorum, Tyrsenorum: quorum Linguae penitus amissae et deperditae in Graecia, servatae tamen ex parte fuerunt in Italia: Scilicet lingua Tyrsenorum per Etruscos, Lingua Arcadum-Dardaniorum et Atlantiorum per Oscos, et maxime Campanos. Quum igitur primum Aeoles Deucalionidae, deinceps Orphici, postremum

Homeridae pertinaciter, sollerter, systematice per eas leges, methodos, et rationes, quas prolixe exposuimus in *Fundam. Glossosophicis* nostris maxime lib. II. IV. et VI. per decem saecula adlaborassent, ut conderent Linguam plane aliam et diversam a Pelasgicis et Noachicis, quis nisi frustra Pelasgicam hanc Etruscam longe diversissimam vellet per Hellenicam et Lelegicam explicare et vertere?

V. *Quinto, quia characteres Grammatici linguae utriusque sunt diversi.*

Scilicet, ut saepius monuimus, Lingua Etrusca est radicalis, polydynamica, indeclinata, pavromorpha: et contra Lingua Graeca sive Hellenica est declinata, pleromorpha, classica, scilicet alio et diverso artificio est condita, ita ut esse non possint mutuo comparabiles, et convertibiles, ignota vocum potestate.

VI. *Sexto quia ex Lexico Etrusco, atque Hellenico non potest colligi aequa series vocum homiophonicarum*

Quod facile, evidenter, et necessario fieri debuisset, si Linguae fuissent sorores, et eodem radicum fundo constantes. Omnes Linguae Romanicae, omnes Germanicae, quin omnes Iapeticae omnes Semiticae sorores habent centurias plures vocabulorum omnis mensurae tum homophonicarum, tum homiophonicarum. Atqui ne quatuor quidem vocabula characteristice *homiophonica* ex omnibus lexicis Graecis possunt colligi et proferri. Et qui ad Plebeias et barbaras corruptiones confugiunt, ut Lanziani, hi et Gentes praestantissimas calumniantur, et limites ipsius plebeiae corruptionis ignorant. Nam etiam modo in quacumque vel corruptissima Romanica Dialecto sunt plurimae decuriae vocabulorum polysyllabicorum, quae in Lexico Ciceronis et Livii agnosceres et sentires. Haec igitur intrinseca *heterophonia* invicto est argumento Linguas conditas fuisse per alias et diversas rationes et methodos.

VII. *Septimo quia* DATA *Linguae Etruscae sunt per Linguam Graecam intractabilia.*

Vocabula Etruscorum DATA, et *Inscriptiones bilingues* nemo prorsus ex pluribus Interpretibus per Linguam Graecam examinare et excutere valuit. Lamius, Vermigliolius, vel irriserunt, vel neglexerunt. Lanzius paucissima attigit, eaque hîc Sect. I. Part. 2. refellimus. Kellermannus in *Bullett. Archeol. Roman.* 1833 pag. 51. 55. irritum omnem laborem et conatum peractum pronuntiavit.

VIII. *Octavo, quia non modo nulla Etrusca Inscriptio fuit per Graecam Linguam plene et clare versa atque explicata, sed ne decem quidem vocabula Etruscarum Inscriptionum per Graeca Lexica intellecta et comprehensa.*

In Graeca Lingua certe doctissimi Maffeius, Gorius, Passerius, Lanzius, Zannonius, Vermigliolius, Oriolius, etsi singuli per 20. vel 30. annos cupidissime in Etruscarum Inscriptionum interpretationem incubuerint, nemo tamen ex eis vel unam Etruscam Inscriptionem per Lexicon Graecum clare et certo totam explicavit.

Quamobrem qui adhuc teneret Etruscas Inscriptiones clare et certo per Lexica Graeca posse explicari, et horum studiorum ignarus, et puerilibus praeiudiciis illusus, et captus habendus est.

SECTIO IX.

ETRUSCAS INSCRIPTIONES PER LATINAM LINGUAM PLENE VERTERE ATQUE EXPLICARE IMPOSSIBILE EST.

1. *Primo quia Lingua Etrusca et Latina non sunt coaevae.*

Nam, ut iam monuimus, Linguam Etruscam receptam in Libris VII. ad minimum Saeculo Prochristiano, et iam tum per coniurationem Collegiorum Sacerdotalium, et susceptionem Aristocratici Regiminis

factam immotam, fixam, immutabilem, quantum humana esse possunt, certum et exploratum est. Contra Lingua Latina, quam novimus, est Lingua secundi tantum Saeculi Prochristiani, sive VI. saeculi Urbis Romae, a Populo inquieto, turbulento, mixto, hybrida, ad statum Reipublicae democraticum et Isonomicum acerrime contendente condita, constituta, et formata, et propterea per elementa, per methodos, et rationes a Sacerdotalibus Etruscis prorsus alias et diversas, ut quis potest et debet tenere, ex iis quae disseruimus in *Fundam. Glossosophicis* Lib. II. et VI. Quis ergo mutuo convertet duo Lexica aetatis, formationis, et naturae tam diversae?

2. *Secundo quia historice et pragmatice certum est veterem Romanorum Linguam tam graviter, ita intime discrepasse a recentiore, et nobis nota, ut* VII. VIII. IX. *saeculo Urbis vetera monumenta et documenta vel minime prorsus, vel aegre et dubie intelligerentur et caperentur.*

Hymnus solemnis in laudem Iunonis Reginae a praestantissimo Poëta Livio Andronico conditus ita aetate Livii Patavini historici visus *horridus* et *inconditus*, ut literis referri non mereretur: v. Libr. XXVII. cap. 37. pag. 57. 58. ad ann. 545. Ipsa *Faedera publica* et solemnia cum Gentibus externis composita V. saeculo Urbis, non III. ut plurimi et falso tenent, aetate sua esse vel obscura, vel aegerrime explicari Polybius distincte memorat libr. III. c. 22. p. 265. Varro qui novem libros de Lingua sua scripserat non semel, sed saepius, de ista gravissima immutatione queritur, deque *verbeis obliveis* agere non posse. Tum scribit libr. VI. p. 80. *Sed etiam Teucer Livii post annos duodecim ab sueis qui sit ignoratur.* Romana carmina condita a Numa Pompilio » *neque ea a superioribus accepta* » sive Romanis Romulidis, ut ipsemet Varro loc. cit. scribit, haud fuisse a recentioribus clare et plene intellecta testis

ipsemet Varro loc. cit. et libr. VI. p. 80. Horatius Epistol. II. 1. v. 86. 87. Quintilianus libr. I. Inst. cap. 6. p. 69. et libr. VIII. c. 2. p. 485. Quamobrem si plane certo tenendum est per Radices Linguae Latinae, quae viguit ab VI. Saeculo Urbis, non posse vetustiora documenta et monumenta Latina plene et perfecte explicari; quis nisi demens putaverit posse plene explicari Inscriptiones Etruscas, nempe Gentis plane diversae, et quam Tiberius Gracchus in Senatu *barbaram* publice appellaverit? Si Aelius Stilo, Terentius Varro, Horatius Flaccus, Fabius Quintilianus non possunt capere et intelligere linguam Patrum suorum veterum Romanorum, qui Lanzius, Campanarius, Zannonius Etruscam per idem Lexicon explicabunt et capient?

3. *Tertio quia ex pluribus et certis testimoniis Scriptorum veterum tenendum est Linguam Etruscam et Latinam intime mutuo discrepasse.*

Nam Dionysius Halic., quem paullo supra citavimus, ουδενι ὁμογλωσσον Gentem Etruscorum affirmat: ideoque Romanis Heteroglossam facit. Tum libro V. pag. 298. agens de Mutio Scaevola Romano, qui Etrusce cum Etruscis fuerat collocutus distincte memorat, id factum quod puer a nutrice Etrusca in hac Lingua fuisset institutus. Livius etiam libr. IX. c. 36. p. 216. agens de Claudio Caesone, qui fuerat missus speculator ad Etruscos distincte pariter memorat, quod Linguam Etruscorum antea didicerit. Quin idem Livius libr. X. c. 4. p. 241. quum ageret de insidiis, quas Etrusci Romano exercitui paraverant, refert Romanos non valuisse intelligere, quae Etrusci palam sibi inclamabant et vociferabant, nisi Caeritensis homo voces illas Romanis explicasset et aperuisset; argumento longe evidentissimo, quod Radices Linguae Etruscae essent penitus diversae et aliae a Latinis. Tandem Gellius lib. XI. c. 7. p. 523. refert Oratorem Romanum, qui obsoleta et oblivia vo-

cibula Latina captabat, et recitabat, exceptum risu ab omnibus fuisse quasi *Etrusca*, vel *Gallica* protulisset: vocabula scilicet non modo alia et diversa, sed harmoniae et naturae prorsus heterogeneae, et funditus a Latina abhorrentis.

4. *Quarto quia Characteres Grammatici Linguae Etruscae alii sunt et diversi a characteribus Linguae Latinae.*

Nam Lingua Latina est declinata, classica, pleromorpha, et adeo condita per leges et methodos longe alias et diversas ac Lingua Etrusca; quas methodos demonstravimus in *Fundam. Glossosophicis* nostris. Adeoque aeternum Linguae erunt mutuo non intelligibiles, nisi dato Lexico utroque, certo, et pleno.

5. *Quinto quia ex Lexico Etrusco et Latino non potest colligi aequa series Vocum homiophonicarum.*

Atqui centuriae *Vocum* evidenter et perfecte *homiophonicarum* absoluta necessitate colligerentur ex Lexico Etrusco et Latino, si Linguae fuissent revera sorores, et intime cognatae, ut saepius monitum. Ex. gr. in lingua praesenti Italica, Hispanica, Lusitanica, Gallica, Walaka, Anglica etc. centurias vocum homiophonicarum quisque statim sentit deprehendit et colligit, ipsis linguis ignotis. Atqui nemo adhuc ne decem quidem vocabula trium consonantium Latina perfecte *homiophona* et homiodynamica Etruscis valuit invenire, proponere, et demonstrare: quod argumentum est radicalis diversitatis Linguarum.

6. *Sexto quia* DATA *Linguae Etruscae per Linguam Latinam sunt prorsus intractabilia.*

Quod constat tum experimento, quod potest quisque per se instituere: tum quia ex omnibus Interpretibus Philoromaeis, quorum singuli per triginta annos in Interpretatione incubuerunt, nemo prorsus inventus, qui decem *Vocabula* Etrusca DATA per Etyma et Caussas Latinas explicaverit atque illustraverit.

7. *Septimo quia ipsae Inscriptiones Etruscae nisi*

per gravissimam vocum depravationem, et calumniosam corruptionem per Latinam Linguam sunt intractabiles.

Ut quisque poterit per sese experiri, nisi sibi satis sint exempla plurima virorum doctorum, ut Lanzii, Campanarii etc. qui hoc periculum iam subierunt: et nil inde referre potuerunt nisi cumulum Nominum et Cognominum fatuorum, quae ipsi procuderint, crearint, condiderint.

SECTIO X.

PER UNUM LEXICON RADICALE LINGUAE SEMITICAE, QUOD SERVATUR ADHUC IN LIBRIS HEBRAEORUM, SYRORUM, ARABUM., ETC. INSCRIPTIONES ETRUSCAE POSSUNT ET DEBENT EXPLORARI, EXCUTI, ATQUE EXPLICARI.

CAP. I.

Lexicon Semiticum radicale et amorphum potest et debet deprehendi in Etruscis Inscriptionibus.

I. *Lexicon Semiticum radicale fuit Lexicum omnium Noachidum, et adeo Proto-Etruscorum.*

Nam omnes Homines, et adeo *Proto-Etruscos* unâ eademque linguâ usos fuisse usque ad Cladem Babelicam dogma est omnium Hebraeorum, omnium Christianorum, omnium Musulmanorum: scilicet potioris et insignioris partis Generis humani. Lexicon autem omnium priorum Noachidum fuisse ipsum Semiticum radicale ingenti et invicto argumentorum numero iamdiu aliquot Ecclesiae Patres, et recentiores Literati Viri, inter quos Bochartus, Buxtorphii, Morinius, Vitringa, Pfeifferus, Heideggerus, Calmetus, aliique demonstrare sategerunt. Nosque ipsi in opere nostro *Glossosophico*, de *natura* scilicet et *formatione Linguarum* humanarum, novis argumentis ex intima natura et structura Linguae Semiticae petitis ostendimus hanc Linguam Semitolexicam a Proto-Parente Generis humani condi coeptam, a successivis Patriar-

chis auctam, inlatam fuisse novo Mundo post diluvium per filios Noe, inter quos si certum est fuisse Patres Etruscorum, aeque certum Proto-Etruscos fuisse Semitoglossos.

II. *Multas Gentes etiam non Semitogeneas servasse et custodisse Lexicon Linguae Noachicae certum est.*

Nam Phoenices universos, Batanaeos, Galilaeos, Chananaeos, Poenos, plurimos Libyes, Medo-Pelvicos, Samaritanos, Abissinos fuisse Semitoglossos, et Generis sive Iapetici, sive Chamitici certum prorsus. Quin veteres ipsos Aegyptios fuisse Semitoglossos usque ad aetatem Iosephi proregis in *Fundam Herm.* pag. 329., ad 339. demonstravimus, adeout nil possit obstare, quin Etrusci Iapetidae, et Iavanidae ut vidimus supra pag. 37. 38. fuerint *Semitoglossi.*

III. *Lingua Etrusca non potest haberi Lingua prorsus idiomatica et idiogenita ex miraculo facta in Clade Babelica.*

Nam nos in cit. opere *Glossosophico* lib. IV. Sect. 6. pluribus errorem eorum refutavimus, qui putaverant revera in Clade Babelica plures Linguas heterogeneas fuisse creatas et inditas, ostendimusque nil praeter balbutiem quamdam, et gutturalium literarum impedimentum rebelles illos Homines contraxisse.

IV. *Sacerdotes et Hierographos Etruscorum profunde et plene semper calluisse Linguam Semitolexicam est certo tenendum.*

Nam, ut per graves Disquisitiones ostendimus in *Fundam. Hermeneuticis Script. Crypt.* non tantum *Scriptura Hieroglyphica*, sed omnis vetus *Hierographia*, omnia Deorum *Agalmata*, omnia *Hieroemblemata* sunt *Lexeographica* profunda arte confecta et Linguam, ex qua sumtae sint radices et vocabul nec esse, nec esse posse ob suas proprias et peculiares proprietates, nisi lingua *Semito-Lexica:* adeout

data quacumque *Hierographia*, data Sylloge *Hiero-Agalmatum*, et Simulacrorum divinorum, certo tenendum sit in eis efformandis auctores *Lexicon Semiticum* adhibuisse. Atqui fuit Etruscis *Hierographia* propria, patria, originalis, et plane varia, multiplex, ampla, insignis. Ergo plane necessario dandum est fuisse *Hierographis Etruscis* plenam et profundam notitiam Linguae *Semitolexicae*. Quae nos ipsa Analysi, ipso examine *Hieroagalmatum*, tum in *Tentamine Hermeneut. Generali* peregimus an. 1831. tum in *Pantheo Etrusco*, et *Disquisitione Hierographica* peragimus: tum Parte II. Sectione 5. huius *Tentaminis Etrusci*.

V. *Proto-Etrusci non potuerunt deponere Linguam suam patriam et propriam priorum Noachidum ante adventum suum in Italiam.*

Nam quum Proto-Etrusci, ut vidimus Sect. III. semper cohabitassent cum Assyriis in Octapoli Nemrodi, vel in Syria Aramaea, vel in Palaestina, vel in Aegypto coniuncti cum Phoeniciis Pastoribus, et adeo semper cum Semitoglossis Populis Semitice loquuti fuissent, utique non potuerunt deponere Linguam priorum Noachidum, qua utebantur adhuc omnes Gentes, cum quibus intime fuerunt mixti et coniuncti.

VI. *Proto-Etrusci facti Italici non potuerunt deponere Linguam priorum Noachidum, et aliam ac prorsus novam et diversam sibi condere et constituere.*

1. Primo, quia Tyrseni Lydi constituerunt in Italia Regimen Aristocraticum, illudque acre et severum, Sacerdotale potissimum, Hierographicum, et Liturgicum, ut demonstratum est superius pag. 18. ad 27. Atqui, ut saepe monuimus, nulla ex humanis Linguis aptior et opportunior prae *Semitica* ad tractanda obiecta Theologica et Liturgica, et quae adeo fuisset expetenda, exquirenda, adoptanda, nisi fuisset praesto. Num-

quam ergo fieri potuit, ut Collegia Sacerdotalia Linguam huiusmodi abiicerent, et aliam conderent et adoptarent.

2. Secundo, quia nullum Regimen Aristocraticum severum condi potest absque summa et acri observantia morum veterum, et institutionum maiorum, absque omnium traditionum domesticarum et tribulium acerrima custodia. Atqui inter haec est maxime et potissimum *Lingua*, et Dialectus patria, originalis, vetus, Tribulis.

3. *Tertio quia Lingua indeclinata, pavromorpha, radicalis, polydynamica, ut fuit Etrusca, non conditur et creatur nova prae alia recepta sacra, vetere patria et nota aeque indeclinata, radicali, et polydynamica.*

Sed *nova* et recens est semper et necessario declinata, pleromorpha, classica, ut non fuit Etrusca. Tum *Linguae novae* et *ignotae* literatae et liturgicae nunquam condi poterunt per Collegia Sacerdotalia hereditaria, et Aristocratica, sed semper factae a Sacerdotibus Eclecticis, quemadmodum ex iis, quae toto potissimum libro II. *Fundam. Glossosophicor.* nostrorum disputata sunt, patet.

VII. *Ergo Inscriptiones Etruscae possunt et debent tentari atque explicari per Lexicon Radicale Semiticum.*

1. *Proto-Etrusci* usi sunt necessario *Lexico Noachico*, quod ipsum fuit ac Semiticum radicale ac fundamentale, patrio, proprio, originali in Proto-Patria sua Mesopotamia Assyria et Syra.

2. *Proto-Etrusci* et Etrusci Italici usque ad finem Gentis, et dubio procul usque ad III. Saeculum Christianum, usi sunt propria, sua, patria, et profunda Hierographia, qua innumera Sigilla, Signa, et Dramata Hieroglyphica condiderunt: Atqui, ut iam monuimus, absque adiumento et fundo *Linguae Semiticae* non difficile tantum, sed prorsus impossibile

haec monumenta hierographica condere et componere.

3. *Proto-Etrusci* Asiatici cohabitantes per 20 Saecula cum Semitoglossis augere potuerunt non minuere Lexicon Linguae suae.

4. *Etrusci* facti Italici, non modo novam et heterophonam linguam condere non potuerunt, quin exceptis necessariis Idiomatismis ex compositione regulari vocabulorum Politicorum, et Liturgicorum, veterem ipsam servare necesse; et utile fuit. Ergo radices Lexici Semitici in Etruscis Inscriptionibus sunt necessario inveniendae.

VIII. *Cur hic constanter et pertinaciter diximus Etruscos adhibuisse Lexicon Radicale, ut ut Idiomatice modificatum, Semitoglossorum, et non potius fundum ipsum Linguae totius Semiticae, ostenditur.*

Nam, quemadmodum ex una parte *Radices originales* fuerunt eaedem apud *Etruscos* et *Semitoglossos*, quantum pronuntiatio Climaterica et Tribulis pati potuit: ita contra *Glossomorphe* fuit plane alia et diversa. Glossomorphe Semitolexica incipit ab *Hebero* fundatore Gentis *Hebraicae* et *Arabicae*: aucta ab *Abrahamo* Hebraeo, perfecta quantum ratio operis postulabat a *Mose legislatore*. Tenuissima Glossomorphe Etruscae Linguae, praeter paucissima adoptata commercio Hebraeorum, propria originalis et Pelasgica est, ac per alia elementa condita, ac *Glossomorphe Semitica*, ut iterum monebimus paulo post. Hinc factum, ut dicebamus, ut non tota Lingua, sed *Lexicon* tantum *Radicale*, quod satis superque est, habuerint commune *Etrusci* et *Semitoglossi*. Vid. *Fundam. Glossosoph.*

Cap. II.

Omnia requisita Linguae DANDAE *superius recensita pag.* 66. ad 74. *ad rationalem interpretationem Etruscarum Inscriptionum omnia conveniunt et congruunt Linguae Lexeosemiticae radicali.*

1. *Lingua Lexeosemitica Radicalis, et Lingua Etrusca sunt coaevae.*

Nam ea ipsa aetate, per ea ipsa saecula, per quae Etrusci *Libros* suos *Fulgurales*, *Augurales*, *Haruspicinos*, *Acheronticos*, *Rituales* scribebant, scribebant Semitolexice Libros suos plures Iapetidae Populi, ut Etrusci: Poeni, Samaritani, Phoenices, Medi. Tum Syri plurimi, Assyrii, et Chaldaei, et maxime Hebraei, quorum Prophetae plerique et praestantissimi et doctissimi tum floruerunt et scripserunt: nempe a IX. ad VI. Saeculum Prochristianum.

2. *Characteres grammaticos et fundamentales Linguae Lexeosemiticae priorum Noachidum simillimos fuisse characteribus Linguae Etruscae est certo tenendum.*

Linguam *Etruscam* fuisse indeclinatam, aoristam, polydynamicam, et plane *pavromorpham* demonstratum est Sect. IV. pag. 51. ad 57. *Linguam Semitolexicam* priorum Noachidum fuisse aeque indeclinatam, aoristam, polydynamicam, et pavromorpham demonstratam est in *Fundam. Glossosophicis* nostris libr. V. Sect. 5.

Diximus characteres fundamentales, nam sunt Idiomatici, et Idioglossici, sed ea qualitate et quantitate, qua non constituatur genus proprium et heterogeneum Linguae. Praecipuae autem istae varietates Idiomaticae et propriae Linguae Etruscae afferuntur, examinantur, earumque causae et etyma per ipsius linguae Semitolexicae radices demonstrantur in hoc ipso *Tentam. Hermeneut.* Part. II. Sect. I.

3. *Mores et instituta Etruscorum vel eadem, vel similia moribus atque institutis veterum Gentium Semitoglossarum.*

Nam *Pantheum Cabiricum*, et Religio *Herculis* characteristica *Etruscorum* fuit etiam characteristica *Phoenicibus*, *Poenis*, et pluribus Syris. *Regimen Aristocraticum* in pluribus civitatibus *Phoeniciis*, Philistaeis, et Palaestinis constitutum plures norunt.

4. *Cohabitatio diuturna Proto-Etruscorum cum Semitoglossis.*

Nam Proto-Etruscos usque ad XII. Saeculum Prochristianum Assyriam, Mesopotamiam, Syriam, Palaestinam, Aegyptum incoluisse supra pag. 40. ad 51. demonstrare adnisi sumus. Atqui omnes hae Gentes vel Semitoglossae, vel intime cum Semitoglossis coniunctae, et sociatae.

5. *Homiophoniae aequae rationales perpetuae inter vocabula Etrusca, et Radices Linguae Semiticae.*

Et ita quidem, ut nulla vox Etrusca possit excitari, cui homiophonica non respondeat ex Lexico Semitico: et si qui sunt, quibus diversum videatur, hi sunt, qui ignorant leges harum homiophoniarum, atque his studiis sunt prorsus extranei, sunt qui utrumque alphabetum non contulerunt mutuo, nec satis recte naturam singularum literarum explorarunt.

6. *Etyma et caussae* DATORUM *Linguae Etruscae aequae et rationales inveniuntur in Lexico Radicali Semitico.*

Id nos ostendere adgressi sumus tota prima Sectione *Partis posterioris* huius *Tentaminis Hermeneutici*: speramusque factum fuisse satis Lectoribus aequis.

7. *Sententia plena et integra quae ex Inscriptionibus Etruscis per Lexicon Semiticum tentatis obtinetur, est Logice et Archaeologice probabilis.*

Nam respondet Canonibus Criticis positis hic Sect. V.

p. 61. ad 65. et rectae rationi, ut omnem Lectorem aequum sentire ex proposito nostro Specimine sperare volumus.

Cap. III.

Indicantur caussae, ob quas nemo hactenus per Lexicum Semiticum Etruscas Inscriptiones explicare adgressus fuerit.

1. *Usus Alphabeti Ionici, et quidem contracti, in Inscriptionibus Etruscis.*

Etruscis fuisse Alphabetum proprium et peculiare, quo Libros suos arcanos et incommunicabiles descripserunt, pluribus gravissimis argumentis probabile, testimonio vero Iohannis Lydi, cui libri Etruscorum originales non ignoti certum est. Vide de *Ostent.* cap. 3. Et propterea aeque certum est Alphabetum, quo Inscriptiones omnes Etruscae descriptae ad nos pervenerunt, esse Ionicum, et adeo nil prorsus obstare, quin vetus traditio servata a Cornelio Tacito *Annal.* XI. cap. 14. p. 137. inlatum scilicet a Demarato Corinthio Alphabetum, habeatur plane vera, et genuina. Omnes autem sciunt Alphabetum Ionicum deformatum quidem fuisse ex Samaritano, sive Hebraeo vetustiore et communi: sed ex XXII. literis quot fuerunt Alphabeto originali, Ionico fuerunt primum vix XVI. hinc XVIII., hinc XX. et quamvis cursu temporis auctum ad XXIV. numquam claram et perfectam relationem adeptum est cum suo originali, pluresque literae Semiticae per alphabetum Ionicum inexprimibiles. Quin addendum ex ipso Alphabeto Ionico Etruscos reiecisse literas D. G. Z. non quod mea sententia vere et proprie defuissent in Lingua, ore, et pronuntiatione Etruscorum, sed ad Crypticismum Scripturae efformandum, utque ea ratione Linguae originalis natura et indoles difficillime agnosci potuisset, et divinari. Hac enim ratione plurima voca-

bula fiebant ambigua polydynamica, vel potius ignota et aliena. Nec praetereundum esse literas Etruscas puta]. Ǝ. 7. quae incertum an semper ב Semitarum respondeant, an saepe פ. Incerta potestas duorum S. nempe Ƨ. et M. incerta vis X; etsi haec mihi constanter צ tzade respondisset. Data autem ipsa Vocabulorum lectione incerta, difficili, ambigua, quis mirabitur evidentissima ratione Vocabula Semitolexica agnita non fuisse, quum potissimum omnes Radices Semiticae non sint longiores tribus consonis: et adeo nunquam Radices huiusmodi possint illam homiophoniam excitare, quae comitari solet voces Latinas Graecasve polysyllabicas, ut ex. gr. *Sacerdotibus*, *Victimarum* etc.

II. *Defectus formarum Grammaticalium quae in Lingua et Libris Semiticis insunt.*

Etsi Dialecti Semiticae non sint pleromorphae, nec plurimis formis Grammaticis exornentur, habent tamen suas, quae sint satis, et quibus evidenter distinguantur et discernantur. Et quamvis certum sit orationem Semitolexicam scriptam alphabeto Ionico, eoque contracto, esse cuicumque ambiguam, obscuram, et plurimis et gravissimis difficultatibus premi, aeque certum, quod si scripta est per suas Grammaticas formas, potest agnosci et definiri, saltem per sua fundamentalia elementa. At ubi formae illae Vocabulorum certae et definitae absunt et deficiunt, tum maximum criterium Linguae etiam deest, plerisque vocabulis ob naturam Alphabeti, et ipsius Linguae ambiguis et incertis. Quamobrem quum Linguae Etruscae nequaquam sint formae Grammaticae, quae adsunt Dialectis Semiticis, haud potest esse mirum, cur Lexicon Semiticum radicale et amorphum in ea non fuisset adhuc deprehensum.

III. *Voces Etruscae saepe longiores et prolixiores genuinis Radicibus Semiticis.*

Scilicet Vocabula Etrusca saepe constant plusquam

tribus consonis, quot constare debent longiores Radices Semiticae: adeo ut primo intuitu videantur heterogeneae a Semiticis. At huiusmodi longitudo Vocabulorum Etruscorum facta est ex profunda causa et varia. Primo scilicet ut Polydynamis et Aoristicismus plurimarum vocum minueretur vel tolleretur adiectione alterius Vocis, quae potestatem vel firmaret, vel coerceret, vel definiret. Secundo ut haberentur, Vocabula quae muneribus, officiis, et Religioni plene et opportune responderent.

IV. *Praeiudicia et errores gravissimi de natura origine et formatione Linguarum veterum.*

Quam imperfecta, obscura, incerta, varia sint Dogmata et *Theoremata Glossosophiae humanae* nemo poterit ignorare, qui de ea aliquamdiu cogitaverit. Et quae quantaque sint adhuc excutienda examinanda detegenda probanda, ex ipso Opere nostro, quod de *Fundam. Glossosophicis* fecimus satis argui putamus. Qui autem tenent et tuentur haec quasi Dogmata et Theoremata:

1. Linguam *Pelasgorum*, et *Aeolensium*, et *Hellenum* fuisse uno fundo, prorsus similes, et homiophonas:

2. Linguam *Latinam*, et *Graecam* esse Dialectos eiusdem Linguae fere identicas.

3. Linguam Latinam factam ex foedissima corruptione Linguae Hellenicae per leges Dialecti Aeolicae:

4. Omnes *Linguas Italicas* Etruscam, Oscam, Eugubinam, Romanam veterem ex uno eodemque fundo gigni, ac Graecam, et Latinam, et omnes factas per corruptionem foedam et plebeiam priscorum vocabulorum.

5. Per Linguam Homeri, Pindari, Euripidis, Plutarchi, Ciceronis, Livii, Taciti posse quaevis fragmenta veteris Italicae Linguae verti et explicari. Qui, inquam, haec tenuerunt, vel tenent et tuentur, numquam potuerunt vel poterunt deprehendere in

Etruscis Inscriptionibus Lexicon Semiticum radicale satis purum, satis sincerum, ad vocabula *Linguarum Rizophtharticarum*, ut sunt Graeca et Latina semper cogitantes; et gravissimis corruptionibus augentes heterophoniam Climatericam, Tribulim, Chronicam maxime neglecto Alphabeto heterogeneo, quo voces origine sua Semitica sunt falso expressae.

V. *Praeiudicia et gravissimi errores de originibus et civilitate Etruscorum et Graecorum.*

Qui tenent et tuentur:

1. Omnes Tribus *Pelasgorum* fuisse homoglossas et homodiaetas:

2. Omnes *Pelasgos* fuisse *Hellenibus homoglossos* et *homodiaetos.*

3. Omnes *Tribus* hominum, quae ex Graecia, utcumque et quandocumque proficiscuntur, esse *Hellenicas*, et *homoglossas* et *homodiaetas* Platoni, Demostheni, Aristophani, Euripidi etc.

4. Omnes *Etruscos* fuisse ex Genere *Hellenico*, quia *Pelasgi.*

Hi omnes numquam potuerunt vel poterunt origines *Linguae Etruscae* veras, et genuinas, numquam *Radices Semitolexicas* in *Etruscis Inscriptionibus* sentire, et arguere.

Quid autem de his tenendum et iudicandum sit, tribus prioribus Sectionibus huius *Disquisitionis* iam vidimus.

VI. *Pigritia et negligentia doctorum Virorum.*

Nam etiamsi a saeculo XV. ad XVIII. plures doctissimi et eruditissimi Viri altissime inclamaverint et praedicaverint Linguam Etruscam esse Syrae, Aramaeae, et Chaldaicae similem et affinem, inter quos illustres viros numerantur Guillelmus Postellus, Theseus Ambrosius, Ioannes Annius Viterbiensis Vir aetate sua longe doctissimus, Iosephus Scaliger, Santes Marmochinus, Ioh. Bapt. Giambullarius, Paulus Merula, Thomas Reinesius, Philippus Cluverius, Felix

Ciattius, Marianus Victorius, Iustus Fontaninus, Iohannes Adamus, Scipio Maffeius, Alexius Mazochius, Petrus Agius de Soldanis, Dominus Swintonus, etc. etc. nemo tamen, prorsus nemo fuit, qui operoso et gravi tentamine in Inscriptionibus vere Etruscis demonstrare hanc opinionem adlaboraverit. Atqui nisi plura, varia, et praeclara ingenia non vana et inepta affirmatione, sed vero et diuturno labore et experimento accesserint ad exponendum, examinandum et probandum susceptum *Systema hermeneuticum*, impossibile est Linguam prorsus ignotam fieri *notam*, et *Inscriptiones* pridem surdas et inintelligibiles et inexplicatas in *Corpus Inscriptionum notarum* et clararum Generis humani transire, recipi, et probari. Utinam autem et illud saltem emolumentum ex toto hoc nostro labore colligere et tenere possimus, ut aliqua praestantia ingenia exemplo nostro excitata et permota, istâ pigritiâ, quam dicebamus, excussâ, alacriter ad nova Tentamina veniant, et per variam et multiplicem tum sollertiam ingenii, tum eruditionem animi rem longe difficilem disquirant, exagitent, et, si fieri potest, perficiant.

TENTAMINIS HERMENEUTICI ETRUSCI

PARS POSTERIOR:

ANALYSIS HERMENEUTICA VOCUM, ATQUE INSCRIPTIONUM ETRUSCARUM.

SECTIO I.

EXPLORANTUR *DATA* LINGUAE ETRUSCAE, SIVE *VOCABULA*, QUORUM SIGNIFICATIO ET POTESTAS VEL CERTA EST, VEL VALDE PROBABILIS.

CAP. I.

Explorantur VOCABULA Etrusca, quorum significatio certa est auctoritate Scriptorum veterum.

1. AESAR, *Deus* Etruscis, testibus Svetonio *in August.* cap. 97. pag. 135. et Dione Cassio *Libr.* LVI. cap. 29. pag. 828. Mazochius in *Addit. Vossianis* in *voce*, et in *Opusc.* Tomo III. p. 7. recte deducebat ab עשר OSR *divite*, locuplete; שר SR *principe*; אשר ASR *beato*, *felicissimo*: et egomet etiam ab ישר ISR *recto*, *aequo*, *bono*. Nam persuasum mihi est Sacerdotes veteres in Nominibus Theologicis cudendis omnia vocabula homiophona, et quae essent Physiographica colligere, cumulare, et unâ fundere consuevisse.

2. AESI, αισοι, Θεοι Tyrrhenis, Hesychio teste: cui insuper Αισιοι sunt δεξιοι, αγαθοι, καλοι, ut Dii habentur et creduntur. Lanzius *Saggio* III. pag. 799. vocem hanc AISI factam a Laconico Σιοι autumabat, et de more perperam. Nam Σιοι est absurda corruptio Vocis Hellenicae Θεοι, et adeo AISI absurdior depravatio vocis Laconicae Σιοι. At si omnibus Gentibus Dii sunt *iuvantes*, servantes, alexicaci, benefici; et si Semitis est אסי ASI, AISI, *iuvare prodes-*

se : si est ישע ISO *salvare*, *servare*, redimere: quidni ex his radicibus Noachicis propriis et patriis Tyrrheni suum AISI deduxissent?

3. AGALLETOR: Αγαλλητορα, παιδα, *Puerum* appellabant Tyrrheni, Hesychio teste. Lanzius *Saggio* III. pag. 799. vocem corruptam putabat ex Hellenico αγαλακτος, *lacte carens.* At παις est plerumque non αγαλακτος, nec Etrusci usi umquam sunt A privativo Hellenum; nec Sacerdotes Tyrsenorum sive Italicorum, sive Samothracum ita imperiti esse potuerunt, ut ex α et γαλα facerent αγαλλητορα. Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. 7. deducebat ab עגל OGL *vitulo*, vel עגול OGUL *rotundo*, quia membra pueris essent *rotunda*. Infeliciter. Nam aspera, dura, et aliena metaphora, et pars vocabuli caret Etymo. Aliquanto satius Maffeius in *Osserv. Lett.* VI. pag. 135. qui trahebat ex עולל OULL *filius*, infans, foetus. At homiophonia adhuc non aequa, et altera vocabuli pars intentata. Verum quidni deducemus Tyrrhenam vocem ab אגל AGL, et ore pleniore AGALLE Aethiopum et Abessinorum, quibus est *infans*, *puer*, filius, pullus? Et a צער TZOR, TOR, *parvo*, parvulo? Quum certum sit veteres Glossopoeos duas voces homiodynamicas et synonymicas copulasse, ut polydynamin, et aoristicismum tollerent, et Vocabulum facerent clarius et plenius.

4. ANDAS, *Boreas* Tyrrhenis, Hesychio teste: ventus nempe vehementer, et acerrime flans. Atqui נהד NED, ANDE est *spirare*, flare, perflare, et אשש ASS, AS *fortiter*, *vehementer*, acriter. Ergo נהד-אשש NED-ASS, AND-AS est *spirans vehementer*, est ventus *Boreas*.

5. ANTAR, *Aquila*, αετος Tyrrhenis, auctore Hesychio. Mazochius in *Add. Voss.* et *Opusc.* III. p. 8. vocem trahebat vel a נטר NTHR *videre*, cernere, vel a חנד HND *pupilla oculi*, quia ut notum est

acutissimus visus *Aquilae* tributus. Ego contra teneo Tyrrhenum ANTAR esse ipsum Semiticum נשר NSR ANSR, Chaldaico ore prolatum ANTAR. Nam gravis apud me momenti est Sacerdotes Aegyptios Thebaeos doctissimos magnum Deum suum *Ammonem Aquilino* vel Accipitrino capite effictum appellasse solemni nomine *Amon-Ras-Onter:* sive Ammonem capite *Aquilae*, ut iam animadvertimus in *Rifless. su Letter. di Salvolini* pag. 29. 30.

6. ARACOS, αραχος *Accipiter*, ιεραξ, ιεραχος Tyrrhenis, Auctore Hesychio. Lanzius *Sagg.* III. 799. de more habuit Tyrrhenicum αραχος quasi corruptionem Hellenici ιεραχος. Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. p. 8. trahebat a חרך CRK, חרכים CRKIM *cancellis*, *clathris*, claustris, quibus *accipitres* continentur, et coercentur: et ut quisque videt infeliciter. Quid enim, obsecro, *clathri*, et cancelli, cum Nomine, quod habendum est Physiographicum? At si ארה ARE est *rapere*, *abripere*, auferre; et cos, כוש KOS est *celerrime* rapidissime; et *Accipitris* natura et character physionomicus est rapidissime et *celerrime abripere*, utique Tyrrhenorum ARA-COS fit ab ARA ארה ARE *abripere*, et COS כוש KOS *rapidissime*.

7. ARIMI, *Simii*, πιθηκοι, Strabone teste Libr. XIII. pag. 626. Est omnino a Semitico חרום HRUM, חרים HRIM, ARIM: Nam plures Gentes ח *Chet*, Het emolliisse saepius in vocalem palatinam certum est. חרום HRUM autem est *simus*, qui est *simo*, et quasi *curto naso*. Etymon autem hoc iam viderant Bochartus in *Chan.* I. cap. 33. pag. 585. et 592. et Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. p. 9.

8. ARSE VERSE, *averte ignem*, auctore Festo in *voce*. Dacerius in *Notis* ad hunc Grammaticum malebat Etruscum ARSE esse ipsum Latinorum *arsisse*, et significasse *ignem*, Etruscumque VERSE, quasi ipsum AVERSE explicandum *averte*. Idipsum maluit

Maffeius in *Osserv. Lett.* Tom. VI. pag. 29. parum sibi constans, utpote qui Linguam Etruscam plane diversam a Latina adversus Gorium et Passerium iracunde affirmaverat. Hanc interpretationem avide, ut par erat, amplexus est Lanzius *Saggio* II. pag. 489. 490. et errorem in Festi Breviatorem reiecit. At omnes frustra. Nam si ARSE est *arsisse*, *arsit*, fit Etymon ridiculum, quia quod *arsit* amplius non *ardebit*, et nihili erit ad *incendium:* si ARSE est *ardet*, habetur absurde *incendium*, quod deprecantur. Tum VERSE si est *vertere*, volvere, tum *vertere incendium* non est extinguere, sed saepius augere. Quin contra Festus clare et distincte ARSE respondere testatur *τω averte*, et VERSE *τω ignem*. Atqui egregie Mazochius in *Add. Voss.* et *Op. cit.* p. 9. vidit in ARSE Etrusco ipsum Semiticum הרס ERS, ARS *cohibere*, prohibere, repellere, destruere. Et si non aeque feliciter VERSE Etruscum trahebat ab אש AS *igne*, quia heterophonum, suppetunt facile alia Etyma aptiora, quae Festi, sive potius antiqui Afranii testimonium comprobent. Nam VERSE sive BERSE est BER-SE, nempe בער BOR BER *conflagratio*, *combustio*, incendium, et SA est שא *elevatum*, *celsum* magnum, ingens, vel est שאה SAE, SA *vastans*, *devastans*, perdens: qui profecto est *Ignis*, quem a *Vulcano* Deo suo avertendum et averruncandum enixe petebant et orabant Etrusci.

9. ATAISON, *αταισον*, ni verior lectio ATASION, *αναδενδρας*, *vitis arbustiva*, vites arboribus adnexae, Tyrrhenis, auctore Hesychio. Fit ab עץ, OTZ AUTS, ATAIS *ligno*, *arbore*, et הון EUN, ON *commodo*, *bono*, *utili*, ob summam *vini* utilitatem. Si lectio verior est ION; quum plerisque Semitoglossis *vinum* sit יין IIN, ION pleniore ore, probabile est Etruscos *vitem* arbori adpositam, et *arborem vitiferam* appellasse: *arbor*, et *vinum*; *Lignum* et *Vinum*; *Atasion*.

10. Atrium, vox Etrusca nobis per Latinos nota, qui ipsa atria ab Etruscis inventa tradiderunt. Vide Varronem de L. L. IV. pag. 38. Festum in *Voce*. Mazochius in Diss. *Tyrrhenicis*, et in *Add. Voss.* deducebat satis dure a חצר ctzr *septo, vallo*. Mihi clariore et aequiore homiophonia fit ab אתר atr *loco*, habitaculo, sede; אטר athr *clauso, occluso*, septo; quo um, om עם om, עמה ome *turba*, familia, plures congregantur, quod omnino est atrium Veterum.

11. Aucelos, αυχηλος, *Aurora*, Εως Tyrrhenis. Hesychio teste. Mazochius in *Add. Voss.* et *Opusc.* III. p. 9. 10. trahebat a Chaldaico et Targumico קריצא qritza *aurora*: Sed heterophoniâ manifestâ. Contra Arabibus *Aurora* est עלס ols; et certum est ע Huain pronuntiatione Europaea posse transire in go, gau, aug, auge, auce: ita ut Arabicum עלס Tyrrheno ore potuerit in αυχηλος ampliari et diffundi.

12. Baltheus, Etrusca vox, teste Varrone apud Charisium Lib. I.; qui Varro de L. L. IV. pag. 29. dictum *Baltheum* putat a *bullis*, quasi *bullatum*: et quidem non recte, si ad Latinam vocem respicimus, est enim gravis heterophonia; sed recte prorsus si ad vocem Semiticam בלט blth, balthe animadvertimus, qua *bullae*, et *clavi* capitati significantur, res nempe eminentes, et prostantes. Doletque profecto, quod Mazochius, qui in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. p. 10. recte viderat *Balthei* Etymon in בלט blth, falso putasset ipsum *Baltheum* dici eminentem et prostantem בלט blth, quia ex humero suspenderetur, e quo omnino nec prostat nec eminet; sed, ut rectissime Varro affirmabat, est a בלט blth *bullis* nempe, clavis, et *umbilicis*, quibus *balthei* exornabantur.

13. Bidental, *Locus fulmine ictus*, et ob religionem lapide Cylindrico, et *pertuso* septus, ut a profanorum attactu custodiretur. Vocem quidem a

Romanis accepimus; sed quum universa Scientia fulguralis, fatentibus cunctis, exclusive sit Etrusca, dubitari non potest, quin ipsam characteristicam vocem Etrusci Sacerdotes et Fulguriatores condiderint et constituerint: quin Sidonius Apollinaris *Carmin.* IX. v. 189. 190. et Lucanus *Pharsal.* I. v. 690. ipsam vocem Etruscis tribuisse videntur. Quamobrem Grammaticos et Scholiastas Latinos, qui *Bidentalis* etymon a Latino *bidente* ducunt, ineptire certum est: ea etiam ratione, quod nulla esse possit aequa relatio inter *Bidentem* ovem, et locum *fulguritum* sive *Bidental.* Mazochius in *Addit. Voss.* deducit a Chaldaïco בירנתא BIRNTA *Turri*, *palatio*, templo, arce; et, ut quisque videt, infeliciter tum heterophonia, tum sententia adversa. Ego contra puto vocem hanc characteristicam summa sollertia conditam a Sacerdotibus Etruscis, scilicet teneo ex his elementis compositam: 1. BID, BIT est בית BIT *locus*, sedes: בטה BTHE BIDE *pertusa*, perforata; qua בטט, BTHTH, BIDE *fulguravit*, fulgur irruit, quam fulgur בטט BTHTH, BIDE *perforavit*, aperuit, 2. ENT, NET, נת NT, *dedit*, *iniecit*, molitus est, quod fulmen nempe immisit 3. AL, אל AL, איל AIL *Deus*, על OL AL *altus* celsus coelestis. Et propterea 1. BID BIT *locum* hunc BIDE, בדד, בד, BD, *solitarium*, desertum 2. ENT, נת NT *dedit, fecit*, reddidit, 3. AL, אל *Deus* idem: qui *Deus* etiam voluit, ut ad *Locum* hunc (per Temuram inversam.) 1. LAT לט LTH, לדת LET *Lat* arcanis, secretis, *magicis* precibus, et ritibus *offerrentur*, traderentur 2. NEBID נבד NBD NEBID *munera*, *oblationes*, sacrificia.

Qui autem naturam, formam, originem BIDENTALIUM ex Lexicis Archaeologicis Hoffmanni, et Pitisci collegit, ex animadversionibus Sauberti, Salmasii, ex Tom VI. *Actor. Academ. Corton.* ex *Dissert. Isagogic. Academ. Herculan.* p. 87. 88. etc. etc. novit, novit etiam quam apte, quam congruenter, quam

vere singulae *voces* a nobis propositae subiecto respondeant, et cohaereant.

14. BYRRHUS, Βυῤῥὸς Poculum, κανθαρος Tyrrhenis, auctore Hesychio: Lanzius *Saggio* III. pag 799. trahebat a Graeco Βυσσος, vel Βυθος, *profundum*, *gurges*, imum maris, fundus. Solita calumnia. Haec enim heterophona, et irrationalia. *Mazochius* in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. p. 10. deducebat a ביר BIR *puteo*, *cisterna*, fovea, et etiam dure. Nos contra putamus factam vocem a Chaldaico ברץ BRTZ, BRS, BIRROS *fluere*, effluere, fundere, effundere: quod *Poculis*, *cantharis*, sive *Byrrhis* facimus.

15. CAPRA, καπρα, *capella*, αιξ Tyrrhenis, Hesychio teste. Latini vocem putarunt suam, factamque de more ex radicibus indigenis, et Varro IV. de L. L, pag. 25. Festus in *voce*, Isidorus *Etymol.* libr. XII. cap. I. ducebant per Temuram a *carpo*, quia *Capra* folia *carpat* et decerpat. Atqui Latinum *carpo* est a Noachico vel Semitico חרפ, CRP, *rapere* abripere, auferre *decerpere*, quod etymon si quoad Latinos probabile est, aeque probabile est quoad Etruscos. Vossius vero in *Etymol. Latin.* et Mazochius in *Additam.* deducere malebant a Chaldaico צפיר TZPIR Hirco et *Capra*. Nec male. Nam certum est צ, TZ Semitoglossorum saepius Italico ore factum CIA, CE, CIO: adeout Iudaei, ubi literis suis scribunt Italicas voces, quibus sunt literae CIA, CE, CIO adhibeant, צ, TZ. At si Itali constanter pronuntiarunt CAPRA, nempe KAPRA, non CIAPRA, ego satius deducerem vocem ab Arabico גפר GPR, *Haedo* vel *Capella*, gutturali sono modificato quidem, sed non reiecto.

16. CASSIS, *Galea*, vox Tusca, teste Isidoro *Origin.* libr. XVIII. cap. 14. pag. 442. *Mazochius* in *Addit. Voss.* et in *Opusc.* III. p. 12. deducere malebat a Talmudico קסידא QSIDA, quod est *Galea*, et CASSIS. At veritus ne quis iure et recte obiiceret hanc vocem Talmudistas Latinis, ut alia plura, sur-

ripuisse, confugit ad vocem קלס QLS, quam Chaldaicam et Targumicam esse ait. Quod ego ignoro, sciens contra קלס QLS Chaldaeis esse *laudem* vel *vituperium*, encomium vel subsannationem, et Rabbinis quidem et Iudaeis recentioribus esse *Galeam*. Tum a קלס QLS et per temuram QSL fit CASSILA, et Isidorus habet CASSIM. Etrusci igitur non potuerunt suum *Cassi* a Rabbinico קלס QLS habere. At contra Semitoglossis קשה QSE KASSE est *res dura*, compacta, ut *Galea*, res quae ornat, exornat; et קש QS, קש QS, KAS KAS sunt *squamae*, *lamellae*, quibus saepe *Galeae* exornantur: tum כסה KSE CASSE est *tegere*, *obtegere*, protegere: Adeoque CASSIS, Etruscis fuit IS, יש IS *res*, *substantia*, supellex, קשה QSE CASSE *dura*, compacta, quae כסה KSE CASSE *obtegeret*, protegeret, IS איש, AIS *virum*, hominem, militem.

17. CELER, CELERIS *velox*, promptus, festinus, auctore Tzetze ad *Lycophr.* et *Chiliad.* IX. cap. 293. v. 910. Vossius in *Etym. Lat.* pluribus vocibus Graecis frustra tentatis, ducebat a Semitico קול QOL, CEL, agili, levi, veloci. Non profecto male; sed vocabulo adhuc et sententia imperfecta. Nam non quaeritur Etymon vocis CELE, sed CELERIS, et *celerem* proprie non illum dicimus, qui *agilis* est et levis, puta ad scandendum vel descendendum, sed omnino ad *currendum*. Atqui Semitis est רץ RTZ, RS, RIS *currere*, excurrere, procurrere: et adeo est hominis CELERIS *velociter* CELE קול, QOL, *currere* RIS רץ RTZ.

18. CELERES Romanos *Equites* Romuli aetate fuisse appellatos Plinii libr. 33. cap. 2. pag. 206, et Festi in *voce* auctoritate certum est. Vocem fuisse Tuscam, non Latinam indicant Varro libr. IV. L. L. pag. 16. et Tzetzes *Chiliad.* IX. cap. 293. Qui autem putant Romanos *Equites* dictos CELERES, quia velociter *currerent*, inter quos videtur fuisse ipse Dionysius Halic. 11. pag. 85. probandi minime sunt: tum quia

non uni *Equites* currunt velociter, tum quia Romani *Equites* custodiae Regis, et Exercitus peculiariter addicti, cursus laude celebres et insignes fuerunt numquam. Quin Festus *loc. cit.* scribit *celeres* esse *Equites*, non dicit *Equites* dici ex cursu *Celeres*: et Graecis κέλης, κέλητος, est *Equus*, et *Eques*: qui ita dici non potuerunt ex cursus *celeritate*. At Semitis et singillatim Arabibus חיל CIL, CELE est *Equus*, unde *Cillus* Latinis *Asinus*, et adeo qui *equo* חיל CIL, CELE; *currit* procurrit רץ, RTZ, RIS nempe CELE-RIS est *Eques*.

19. DAMNUS *Equus*, ἵππος Tyrrhenis, auctore Hesychio. Lanzius in *Saggio* I. pag. 143. et III. pag. 800. deducit vel a δαμάω *domo*, quasi *domitus*, aut *domabilis*: vel a δραμέω, *curro*, ut sit δραμεὺς *currens*. Sed solita calumnia: Nam nefas est putare Collegia Sacerdotalia P, R radicale et characteristicum abiecisse, et ex participio Graeco foede corrupto etymon mutuata esse animali praestantissimo. Nec *Damnus* a δαμάω, quia verba Etruscis indeclinata. Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* p. 13. primum malebat a דמן DMN *fimo* et *stercore*, quia in stabulis *stercoris* plurimum. Hinc iure hoc etymo reiecto tenebat Hesychianum DAMNOS esse pro RHAMNOS, utque certum *Equites* dictos RHAMNES, uti dicemus et nos paullo post, ita et *equum* RHAMNOS: Et quum animadvertisset RHAM esse a רם RM *celso* sublimi, nil aliud addidit. Quae si probabilia habentur, possunt ita Etyma Mazochiana compleri: scilicet *Equus* est qui רם RHM, RAM, DAM *elevat extollit* celsum facit, et physice et politice NOS, NAS נאס NAS *hominem* virum. At si Semitis *Homo* dicitur etiam אדם ADM, DAM, et נס, נשא, NSA, NAS est *elevare*, *adtollere*, sublimare, servata utique ipsa Hesychii lectione, possumus aeque servare eamdem sententiam. Praeterea si Semitis זמם, ZMM, ZM Chaldaice DAM est *fraenum*, capistrum, et נחש NES NAS

mordere mandere: utique Tyrrhenum DAMNOS esset *fraenum mandens*: et de *Equo* maximus Poëtarum canebat: *et fraena ferox spumantia mandit.*

20. DRUNA, *Principatus*, αρχη, *imperium* Tyrrhenis, auctore Hesychio. Mazochius in *Addit. Voss.* et in *Opusc.* III. p. 13. 14. dubius fuit an derivaret a רדה RDE *dominari*, vel a דין DIN *iudicare.* Acute quoad sententiam, sed quae simpliciter et absolute probari non possunt. Nos contra putamus hoc vocabulum unum ex Idiomaticis Tyrsenis esse, quae nempe facta sint profunda cura et sollertia. Scilicet Αρχη, *principatus*, *imperium* DRUNA illud est, quod habetur et obtinetur. 1. DRU, DRE דרה DRE *scientia* notitia; NA, NIE, ניה, *voluntate*, consilio, proposito: AN temura inversa, און AUN *potestate*, potentia, facultate, URD, RDE, *imperio*, exercitio imperandi et iubendi, et DUNA דין DIN *iudicandi*, definiendi. Haec αρχη, hic *principatus*, haec AN-URD, *potestas imperandi*, DRUNA.

21. FALANDO, *Coelum* Etruscis, auctore Festo in *Falae.* Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. pag. 14. putabat vocabulum certissime factum a Semitico פלה PHLE, FLE, *secernere*, *segregare*, unde facta Chaldaica vox פלנתא PHLNTA, *Falanta* divisio, separatio; quia scilicet *Coelum* esset divisio et separatio aquarum coelestium superiorum ab inferioribus. At non feliciter. 1. Primo quia Etrusci caruerunt istis vocum terminationibus, et productionibus. 2. Secundo quia prorsus ignotum est Sacerdotes Etruscos tenuisse esse in *Coelo* aquas superiores et inferiores, easque per *Coelum* dividi. 3. Tertio quia si divisor aquarum fuit *Falando*, et *Coelum*, qua voce dicemus ipsum locum aquarum *supremum* appellatum ab Etruscis, et qua sedem ipsam plane summam et exsuperantissimam Deorum Coelestium? Fuitne et his aliquod *Coelum Coelorum*? 4. Quarto quia Hebraei non *Coelo* שמים SMIM hanc aquarum

divisionem tribuebant, sed רקיע RQIO, *Raqiah*, atmospherae nempe. 5. Quinto quia Latini supremam non mediam Mundi partem appellarunt *Coelum*, qua sententia vocem et Festum sumsisse est omnino tenendum. 6. Sexto, quia ex eodem Festo certum est Etruscos appellasse *Coelum* FALANDO a sublimitate et celsitudine: Et prorsus iure; nam FALA פלא FLA tum Semitoglossis, tum aliis Gentibus est *arduus*, *sublimis*, celsus; cui voci FALA si addimus ANDO, ANTHO, נטע, NTHO, ANTHO, *inclinatus*, inflexus, devexus, quae figura *Coelo* est, habebimus Etymon vocis Etruscae opportunissimum et congruentissimum; Et, quod maius est, perfecte homiodynamicum ipsi vocabulo Semitico שמים SMIM, Grammatodynamice examinato. Nam ש, SC, SCHA, est *elevatum celsum* sublime, et מ, M, ם, M, ME, MI, *quod claudit*, occludit, undique cingit, et praecingit, quod absque inclinatione, et devexitate haberi non potest.

22. GAPUS γαπος, *vehiculum*, *currus*, οχημα Tyrrhenis, Hesychio teste. Recte Mazochius in *Addit. Voss.* et in *Opusc.* III. pag. 15, deducebat a גוף GUP GAP *continere*, *claudere*: quod *currus* facit. At sententia levi, et imperfecta. Nam non uni *currus* continent et *cohibent*, nec ii maxime et potissimum. At si meminerimus ipsum גוף, GUP, GAP significare etiam *eminere*, prominere, quod revera facit *arca* et capsa currus: tum quod ipsum גוף GUP tertio sit *volare* advolare, *velocissime currere*, mirabimur potius sapientiam Etruscorum, qui hac vocula GAPU idiomatice constituta potuerint significare *currum*, quo Homines elevati et *sublimes* גוף GUP, *continerentur* גוף GUP, et *celerrime ducerentur* גוף GUP.

23. HELVUS, *Color* inter *Rufum*, et *Album*; ita appellatus a Lydis, dubio procul Etruscis, auctore Festo in *Helvacea*. Mazochius in *Addit. Voss.* et in *Opusc.* III. pag. 16. deducit ab עלה OLE *ardore*

ut ipse ait, et *flamma*. Et non feliciter : Tum sono, tum sententia, tum summa polydynami huius vocis spectata. At si *Helvus* est color mixtus, quidni erit vocabulum quasi mixtum, et duplicis potestatis? Et profecto si *Helvus* est color quasi *rufus* quasi *flammeus*, quia *flamma* est rufa, et *flamma* est להב LEB, et si vis הלב HELB HELV: tum si *Helvus* est quasi *albus*, et *lac* est *album*, et *lac* dicitur חלב, HLB, HLV, HELV: *Helvus* utique est tum *flammeus*, tum *lacteus* color; adeoque recte significabit *colorem* inter *rufum* et *album*, ut Festus affirmabat.

24. HISTER, *Histrio Ludio*, Etruscis: testibus Livio Libr. VII. cap. 2. p. 60. Valer. Maximo libr. II. Exempl. c. 4. pag. 92. et si vis Plutarcho in *Quaest. Rom.* Tom. II. pag. 289. Festus in *voce*, et Isidorus libr. XVIII. Orig. c. 45. p. 449. ab *Istria* regione *Histriones* appellatos autumabant. Inepte, ut pleraque; etiamsi verum esset plurimos Histriones sub Imperatoribus Romanis ex *Istria* prodisse, quod revera arbitrabatur in *Antich. Ital.* I. Carlius Istrianus. Mazochius in *Addit. Voss.* et in *Op.* III. 17. deducebat vel a צטר TZTHR *lascivire*, vel a סתר STR *occludere*, abscondere, quia Histriones agerent personati. Mihi persuasum est Sacerdotes Etruscos ut vocem hanc idiomaticam et characteristicam conderent, non modo has duas radices collegisse, sed insuper addidisse יצר ITZR, ISTIR *formare*, figurare, effingere: tum quia Histriones plurimas figuras et personas effingerent; tum quia plurimorum facta, mores, habitus, incessum imitarentur, et repraesentarent. Adeout *Histrio* esset Sacerdoti Etrusco: Qui *tectus*, personatus הסתר ESTR, HISTR; *imitaretur* aliorum figuras יצר ITSR ISTR: et *lasciviret* צטר TZTHR, ISTR.

25. IDUARE *dividere per medium*, partiri in duas partes aequales, auctore Macrobio Lib. I. *Saturn.* cap. 15. pag. 224. 225. Mazochius in *Addit.*

Voss. et in *Opusc.* III. p. 17. ducebat vel ab יד ID, IAD manus, latus: vel a בצע BTZO *findere*, diffindere. Haud feliciter, ut quisque videt, quia vel nimis remota, vel heterophona. At contra יזה IZE Chaldaice IDE, IDUA est prorsus *dividere* per *medium*, secare in aequas partes, est IDUA-RE Latina terminatione adiecta.

26. ITIS, ITUS, *eidus*, *Idus*, Etruscis: nempe media pars lunaris mensis, ipsa medietas mensis, eodem Macrobio cit. loc. et Varrone de L. L. Lib. V. pag. 49. auctoribus. Scilicet ex eodem יזה IZE *dividere* secare per medium, litera z facta duriore, et conversa in T. Quin Semiticum יטה ITHE, Latinis IDE, IDU, Etruscis ITE est *aequare* exaequare, et יטס ISTH temurice ITHIS, IDIS, asperius ITIS est *medietas*, ipsum medium, quod *IDUS* est.

27. LANISTA, *inspector*, praeses, magister Ludi gladiatorii, teste Isidoro Libr. X. Etymol. pag. 248. in *voce*. Acute Mazochius in *Addit. Voss.*, et *Op.* III. pag. 19. 20. trahebat a נסא NSA NISA *probare*, *experiri*, et ideo propius a Chaldaico נסתא NSTA, NISTA *probatione*, experimento: cui voci si adiicis אל, AL *ad* habebis: qui *ad probationem*, ad exercitium spectat, attinet. Non profecto male: Sed sententia adhuc incerta et obscura; nec tu in hac voce praefectum potius Ludi Gladiatorii vides, quam Histrionici, vel Grammatici, vel Rhetorici, et Oratorii. Quamobrem tenere mallem quod sapienti et literato Etrusco, LANISTA fuerit, qui LA-NISTA אל-נסת, AL-NST, *ad probationem* experimentum: LA-NISTA, אל-נצה, AL-NTZE *ad certamen*, ad monomachiam, ad pugnam, ad victoriam: ATSIN-AL AL, אלל, ALL, *decertat*, experitur, צנה TZNE ATSIN *armis*, armatus: quae non quemvis Ludum, sed Gladiatorium, et LANISTAM faciunt.

28. LUCUMONES Servio ad Aeneid. II. v. 278; et VIII. v. 65., et 475. sunt *Reges* Tusci, et cer-

ie fuerunt *Rectores* primarii Civitatum, et quos Latini Scriptores Cicero, Livius, aliique *Principes* appellant. Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. pag. 19. 20. ducebat vel a מלך MLK *Rege*, *rectore*, per Temuram, vel a לחם, LCM LUCUMO *bellare*, *pugnare*, quia bello interessent. Non profecto absurde. At ego neutrum probarem. Non primum מלך MLK, quia in toto Oriente, ubi adhibita haec vox, maxima auctoritas et potentia civilis ea significabatur, quae nec erat, nec esse poterat *Lucumonibus* in Regimine Aristocratico severo, ut fuit Etruscum: Secundo quia Lingua Etrusca fuit systematice Rizophylax, et credibile non est vocabulum characteristicum et solemne factum corruptione Radicis fundamentalis. Non alterum לחם LCM, LHM, quia numquam leguntur *Lucumones* bellis et praeliis praefectos; et videntur omnino, ut Venetiarum Duces (*Dogi*) ad unas res civiles et politicas regendas et moderandas addicti. Neutrum, quia Radix vocis Etruscae non habenda est LUCUMO, sed LUCUMUNI. Quamobrem ego hoc LUCUMUNI Etruscum deducerem a לקח-מני LQC-MNI, contracte LC-MNI. Nam לקח LQC, LC, LUCI, LEGI est *lex legis*, *praeceptum*, doctrina: et מני MNI est *tribuere* distribuere, et quasi numerare; quod omnino faciunt summi *Rectores* Civitatum. Quae sententia ipsa continetur his ipsis vocibus inversis. Nam לקח LQC, LC est etiam *capere*, accipere, *habere* tenere, et מני MNI significat etiam *mentem*, *scientiam*, prudentiam rerum agendarum et gerendarum.

Sed ad quae *Etyma* confugiemus, inquies, ut explicemus ipsam hanc vocem LUCUMONES, ubi apud Festum in *voce* significat *insanos*, *dementes*, et mente captos? Ad eadem et ipsa, aio: Nam לקח LQC, LUCU, indeclinate et aoristice sumtum est etiam *captus*, pressus, oppressus, מני MNI, MUNI *mente cogitatione*, ratione, est scilicet LUCUMUNI *captus*

mente. Hoc autem veterum Linguarum ingenium, haec polydynamis.

29. MANTISSA, *additamentum*, accessio rei, ut pondus iustum et requisitum habeatur. Vox Etrusca, Festo auctore, in *voce*. Scaliger ad hunc Festi locum, et Vossius in *Etym.* inepte deducunt a *Manutensa* Latinorum. Satius et melius Mazochius, qui in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. Pag. 20. deducit a Chaldaico מנתא MANTA *parte*, portione, quia revera *Mantissa pars* et *portio* est. At deest adhuc aliquid ad iustum Vocabuli etymon, tum quoad sonum, tum quoad sententiam. Addamus voci מנת MNT, MANTI aliam radicem שא SA, SSA, *adponere, adferre*, adtollere: vel potius שוא SUA contracte SA, *aequare exaequare*, parem facere, et Etymon Vocabuli Etrusci erit plenum, et egregium. Nam *Mantissa* revera est MANTI, *portio, pars*, quae *exaequat*, adaequat SSA, SUA iustum rei pondus.

30. MANUBIAE dicebantur Etruscis *iactus fulminum*, vibrationes fulgurum ad monendos homines, ad significanda Fata; ut testatur Servius ad Aeneid. I. v. 46. et colligitur ex Seneca *Quaest. Nat.* lib. II. cap. 41. pag. 636. ex Festo in *Vocibus: Manubiae*, et *Peremptalia.* Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. pag. 91. 92. malebat *Manubias* dici a מני-בתיה MNI-BTIE, quae vertebat: *Praefecto domus suae:* vel a מאני-יהוה MANI-IEVE *vasa Ieve*, vasa et *arma Iovis:* quae dura, remota, non apta. At si מנה MNE, מני MNI est *parare, disponere*, statuere, mens consilium propositum Fatum, et בוא BUA, *exire, egredi*, exitus, egressio, manifestatio: Utique מני-בוא MNI-BUA sive MANUBIAE erunt *mentis*, consilii, Fati, decreti manifestatio, apparitio, egressio: vel מנע-בוא MNO-BUA *egressio cohibens*, prohibens vetans. Et hae Etruscorum *Manubiae*.

31. NEPOS, NEPOTIS, *prodigus dissipator* Etru-

scis, ut iure colligitur ex Fragmento Festi in *voce*. Et recte Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. Pag. 25. deduxit a נפצ NPTZ NPTS NEPOTIS *dissipare*, *disiicere*, cui si addis temuram inversam צפן TZPN, STPN, SITOPEN *thesaurum*, opes cumulatas, custoditas, collectas a maioribus, perfectam *Nepotis* Etrusci, et quandoque Latini ideam habebis.

52. RHAMNES, *Equites* Veteribus Romanis, testibus Horatio *de Arte*. v. 342. Livio lib. I. cap. 13. p. 23. Cicerone de *Republ.* II. cap. 21. p. 177. aliisque, et antea Etruscis, unde vox adoptata, Varrone auctore de L. L. IV. p. 16. Recte quidem Mazochius in *Addit. Voss.* voce DAMNOS, et *Opusc.* III. p. 12. in RHAMNES vidit Semiticum רם RM *celsus, sublimis*: ita ut Horatius, qui loc. cit. dixit *celsos Rhamnes*, ad intimum Vocabuli Etymon respexisse dicendus sit: Sed Mazochius ultimam vocis partem neglexit NES, quae facile fit a נאם NAS NES, אנש ANS *homine*, viro, Persona. Ita ut *Rhamnis* sit *vir celsus*, sublimis, nempe *Eques*. *Equites* enim et physice et politice, ut dicebamus paullo supra pag. 105. sunt *celsi* et *sublimes* in quacumque humana Civitate.

53. SUBULO, *Tibicen*, αυλητης Etruscis Varrone de L. L. lib. VI. pag. 72. et Festo in *voce* testibus. Recte Vossius, et Mazochius in *Etymol.* deducunt a שבל SBL, SUBULU, *calamo*, *fistula*, quae prima instrumenta hominum *sonora*. Et si verum saepius שבל SBL Semitis esse ipsam *Spicam*, quae *sonora* non est, aeque verum esse primario totum *calamum* et *culmum*, ut praeclara eruditione loc. cit. ostendit Mazochius. Quin considerata a nobis voce שבל SBL per Grammatodynamin propria natura sua significat *plantam*, quae ש SCHA, *erumpit*, emergit, attollitur: ב, B, *be* manet, stat: ל, L, *le le* alta elevata sublimis, quae potissimum Cerealis Spica est, sed tota et integra; adeout possit aeque significare

calamum, et culmum, ac spicam, et partem fructiferam. De hac autem *Grammatodynami* actum prolixe est tum libr. I. tum toto fere libr. III. *Fundam.* nostror. *Glossosophic.*

CAP. II.

Explorantur in Titulis funebribus Etruscorum Voces solemnes, quarum significatio vel certa, vel admodum probabilis habenda est ex necessitate, vel opportunitate sententiae.

Art. I.

Explorantur voces solemnes cognationis, et adfinitatis.

I. AL, IAL.

Filius, natus: uxor, coniux: spectans, pertinens.

1. AL, IAL *Filius, gnatus Matris.* Plurima Nomina Personalia Etruscorum in Titulis funebribus et alibi adsumere in fine has *voculas* nemo ignorat, qui haec studia attigit. Iis autem saepius significari *filium*, et quidem relate ad *Matrem* certum est, tum attente examinatis ipsis his *Titulis* funebribus *Etruscis*, tum potissimum *Etrusco-Romanis*, quos collegerunt et ediderunt Lanzius in *Saggio* tom. 1. pag. 170. 171. et Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* edit. 2. pag. 16. ad 34. Atqui Semitoglossis עול OUL, UL, AL est *foetus*, *natus*, *gnatus*, et quidem *Matris*, quae *foetum* parit.

2. AL, IAL: *Filius Patris*, spectans ad Familiam Patris.

Non raro in Titulis funebribus Etruscorum occurrunt plura Nomina exeuntia in AL, et quae referri ad unam *Matrem* non possunt; sed contra possunt, et debent referri ad *Patrem*, cui praeter nomen *Gentis* principale, erat etiam *cognomen*, quo significabatur, vel *sectio*, et pars Gentis totius, vel Collegium Sacerdotale, Fratria, Curia, ad quam

illa Familia erat adlecta. Atqui AL est אל *ad*, *spectans*, *pertinens*: qua potestate voculam etiam Latini servarunt in *Cervical*, *Puteal*, *Minerval*, et in *Dial*-is, *Martial*-is, etc.

3. AL, IAL: *uxor*, *coniux*.

Nam in Titulis funebribus Mulierum, quae plerumque habendae sunt coniugatae, post nomen *Patris* sive *Gentis* suae, nomen quod sequitur exit in AL; quod nec de *Matris nomine*, nec cuiuscumque alterius Personae nisi *viri* et *coniugis* sumi potest, quum mulieres coniugatas in plenam viri potestatem et familiam transeuntes in communionem etiam *Nominum* venire necesse fuit; omnesque sciunt etiam apud nos vulgo mulieres coniugatas nomine viri et mariti sui appellari; saepeque notavi in numero magno Titulorum funebrium Latinorum coniugatas mulieres in secundo nomine adsumere *Nomen* viri sui. Quin hunc ipsum morem fuisse plane Etruscum certo testimonio scimus. Nam in magno numero Inscriptionum Perusinarum Romanae aetatis, plurimae uxoratorum sunt, et eae ipsae, quas modo descripsimus, ut quisque potest nosse ex tom. II. *Inscript. Perusin.* I. B. Vermigliolii ann. 1803. pag. 310. 311. 312. 370. 378. 379. Quod factum ex Etrusco more non Romano aeque certum est.

Hac autem sententia AL Etruscorum polydynamicum etiam Semiticum, sive potius Noachicum est. Nam על OL, AL est *iugum*, *adiugatio*, *coniugatio*, et adeo *coniux*, sive mulier *adiugata*, quia ut saepius monitum est, vocabula primitiva indeclinata et aorista fuerunt.

4. AL, IAL *ad*, spectans *ad* Classem, Ordinem, Fratriam, Curiam, Collegium.

Nam iisdem Titulis Etruscis examinatis attente in Nominibus finitis in AL nec Nomen Gentis Maternae, nec Cognomen Familiae Paternae, nec Nomina Virorum possumus invenire: Sed una *Nomina* Ordinum,

et Collegiorum, ut LARTHIAL, LARISAL etc.: Scilicet *spectans*, pertinens ad ordinem Larthium, et Larium, sive ad Optimates.

Tantae autem Polydynamis in vocula AL causa tum pronuntiatio Climaterica, tum usus Alphabeti Ionici, de quo diximus pag. 92. 93. est habendus.

II. ALISA *filius Matris: Uxor, Coniux.*

1. ALISA *filius Matris.*

Nomina Etruscorum Gentilitia ita saepe terminari notum. Passerius in *Museo Etrusco Gorii* tom. III. pag. 27. 28, et alibi nescio quod κλεςω proferebat, et vertebat *aeternae memoriae*. Ioseph Binius sive Ioh. Lamius in *Gualfond.* X. pag. 186. 187. sive ioco sive serio vertebat *Halesus*. Lanzius vero *Saggio* II. pag. 512. 513. habuit ALISA ut *inflexionem* et productionem vocis praecedentis, modo casuisticam, modo prorsus otiosam, funditus ignorans omnium veterum Linguarum naturam et formationem, in quibus numquam fuerunt huiusmodi productiones sive casuisticae, sive otiosae. At contra examinatis attente Titulis Etruscis plane certum est voce ALISA significari *filium matris, foetum matris:* Et prorsus iure. Nam ALISA, AL-IS, est אל־יצא, AL-ITZA, suavius AL-ISA; Nempe אל AL, *ad, spectans;* יצא, ITZA *foetus partus*, qui יצא, ITZA, ISA, *egreditur, exit, procedit* ex aliqua, nempe *Matre*, quod plane opportunum, et verum.

2. ALISA *uxor, coniux.*

In Titulis vero Mulierum, quae dari debent plerumque coniugatae, quid erit ALISA, quo earum nomina saepe terminantur? Atqui ubi dantur tantum quatuor Nomina, si unum Praenomen, si alterum Nomen Gentis Paternae, reliqua Nominibus *viri* et *mariti* sunt tribuenda, et adeo ALISA quo unum terminatur *coniugium*, et *matrimonium* debet necessario significare. Atqui ALISA, AL-ISA est prorsus אל־אשה AL-ASE plurimorum ore ipsum ALISA: Nempe אשה ASE, ISA *mulier, uxor, coniux:*

אל AL *ad*, *spectans*, pertinens: vel על־אשה OL-ASE, AL-ISA, *iugata coniugata* mulier. Nam על OL est *iugum adiugatio*, coniugata; quod plane congruum.

III. ALISLA *filius Matris*. Et hac voce terminari Nomina Personalia Etruscorum notum, et hac voce significari *filium Matris* certum est auctoritate Inscriptionum bilinguium, quae productae sunt cap. IV. Vermigliolius *Iscriz. Perug.* I. pag. 263. n. 217. putat esse vocem depravatam ex ALISA; de more probans, quae Lanzius temere et imperite Tom. I. Pag. 342. 343. 344. disseruerat. Nobis est propria et sincera vox facta ex aequa et recta Radice Linguae Noachicae patriae et propriae Etruscorum. Nam est AL-ISLA, et ISLA est ipsum שיל, SIL, ISL, ISLA, *partus*, *foetus*, *filius*, AL *ad*, *spectans* ad *matrem*.

IV. AS, ES, IS, US: E, *ex*, *de*; vel *Persona*, *homo*.

Plurima Nomina Personalia Etruscorum sic terminari palam est: et passim occurrunt *Belias*, *Caias*, *Caulias*, *Rauphias*, *Restias*, etc. *Aulies*, *Anies*, *Caspres*, *Sethres* etc. *Fesis*, *Fipis*, *Peris*, etc. *Felus*, *Serthurus*, *Musus* etc. Et levi adtentione adiecta perspicimus haec non esse *Nomina Gentium*, sive Familiarum principalium, saltem plerumque vel saepius: sed *Familiarum* secundarum, sive Sectionum Gentium primarum: vel etiam *Fratriarum*, *Curiarum*, et *Collegiorum*, ad quae plures familiae profundo consilio Aristocratico erant congregatae, et adlectae. Nam Nomina Gentium, sive primarum familiarum et fundamentalium apud Etruscos vel in pura vocali A, E, I, U exeunt, vel in NA, NEI, NI. Ita ut sint BETE, BUISIE, CAE, FLABE etc. FELCHI, METHLI, etc. BESCU, CARCU, FESIU, MUSU etc. vel etiam: CEIC-NA, CANX-NA, CARC-NA, PEP-NA, PULPH-NA etc. et ita porro. Qua in re Etruscos cum Romanis non convenisse est animadvertendum: Nam Romanis Nomina *Gentium* exibant constantis-

sime in IUS, ut *Iulius*, *Livius*, *Cornelius*, *Terentius*, *Tullius* etc. Familiarum vero saepius in vocali, ut *Cato*, *Varro*, *Maro*, *Naso*, *Capito* etc. Radices autem vocularum AS, ES, IS, US quibus cognomina Etruscorum clauduntur plures et diversae esse possunt, ex polydynami propria, vel facta Linguae Etruscae Ionicographicae. Nam איש AIS, AS, ES, IS, est *homo*, *persona* spectans, pertinens ad Familiam, et ad sententiam opportune: vel יש IS *ens substantia*, *persona*, quod fere idem: vel est יצא ITZA, ITS, IS, AS, *e*, *ex*, *de*, *prodiens*, *egrediens*, quod oritur, nascitur, unde factum est *το ex* Latinorum, et etiam opportune et congruenter.

V. ASA, AS; ESA, ES; ISA, IS; USA US *uxor*, *coniux*.

In Titulis funebribus Mulierum Etruscarum tertia Nomina exeunt frequentissime in has *voculas:* Atqui haec *nomina* non possunt spectare nisi ad *viros* et *maritos* suos: Et propterea significationem *uxoris* et *coniugis* his voculis contineri certo tenendum est, in quocumque systemate hermeneutico. Idque eo maiore cum fiducia tenebimus, si eorumdem Hypogaeorum et Cryptarum funebrium Titulos sive omnes sive plurimos mutuo conferimus et illustramus. Atqui Semitoglossis, ut supra adnotavimus, אשה ASE, ISA, ESA, et contracte AS, ES, IS, US est *mulier*, *uxor*, *coniux*, mulier viro *iugata*, coniugata.

VI. NA, NE, NI, NEI:
Familia, *Gens*, *Cognatio*, *Domus*.

Plurima Nomina Personalia Etruscorum exeunt in NA, NE, NI, ut iam indicavimus, et quia pars anterior Nominis saepe distinguitur et secernitur, et ea est qua Radicem Nominis Gentilitii contineri necesse est, inde aperte colligitur has voculas esse proprias et peculiares radices, primariae adpositas et adiunctas, nec aliam esse posse earum potestatem et vim, quam *Gentis*, *Familiae*, *Cognationis*, *Domus*. Atqui Se-

mitoglossis נחא NEA est *collectio*, *congregatio*, *familia*; נוה NUE, NOE, NO, *mansio*, *habitatio*, *sedes*, *Domus:* Ut apud Ieremiam cap. XLVI. 25. apud Ezechielem cap. XXX. v. 15. et apud Nahumum cap. III. v. 8. 9. 10. *No-Ammon* et *Ammon-No* est *Sedes*, *Civitas Ammonis*, sive *Diospolis Aegyptia*, de qua praeter ceteros docte disseruit Petrus Zornius in Opuscul. et in *Thesau. Ugulini* Tom. VII. 407. 408. etc. Tum Nomina Civitatum Oscarum et Italicarum *Caleno*, *Sidicino*, *Aisernino* facta esse ex eadem Radice NO, NEI, est certo tenendum: ut iam animadvertimus in *Tentam.* nostro *Osco* Part. I. Sect. 7., adeo ut CEIC-NA Etruscum sit *Gens*, *familia* CEICE: CRAC-NE sit *Familia* CRACE, et ita porro.

VII. SAC, SEC, SECH *uxor*, *coniux*.

Plures sunt Tituli funebres Mulierum Etruscarum, quorum postrema vox sit huiusmodi. Lanzius *Saggio* II. pag. 446. et III. pag. 792. absurde ex quocumque Systemate Hermeneutico habuit ut complementum et terminationem vocabuli praecedentis. Vermigliolius vero *Iscriz. Perug.* I. Pag. 154. 155. vertit *Sextus*, et latinum Praenomen in postremum plane locum Tituli Etrusci reiecit. At Titulis Etruscis attente consideratis aperte cognoscimus nullam aliam potestatem inesse voci SEC, quam *uxoris* et *coniugis*. Et nil profecto vetat, quin hanc ipsam significationem vocabulo SEC per Grammaticam analysin tribuamus. Nam SEC Etrusco ore et alphabeto potest esse SEG, ZEG, et adeo eius radix originalis זג ZG ZEG ζυγ-ος *iugum*, *adiugatio*, *coniugium coniux*, *uxor*. Quae ipsa Radix Noachica זג ZG SEC est in vocabulo Latino *uxoris* UCS-ORIS per arcanam methodum Glossopaeorum Italicorum facta. Nam UCS-ORIS fit ex UCS temura homiophona SUC ZUG זג ZG *adiugatio iugum*, et ORIS ערש ORS *lectus coniugalis*, *thalamus sponsae*, desponsatae. Quin

idem SEC, et ZUG Etruscum est in ἀλοχος *uxor* Graecorum. Nam ἀλοχος, inversa temura *Sochola*, fit a *Soch*, ζυγ, *zeg*, *Iugo*, *adiugatione*, *coniugio:* et OL *ola*, עול *ol* iterum *iugo coniunctione*, ex Regula Veterum Classica, qua duae Radices homiodynamicae adsociantur et adponuntur, ut tota significatio evadat certior et clarior, ut iam in *Fundament. Glossosophicis* nostris est animadversum pluribus.

Quod si obiicis in Titulis Etruscis, in quibus legitur haec vocula SEC, esse saepius etiam Nomina Gentilia terminata in ASA, AS, ESA, ES etc. quibus significari *uxorem* est definitum: Respondeo in his *Linguis Pavromorphis*, ut Etrusca, *Synonyma* non modo numquam inopportune, et frustra adhiberi, sed semper utiliter et opportune. Tum aio sapienter Etruscos duplici vocabulo ASE et SEC duplicem relationem *Mulieris coniugatae* expressisse: Scilicet voce ASE relationem cum *Gente* Viri *Paterna:* Voce SEC relationem cum *Gente* Viri *Materna:* quod nec inutile nec inopportunum.

A R T. II.

Explorantur voces Etruscae solemnes piarum Inclamationum funebrium.

1. ABIL, AFIL: *bonus*, χρηςος.

His vocibus clauduntur aliquoties Tituli funebres Etruscorum, et nil ultra additur nisi Numerus signatus characteribus, qui Romanis non sunt absimiles: Quo Numero indicari et signari *annos* Defuncti Etrusci colligere pronum est. Lanzius *Saggio* II. pag. 322. putabat Etruscum ABIL vel AFIL esse factum a Latinorum AEVO, et respondere voci *aevili*, quam Latini numquam adhibuerunt. At impossibile collegia Sacerdotalia Etrusca Latinorum *aevum* in AB vel AF absurde corrupisse. Et si in Inscriptione Etrusca bilingui vel prorsus spuria vel saltem gra-

vissime dubia, quam protulit Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* Tom. I. pag. 61. edit. 1. et pag. 82. 83. edit. 2. latinum *aetalis* respondere videtur Etrusco AIF, est sedulo animadvertendum aliud plane esse AIF ab AV, AB, AF, ut AEVUM Latinorum ab AVO. Ita ut haec Inscriptio etiamsi habeatur prorsus genuina et sincera lectionem a Lanzio propositam prorsus infirmet et refellat. Ea etiam de caussa, quod ubi tu ABIL vertis *ad aevum* sententia adhuc exsurgit incompleta et deficiens.

Nos contra diligenter excussis Titulis, quibus haec vox legitur certo tenemus habendam esse vocem faustae et *piae* funebris *inclamationis:* et adeo putamus respondere Noachico vocabulo באל BAL, ABIL, AFIL, quod est *bonus, utilis, iucundus, manis,* χρηςος: putamus respondere sono et re vocabulo Graeco οφιλ-ιμος. Quin quum Sententia Tituli non modo suscipiat, sed omnino requirat *abiit, obiit*, et voce Semitica הבל EBL, ABIL insit haec eadem potestas, unde factum latinum *volare avolare*, certumque, ut pluribus superius adstruximus pag. 54. 55. *Linguam Etruscam* fuisse *Polydynamicam*, et *Crypticam*, mihi est vehementer probabile unâ hac et solemni voce ABIL Etruscos Sacerdotes duas potestates coniunxisse et significasse *abiit*, et *abiit bonus* χρηςος, Manibus Diis adscitus.

2. ABILS, AFILS, *beatus, felix.*

Et haec vox aliquoties in Titulis funebribus Etruscorum legitur, eamque Interpretes, ut prioris vocis ABIL corruptionem hactenus habuerunt. Nos contra purum et originale vocabulum arbitramur, et ex propria Radice Noachica factum. Scilicet tenemus Etruscorum ABILS esse ipsum Semiticum בלז BLZ, BLS, ABILS *gaudium, laetitia, felicitas:* et adeo *beatus, felix*: Quam Latinam vocem FELICS factam ex eadem Radice Semitica בלז BLZ FELZ et suavius FELC arbitramur: adeout Etruscum AFILS sit ipsum La-

tinum FELICS. Et quoniam idem בלז BLZ est etiam *evasit*, *effugit*, *excucurrit*; ideo probabile est ABILS Sacerdotibus Etruscis fuisse *abiit beatus*, *evolavit felix*. Nec obstat, quod in aliquot Titulis addatur insuper vox LUPU, qua etiam *gaudium et felicitatem* significari putamus. Nam notum est faustas inclamationes fuisse iterandas, et legi in Titulis Latinis: *Have*, *vale*, *atque salve*.

3. CLAN: *suaviter*, ἀλυπως, χαλως.

Passerius in *Letter. Roncagl.* in *Caloger.* Tom. XXII. et in *Museo Etrusco Gorii* Tom. III. Pag. 105. 106. et saepe alibi putavit hac voce significari Etruscis *filium* et *natum*, ratus id clare colligi ex bilingui Inscriptione, qua *Thocernua clan*, ipso iudice, responderit *Thoceronia natus*. At Passerius errabat. Nam primo non agitur de Inscriptione unica et bilingui, sed de duabus et distinctis. Tum prave legebat *Thocernua*, quum scriptum revera sit *Thocernual* A et L coniunctis quidem, sed ita evidenter distinctis, ut Maffeius in *Osserv. letter.* VI. pag. 149. 150. et ipse Lanzius *Saggio* Tom. II. Pag. 515. ediderint, ut aequum erat, *Thucernual Clan*. Quamobrem si AL, IAL Etruscum est עול, OUL, OL, AL Semitoglossorum, nempe *filius*, et *gnatus*, ut supra vidimus, necesse omnino est aliam et diversam potestatem inesse τῳ CLAN. Lanzius contra in *Saggio* I. pag. 379. 340. et tom. II. pag. 297. 298. habuit absurde ex legibus cuiuscumque possibilis systematis Hermeneutici vocem CLAN, ut inflexionem et terminationem vocis praecedentis, quam opinionem de more probavit et recepit Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* tom. I. pag. 167. 168. etc. Quod si voci CLAN sua propria et peculiaris potestas est omnino tribuenda, quid, cedo, obstat quin habeamus, ut funebrem inclamationem, quasi χαλως Graecorum? Imo omnia suadent. CLAN potuit oriri a חלי CLI *dulci*, *suavi*, addita formativa ן N CLIN idiomatice, ut idiomatice

ex eodem Noachico חלי CLI Graeci fecerunt γλυ-κυ: et Latini profundiore methodo *di-ulci*, ICL-UD חלי-די CLI-DI, *abundans dulcedine*. Quin potuit Etruscum CLAN formari a חול-אין CUL-AIN *nil doloris*, *expers doloris*, αλυπος: qua voce ipsa usi sunt Graeci ad funebres inclamationes suas, ut constat per exempla collecta a Muratorio, Maffeio, Paciaudio, Biagio etc.

4 LEINE, *leniter*, *molliter*, *tranquille*.

Recte Lanzius in *Saggio* II. pag. 323. 456. ratus est hanc vocem esse piam inclamationem funebrem, et ideo quoties in Titulis Etruscis occurrit, vertit *sit tibi Terra levis*: Nam inter faustas inclamationes Romanorum erat ista, ut *molliter ossa cubent.* Vossius in *Etymol.* vocem Latinam LENIS deducere malebat a Graeco λειος, et Lanzius loc. cit. ab eadem voce λειος vellet et Etruscum LEINE derivare. At uterque perperam. Nam Graecum λειος est proprie *levis*, *glaber* Latinorum, non *lenis*: qua in voce N habenda radicalis, non servilis. At si Semitoglossis est לון LUN, לין, LIN, LINE, *quietus*, *tranquillus*; si est לאן LAN, LEINE *suavis blandus*, quies, *requies* pax: quis dubitaverit, quin Latinorum LENE et Etruscorum LEINE ab his Radicibus Noachicis intime pendeat et derivet? Et quoniam mihi insuper infixum animo est omnes Voces solemnes, statas, sacras, liturgicas, religiosas a Collegiis Sacerdotalibus profunda sollertia et cryptice fuisse conditas; ideo mihi probabile est Etruscos Sacerdotes voce LEINE hanc sententiam conclusisse: Tu qui humanae vitae cursum *absolvisti* נלה NLE NEILE: *suaviter molliter leniter* לין LEIN, LINE; *feraris*, *adducaris* נהל, NEL, NEILE: in locum communem animarum; ut quidem ibi *molliter suaviter* לאן LAN LEINE: cubes et maneas לון LUN, LINE, LEINE.

5. LUPU: *Gaudium*, *voluptas*, *ioci*.

Passerius in *Lett. Ronc. Calog.* XXII. pag. 383. 384. et in *Mus. Etr. Gorii* Tom. III. 2. p. 69. 70.

putavit hac voce significari *sepulcrum*, *loculum*, *urnam*, *Cinerarium*. Quam vocis significationem tum probavit Lanzius *Saggio* tom. II. p. 401. 402. et tom. III. pag. 782. tum firmare studuit deducens a Graeco λοπαδε, vase culinario apud quosdam Graecos. Aliquantum incertus visus est Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* I. p. 74. Gentem LUPIAM potius in Etrusco LUPU, quam aliud quidvis agnoscere cupiens. Sed LUPU Titulorum Funebrium non esse Nomen Gentis non modo certum, sed evidens est: nec significare posse *loculum* et *cinerarium* etiam evidens, ubi illusa mens non est. Nam *Urnae cinerariae* Hypogaei pleni *Urnarum* cinerariarum, immo uni tantum et alteri, apponi hoc vocabulum absurdum et absonum: nec huiusmodi vocabula in fine inscriptionum, sed potius in fronte et summitate vasis apponi posse quisque sentit.

At si in his Titulis funebribus faustae inclamationes apprime conveniunt et congruunt: si radix Vocum latinarum *vo*-LUPE: *vo*-LUP-*tas*: LUPA-*nar*: LIBI-*tina*, LIB-*et*, LIBI-*tum*, homiophona Etrusco LUPU est, si Semitoglossis hactenus לב LB, LUBU, LUPU est *cor*, *adfectus*, *animus*, *amor*: si est לעב LOB LUPU *gaudium*, *risus*, *ioci*; quidni, obsecro, possumus in Etrusco LUPU *vo*-LUP-*tatem*, *vo*-LUPE, *gaudium*, *iocos* agnoscere et tenere?

6. PUIA, *Gaudium*, *Laetitia*.

Passerius in *Lett. Ronc. Calog.* XXII. pag. 559. 560. derivabat vocem a ποιεω *facio*, quasi Persona aliqua extranea curam exstruendi sepulcri in se suscepisset, quod prorsus falsum. Lanzius vero *Saggio* I. pag. 64. 65. tom. II. pag. 421. 422. 530. deducebat Etruscum PUIA a Graeco υιος *filius*; et quamvis numquam prorsus Graeci agnovissent aliquod υια ipsemet tamen dabat Etruscis VIA, PIA, PUIA, *filia*, quod etymon ambabus ulnis complexus est Vermigliolius, et unice probavit in *Iscriz. Perug.* I.

pag. 141. 142. 207. 311. etc. etc. haud animadvertentes non modo hanc fatuam vocis corruptionem Primoribus et Principibus Etruscis tribui non posse, sed ipsam significationem *filiae* non modo non requiri, sed etiam evidenter reiici et repelli, ut quisque potest proprio periculo nosse, nisi sit profundissime illusus, maxime analogia recepta aequissima Inscriptionum Graecarum et Latinarum, imo reliquarum Gentium, in quibus numquam vox *filia*, sive primo sive postremo Inscriptionis loco potuit collocari.

Quamobrem ego contra aio et hanc Etruscam vocem PUIA habendam esse funebrem inclamationem: tum quia initio vel fine Inscriptionis huiusmodi voculae congruentissime collocantur; tum quia Semitoglossis est בוע BUO, PUO, בריע BUIO, PUIA, vel ביא BIA PUIA, quin ipsissimum בריא BUIA, PUIA, *laetitia*, *consolatio*, *gaudium*, *hilaritas*: quae maxime opportuna.

Quod autem haec vox PUIA numquam maribus, vel *maritis*, sed unis *mulieribus*, iisque coniugatis, adponatur, factum fuit, mea sententia, quod illis tantum *mulieribus* viduis adscriberetur, quae secundas nuptias respuentes, illibatamque fidem primo et unico *viro* servantes dignae haberentur, quae post mortem iterum in Elysio cum pristino suo viro coniungerentur, et aeternis nuptiis mutuo amore celebratis fruerentur, ut de Didone et Sichaeo Tuscus Virgilius Aen. VI. v. 473. 474. canebat: » *In nemus umbriferum*, *Coniux ubi pristinus illi* » *Respondet curis*, *aequatque Sichaeus amorem*.» Quin hae Elysiae Etruscorum Nuptiae in plurimis Dramatibus Urnarum funebrium aperte et clare exhibentur: Nam ante symbolicas portas Tartari adstantibus *Camillis* et aliis *Angelis Tartaricis* vir et uxor sibi dexteras aeterni coniugii pignora stringunt.

7. RIL: *abiit*, *obiit*, factus est *LAR*.

Maffeius primus, ut puto, in *Osserv. Letter.*

tom. VI. pag. 156. autumavit Etruscos hac voce RIL *annos* significasse; quia nota numeralis solet post vocem hanc adponi. Lamius in *Gualf.* VIII. p. 113. Lanzius in *Saggio* II. pag. 320. 343. 347. et Niebuhrius in *Histoire Romaine* tom. I. pag. 103. notâ, aliique interpretationem Maffeii probarunt. At omnes temere et perperam. Nam neque Etymon ullum tenuissimae vocis protulerunt, nec aliqua aequa analogia coniectionem firmarunt; neque porro necessitas sententiae eam vocem flagitat, nec vox evidenter indeclinata RIL potest significare *annos*, vel *anno*, Latino more. At contra sententia vel satius, vel aequo modo suscipit *abiit*, *obiit*: et quoniam saepe legitur ex. gr. RIL LEINE XVIII: et, ut absurde dicitur *annos leniter* 18: et recte contra: *abiit leniter* 18 (anno): omnino Etruscum RIL vertendum esse *abiit* vel *obiit* quisque videt. Et profecto istud RIL sive a רחל RHL RIL *migrare*, *emigrare*, *abscedere*, *abire*: sive a רעל, ROL, RIL, *loco moveri*, *celeriter moveri*, *recedere*, *abire* deducis, sententiam plane opportunam et congruam obtines: quin in eius Temurâ verum etymon latini LAR, LARIS potes deprehendere: quia *celeritate* motus, et facilitate veniendi, abeundi, remeandi dictos LARES valde probabile est. Omnino ut Galli *Lemures* appellant *les Revenans*.

8. THUI, *videns*, *sapiens*, *potens*.

Lanzius *Saggio* tom. II. pag. 302. 305. 420. 421. habebat hanc vocem quasi το υιος Graecorum, et sua licentia τα υια, quae ipse vertebat *filius*, et *filia*. Sed haec absurda sono, calumniosa Genti illustri, absurdiora sententiâ sunt, ut quisque potest per se nosse, vel ex iis exemplis, quae nos Sectione III. hic proferimus. At inclamationem funebrem congruenter sententia recipit: Nec Etyma desunt, quae ferri et teneri possunt: Nam Etruscum THUI sive potius DUI, quum Etrusci eiecissent D ex scriptura sua, potest respondere Latino DIVE, *Deus*, et Graeco

θεος, θεα, et referri ad illud plane solemne et receptum *Diis manibus* Romanorum: Tum DUI potest derivari ab ידע IDO, et gutturali vehementi detracta IUD DUI, *videns*, *noscens*, *sciens*, sapiens, quae LARIBUS pertinacissime et constantissime Veteres omnes tribuebant: vel a דא, DA, די DI, דוי DUI *dives*, *locuples*, sufficiens, abundans: quod et tributum LARIBUS.

A r t. III.

Explorantur in Titulis Funebribus Etruscorum voces loci et sepulcri.

1. MI: *hic*, *hoc loco*: *hoc*, *istud*.

Tituli funebres Etruscorum, qui Columellis, et Stelis sunt insculpti frequenter incipiunt ab hac voce, ut videre est apud Lanzium *Saggio* tom. II. pag. 391. 392. 397. in *Bullett. Arch. Roman.* 1833. p. 95. 96. etc. Passerius in *Mus. Etr. Gorii* tom. III. 2. pag. 69. 70. habuit MI Etruscum, ut ME Latinorum, et perperam: Nam sententia exsurgit vel inepta vel absurda. Lanzius contra *Saggio* II. pag. 271. 272. 397. habuit corruptum ab Hellenico ειμι *sum*, et quidem solita calumnia absurda, ut saepe monuimus; Numquam enim fieri potuit, ut Collegia Etrusca ex Hellenico ειμι caput vitale ει, quo verbum fit, abscinderent et reiicerent, et ineptum et nihili μι retinerent, data quacumque origine Linguae Etruscae. At sententia harum Inscriptionum vel flagitat vel recipit *hic*, *hoc loco*, *hoc*, *istud*; et id satis est ut MI Etruscum hoc sensu sumamus. Nec prorsus temere. Nam in omnibus Dialectis Semiticis מה ME, מי MI, ut dicemus iterum paullo post, est *quid*, *aliquid*: Et quamvis modo ignorem an מה ME, מי MI in stricta significatione *huius*, *istius* in aliqua Dialecto Semitica sumatur; aio tamen fidenter in aliqua, ut Etrusca, potuisse sumi ex intima vocis potestate.

Tum est animadvertendum הם EM Arabibus esse *hoc, istud*, המא EMA *hi isti*. Quin בי BI, פי PHI, et adeo ob receptissimam homiophoniam מי MI esse *hic, hoc loco* omnes sciunt.

2. TULAR *Stele*, *Titulus*.

Plura *Tularium* Etruscorum exempla ediderunt Bonarota ad Dempsterum Tab. 72. Gorius in *Museo Etrusc.* tom. III. 2. Tab. 14. ad 18. Lanzius *Saggio* II. Tab. 15. ex quibus constat *Tularia* Etrusca fuisse Cippos lapideos, sive potius *Tabulas* modo rectangulas, modo semiellipticas Stelis Graecorum, atque Aegyptiorum simillimas, quae erectae et Telluri infixae Defuncti Titulum indicarent, et servarent. Quamobrem capere animo non potui, quomodo Lanzius inter doctissimos nostros Archaeologos certe numerandus potuerit habere hoc Etruscum TULAR, quasi corruptionem hybridae vocis *το ollarium*, et habere TULARIA Etrusca quasi Cryptas et Hypogaea, quibus *ollae* cinerum defunctorum clauderentur et servarentur. Vide *Saggio* I. pag. 300. 301. tom. II. pag. 323. 324. 459: Et quomodo Vermigliolius vir aeque doctus potuerit avidissime haec recipere et pertinaciter probare in *Iscriz. Perug.* I. 96. 139. 140. etc. Et ea maxime de caussa quod Linguae illae suae unicae Graeca et Latina, ob unitatem Noachicae originis vocabula habent et homiodynamica et homiophona Etrusco TULAR. Nam Graecum Σ-THAH est ipsum Etruscum TULA-R sono et re: et ςηλη fit ab intensivo S, et TELE תלה TLE *elevari*, *eminere*, pendere. Quod si tu ducere mavis a שת-עלה ST-OLE, quae *infixa*, posita שות SUT, עלה OLE *elevata* est, *alte* erigitur; nec homiophoniam, nec homiodynamin potes auferre et perdere. Vox autem Latina TITULUS olim etiam TI-TULUR fit reduplicatione primae syllabae: ut in *tetigi* etc., adeoque radix esse non potest nisi idem תלה TLE, TULE, *tollo*, *adtollo*, extollo: Res quae alte et eminenter apponitur et adfigi-

tur. *Tular* igitur, Στηλη, et *Titulus* sunt homiodynamica, et homiophona. Praetereundum vero non est esse in Etrusco TULAR vim aliam, quae in Graecorum ςηλη non est, sed videtur esse in Latino *Titulo*; rei scilicet, quae aliquid manifestet et aperiat: Atqui si legimus TUL-AR, in TUL habebimus תלה TLE, in AR habebimus ערה ORE *revelare*, *docere*, manifestare: Ita ut Etruscum TULAR sit *Tabula* elevata *erecta* TUL, qua aliquid manifestetur et *aperiatur* AR.

CAPUT III.

Explorantur VOCES *Etruscae solemnes Sacrorum Anathematum.*

1. MI: *hoc*, *istud*.

Passerius, in *Lett. Roncagl.* XI. *Caloger.* tom. XXIII. pag. 341. 343. ut in Titulis funebribus, ita in Sacris *Anathematibus* Deorum vocem hanc explicavit per ME latinum, et aeque falso: Nam sententia exsurgit aeque absona et improbabilis: Nec aliquid est aliquando apud Graecos et Latinos induci Monumenta ipsa quasi loquentia. Exceptione aliqua Regula generalis intrinsece probabilis non infirmatur. Lanzius vero tom. 1. pag. 103. 104. tom. II. pag. 475. 476, habuit iterum pro Graeco εἰ-μι, et iterum absurditate calumniosa. Atqui sententia harum Inscriptionum non recipit nisi *hoc*, *istud*: et מי MI, מה ME, הם EM Semitoglossorum posse hac significatione et potestate sumi iure nemo dubitare poterit, ut vidimus paulo supra pag. 126.

2. CANA *nuncupavit*, *dedicavit*, *consecravit*.

Huius Etrusci vocabuli potestatem etsi aliquantum incertus recte vidit Passerius in *Lett. Roncagl.* II. *Caloger.* XXII. pag. 381. et XI. *Calog.* XXIII. pag. 353. et satis opportune a Semitico חנך ONK *dedicare*, *consecrare*, deduxit. Lanzius contra in *Sag-*

gio II. pag. 474. 475. putavit Etruscum CANA esse ipsum χανα, quod Hesychius ex ignota Lingua, et ignota Gente Lexico suo intulit, et explicavit κοσμησις. Nam Lanzius ex isto κοσμησις *ornatus*, faciebat αγαλμα, ex αγαλμα faciebat *donarium;* et inde MI CANA vertebat: *Sum donarium:* quae nihili sunt in quocumque systemate Hermeneutico. At si Etruscum CANA ex Patrio et Noachico חנך CNK cum Passerio deducis, duplici gutturali in unam coacta; vel si longe satius a כנה KNE, KANA etiam Patrio et Noachico vocabulo derivas, nempe *nominare*, *nuncupare*, *addicere*, consecrare aptissima sententia exsurgit, et omnes Inscriptiones huiusmodi bellissime procedunt et explicantur.

3. PHLERES *Hiero-Agalma, Icon sacra, Hieroglyphica, sacrum Anathema.*

Iterum Passerius primus rectam Vocis vim sensit in *Lett. Ronc. Calog.* XXIII. pag. 339. 345. At quia legebat PHLEREM, postremum elementum simillimum M latino habendum s ignorans, deducebat a Semitico חרם CRM *separatum*, et si vis etiam *consecratum*, sententia quidem plane opportuna, sed sono vocis adverso. Lanzius vero in *Saggio* tom. II. pag. 480. 481. significationem vocis a Passerio propositam recte probavit, eamque iure apud Inghiramium in *Monum. Etrusc.* tom. II. *Serie* II. pag. 648. et Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. pag. 55. 58. vindicavit in Ennium Viscontium, qui nescio quam *Heram*, et *Floram* fingebat. At idem Lanzius in huius vocis Etymo, ut in reliquis omnibus, fuit infelix. Nam modo deducebat ab HERE, HERES pro ιερε, ιερες; modo a φιλεω *amo*, ex quo auctoritate sua faciebat φιλερον, et auctoritate eadem explicabat *donarium*; modo derivabat ab ερaω *amo*, et ερανον *donum*; modo ab *aere flando*; modo a πληρες quasi *pletum*, impletum votum; quae nihili sunt. At si tenebimus, quod saepius in Operibus nostris demonstrare studuimus

Collegia veterum Sacerdotum, non Collegia aliqua balborum et fatuorum hominum, et Paedophoneticorum, et Nepiolalistarum extitisse: Sed contra sollertium et coniuratorum hominum, qui primitiva, et ex origine tradita dogmata per Noachicam linguam suam, per profundas rationes et methodos exprimere adlaborarent: Si meminerimus Statuas et Simulacra Deorum veteribus temporibus fuisse vel semper vel plerumque habita summae et arcanae potestatis, mira PALLADIA, nempe statuas potentissimas, averruncas, alexicacas, fatales, quibus Fata Gentis, familiae essent coniuncta: Tum Etruscum PHLERES factum a פלא PHLA *res mira*, *mirabilis*, insignis, a פלל PHLL *auguralis fatalis*, et רזן RUZ, RUS, RES, *arcana*, *secreta*, *mystica*, *Sacramentum*, omni iure tenere possumus. Quin mihi est valde probabile in Etrusco PHLERES latere ipsum PALLADION Graecorum et Romanorum, ore alio prolatum. Nam si vocem Etruscam vocalibus imples, et R in D mutas, habes PALLADIOS; et certum mihi est ex plurimis testimoniis attente examinatis PALLADIA veterum non fuisse tantum Icones uni *Athenae Palladi* sacra, sed potius statuas ambiguas pluribus Diis sacras, et maxime *tribus* Deabus et *Parcis* archaeogonis et primitivis, quas pleraeque Gentes, ne Gallis quidem exceptis, summa superstitione coluerunt.

4. TURCE *dedicavit*, *attribuit*, *addixit*, *consecravit*.

Huius etiam vocis potestatem recte vidit Passerius in *Act. Acad. Columbar.* tom. I. pag. 41. 42. ut vidit etiam Lanzius *Saggio* II. pag. 478. 479. Sed is de more in Etymis infelix et calumniosus. Nam modo putabat Collegia Etruscorum Sacerdotalia suum TURCE foedissima corruptione ex Hellenico δεδωρευκε derivasse; modo potius a τοξευκε: modo putabat Primores et Lucumones Etruscorum adsumsisse Graeca το et ερξε,

et fatuum TURCE composuisse: At Semitoglossis, et adeo Noachidis, et Proto-Etruscis est Radix תרך TRK, ipsum TURCE, cui potestas est similis τῳ חרם CRM, et ad sacra et divina exprimenda egregie facta: Nam ex una parte est *separare*, *segregare*, reiicere, nempe ex usu profano, civili, domestico: ex altera parte est *addicere* et *consecrare*, nempe divino cultui et usui *addicere*, *adtribuere*; quae sunt prorsus ad rem: hoc enim semper facimus sacrum *Anathema* consecrantes.

CAPUT IV.

Explorantur Inscriptiones Bilingues Etruscorum.

1. AELIE FULNI AELIES CIARTHIALISA.
A. FOLNIUS A. F. POM. FUSCUS.

Apud Bonarotam *Add. ad Dempster.* tom. II. tab. 83. 5. Gorium in *Inscript. Etruriae* tom. II. pag. 297. in *Istor. Antiqu.* pag. CV. Maffeium in *Osserv. Letter.* VI. pag. 120. 121. Lanzium *Saggio* II. pag. 343.

1. AELIE Etruscum non respondet bene A. Latinae versionis, quod nos dedimus; sed si litera in Ectypis primitivis non est plane A. nequidem est Q. quod Lanzius, aliique dederunt: sed est litera plane similis e nostro minusculo, sive ut *Elium* indicarent, sive ut Diphthongum simularent.

2. FULNI: Etruscis Uphonicis, et Nomina Gentilia in vocali vel NI terminantibus FULNI est ipsum FOLNIUS Romanorum Ophonicorum, et qui Nomina Gentium in IUS terminant.

3. AELIES: ES-AELI, ES *ex*, *de*, יצא ITZA contracte ES *filius*, *egressus ex Aelio*.

4. CIARTHIALISA: ISA-AL-CIARTHI: Nempe יצא ITZA, ISA *filius*, *gnatus*; אל AL spectans ad matrem *Ciarthiam*. CIARTHI porro sive חרט, CRTH, CIARTH est *pix picis*, *piceus*, coloris picei, *fusci*: qua-

mobrem *Fulnius* iste Etruscus factus Romanus dixit sese *Fuscum* , quod erat cognomen Romanorum. Et quoniam Latinorum lingua essentia sua est Rizophthartica et Rizotropica mihi est vehementer probabile Latinam vocem *Fuscus* , de qua leviter et male agit Vossius in *Etym.* fieri a radice *Pix Picis.* Puto enim olim *pucseum*, *fucsum*, et tandem *fuscum* dictum. Tum Semitis חרה CRE CIARE est *urere* , *comburere* , et חרת CIART *ustus* , *combustus* , et adeo *Fuscus* , unde iterum colligimus cur *Fulnius* iste matre CIARTHIA dixerit se FUSCUM. Nam morem tum Etruscorum , tum Oscorum , qui Romana nomina adfectabant , convertendi in Romana cognomina Nomina Gentilia Matrum suarum saepe laudavimus. Ergo *Aelie Fulni Ciarthialisa* Etruscus , est ipse *Aelius Folnius Fuscus* Romanus : Nec obstat quod in Titulo Etrusco desit vox *Pom.* : nempe *Pomtina* : Nam *Aelius Folnius*, non ut *Fulni Ciarthialisa* ; sed ut *Folnius Fuscus* erat ex Tribu *Pomtina.*

II. F. LECNE F. HAPIRNAL.

C. LICINII C. F. NIGRI.

Apud Maffeium in *Osserv. Letter.* tom. VI. pag. 13. 14. Lamium in *Gualfond.* V. pag. 139. 140. Lanzium *Saggio* I. p. 55. 56. II. pag. 342. 343. Apud quos Latina inscriptio praecedit : Nos Etruscam praeposuimus , ut unus esset omnibus tenor.

1. F. Etruscorum , vel B. indicare praenomen FEL, BELE saepius animadversum ; Et respondere nomini בעל BOL , בל BL Semitoglossorum sive *Domino* , *hero* , *possessori* colligere et arguere pronum et aequum. Atqui Praenomen CAIUS Romanis fuit isti BEL prorsus homiodynamicum , dubio procul a radice גאה GAE factum, *Domino* , *hero* , *eminente* , *magnifico* , *divite* , *potente* ; unde illa celebris formula connubiorum Romanorum : *ubi tu Caius* , *ego Caia.* Ergo FEL , BELE, VELI Etruscorum egregie respondet CAIO Romanorum.

2. HAPIRNAL, quod nos dedimus, Lanzio est falso PAPIRNAL: Nam ipsemet Lanzius primam vocis literam saepius ut H, numquam ut P habuit, vid. *Sagg.* II. pag. 380. 381. etc. Neque hîc alia de causa vocem corrupit, nisi quia in Romanarum familiarum Indicibus *Papiriam* Gentem habebat, et minime *Hapiriam.* At lectio genuina est HAPIRNAL, nec recte Maffeius et Lamius legerunt THAPIRNAL. Fit autem HAPIRNAL ab AL-NI-HAPIR, estque *Filius* spectans *ad Gentem Hapiriam*: et HAPIR fit ab אפר APR, vel עֲפָר OPR *cinere, pulvere:* qui quum plerumque *fusci* sint et *nigri*, HAPIR et NIGER sunt homiodynamica, si non sunt homiophona. Quin ego teneo ex eadem Radice Semitica חרה CRE CERE factas duas Romanas voces CINERE, et NIGRI. Nam Semiticum חרה CRE est *ardere, urere, comburere*, et נ־חרה N-CRE, NI-CRE, NICERE, et si vis חרהנ CREN, CIRENE *ustus, combustus.* Atqui NICERE, NIGERE *ustus combustus* est NIGER, et CIRENE, CINERE est res *usta combusta.* HAPIR igitur sive Etruscum, sive Semiticum potest egregie referri ad vocem Latinam NIGER: et adeo ab Etrusco homine LECNE HAPIRNAL, qui fieret Romanus, potuit adsumi rectissime pro Materno nomine HAPIRNAL Latinum cognomen NIGRI.

III. LARTH. CANXNA FARNALISLA:

C. CAESIUS C. F. VARIA NATUS.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 342.

1. CAIUM Romanis significasse *Dominum*, herum, possessorem, divitem paullo supra est adnotatum: Etruscorum LARTHEM fuisse homiodynamicum aeque certo tenendum. Nam in Regimine Aristocratico, ut fuit Etruscum pag. 18. ad 25. prima Civium classis fuit LARTHUM, et adeo necessario *Dominorum, Nobilium*, et Potentum: LARTHES igitur Etruscus respondet CAIO Romano, et ea insuper caussa, quod, mea sententia, LARTHE, LARDE, ipsum LORD Anglorum, factum fuit superpositione duarum Ra-

dicum Noachicarum : לדד LDD, LD lydus, *mollis*, *delicatus*, deliciis et opibus fluens, et רדה RDE *dominari*, *imperare*.

2. CAESIUS Romanus est a *caedo*, *caesum*, et *caesus* a Noachico קץ QTZ, KTS, CSS; CANXNA vero Etruscus est CANX-NA, et ablato NA *familia*, *gente*, domo CANX, et ut saepius monuimus, CANTZ: Nam X semper respondere Semitico TZ iam animadvertimus. At si a CANTZ auferemus nasalem Arabicam N supererit CATZ, קץ QTZ, CTZ, nempe ipsa prorsus et eadem radix CAESII, alio ore prolata. CANX-NA igitur Etruscus est ipse CAES-IUS Romanus.

3. FARNALISLA: ISLA-AL-NA-FAR: Nempe ISLA שיל SIL, ISL, ISLA filius, foetus: אל AL spectans pertinens, *ad*, NA נהא NEA *Gentem* familiam FAR *Variam*. Ergo FAR-NA-L-ISLA respondet Latino VARIA NATUS. At ubi est, inquies, *Caii filius?* Aio claudi et contineri in voce LARTHE, quae vox mihi non est purum Praenomen, sed nomen dignitatis et ordinis, et quidem hereditarii et Aristocratici: adeout colligere facile sit, quod Patri praenomen idem et filio, etsi saepe variatum in more sit.

IV. FL. ALPHNI AULI CAINAL.

C. ALPHIUS A. F. CAINIA NATUS

In *Bullet. Arch. Roman.* 1833. pag. 52. apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 156. 157. in *Museo Clusino* tom. II. pag. 215. 216.

1. FL, BL, VL esse BELE, בעל, BOLE, בל, BELE Syrorum, Assyriorum saepe monitum : et recte respondere Romanorum CAIO, גאה, GAE, GAIO, *potenti*, *domino*, hero, etiam monitum: FL. igitur Etruscum respondet C. Romano.

2. ALPHNI : NI-ALPH, factum ex NI, נהא NEA, *domo familia;* ALPH, ALPHIUS, IUS-ALPH, איש AIS *homo*, *Vir*, persona ex *Alph*. Ergo ALPHNI, et ALPHIUS sibi respondent.

3. A. Latinorum est *Auli*, at, quod nos in Ti-

tulo Etrusco dedimus AULI, alii dederunt NUFI. Ego autem hanc lectionem hactenus ut genuinam habere non potui, et attente Ectypo considerato vidi primam literam posse bellissime haberi A. et posse legi AUFI: quod si quis revera scriptum contenderit non repugnarem; nam A. UFI esset ופי UPHI, UFI *germen, ramus, filius* A, AULI, at si tertia litera est L, non F, ut ego arbitror, tum legendum AULI.

4. CAINAL. AL-CAIN. עול OUL *filius*, *gnatus*, *foetus* spectans ad CAIN, *ad Cainiam gentem.*

Duo igitur Tituli sibi mutuo respondent.

V. CUINTE SENU ARNTNAL.

Q. SENTIUS L. F. ARRIA NATUS.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. pag. 71., in *Opuscul.* tom. IV. pag. 69. 70. in Inghirami. *Lett. di Etrusc. Erudiz.* pag. 50. 51.

1. CUINTE Etruscum respondere Romanorum QUINTO quisque sentit, sive vox illa propria sit et patria Etruscorum, sive adoptata a Romanis, et hîc ad *homiophoniam* facta. Ego autem teneo utramque factam a vetustissima voce חמת CMT CNT CUINTE Chaldaice pro חמש CMS *quinque.*

2. SENTIUS Romanis est ex Gente *Sentia*, et *Sentii* a *Sentibus*, *Spinis*, *Dumis*. Atqui *Sentis*, spina, Semitice est שנה SNE, SENE, SENU: Ergo *Sentius* Romanus est *Senu* Etruscus.

3. ARNTNAL est AR-NTN-AL. Nempe AR, ARRIA; NTN, ipsum נתן NTN *dedit*, *peperit*, edidit, AL, עול OUL *filium*, *gnatum*. Scilicet, CUINTE SENU ARNTNAL est ipse Q. SENTIUS ARRIA NATUS.

En ut semper rationales et aequae sunt varietates in Nominibus Etruscorum, non ex fatua corruptione ortae et prognatae.

VI. LARTHI . XETNEI . ANIS

SENTIA . ANIS .

Apud Vermigliolium in *Lezion. di Archeol.* II. pag. 241. 242. in *Iscriz. Perug.* tom. I. pag. 54. et 279. 280.

1. LARTHI, *Larthia* praenomen Muliebre, vel Titulus honoris et ordinis, ut nobis *Signora*.

2. XETNEI, nempe NEI-TZET: ex NEI *Domo Gente* TZET. Atqui Semitis צות TZUT, Etruscis XUT, XET *est sentire, auscultare, obedire*. Ergo TZET-NIA, XETIA, et XETNEI Etrusca esse potest SENTIA Romanorum. Quod si hanc SENTIAM etiam a *Sentibus* et *Spinis* dictam volumus Etruscum Nomen possumus deducere a שטים STIM *Sentibus*, *Spinis*, de quibus docte peculiari dissertatione disputavit Theodorus Hasaeus. Ita ut Radix sit שט, שיט *Schet*, *Schit*, quae Etrusco XET, habita ratione vehementis ש, SCH, rectissime potest convenire.

3. ANIS, ANI-IS, IS-ANI, ISA-ANI, ISA אשה ASE, *uxor*, *coniux Anii*.

Ergo *Sentia Anii* Romana est *Larthia Xetnei Anis* Etrusca.

VII. ATH . UNATA . FARNAL

M . OTACILIUS RUFUS VARIA NATUS.

Ex *Bullet. Archeol.* Romano anni 1833. pag. 52.

1. Praenomen Romanum MARCUS significasse hominem *mollem*, delicatum, crassum, pigrum certum est. Et iure. Nam Arabibus מרק MRQ MARCU est *succosus, succulentus, pinguis*: et מ-רחה M-RCE MARCE est *mollis, laxus, lentus, quietus*. Atqui Etruscum ATHI, nempe אטי ATHI, est prorsus אטי *quietus, mollis, lentus*. Ergo ATHI, Etruscus, et MARCUS Romanus sunt homiodynamici, et mutuo potestate conveniunt.

2. UNATA: est UNA-ATA: Nempe, est qui ענה ONE *respondet, alloquitur, audit, refert*: ATA, OTE עת *opportune, tempestive*, apte, congruenter.

3. OTACILIUS, sive OTA-CIL-IUS, est IUS, איש, AIS, *homo, vir*; qui CIL קול QUL, KIL, קלא KLA *loquitur, alloquitur, respondet*: OTA, עת OT, OTA *tempestive opportune, apte*. Ergo UNATA Etruscus est ipse OTACILIUS Romanus.

4. FARNAL: AL-NI-FAR, nempe, AL *filius*, spectans *ad* NI, NEI, *Domum*, *Gentem* FAR, VARIAM, est VARIAE *natus*.

At ubi, inquies, est cognomen RUFUS in Etrusco Titulo? Si non est prorsus, nil inde mali: nam nulla umquam necessaria lex fuit Tituli Inscriptionis bilinguis ut per singulos apices mutuo una in altera referatur. At ego arbitror cognomen RUFUS esse ipsam Temuram Nominis materni FAR; quum RUFUS Romanis esset cognomen illustre et receptissimum, et non FARIUS vel FURIUS. Adeout auctor Tituli nec praeterire Cognomen Etruscum, nec Nomen eius matris una voluerit.

VIII. FEL. VENXILEAL PHNALISLE.

C. VENSIUS C. F. CAIUS.

Ex *Bullett. Archeol. Rom.* 1833. pag. 52. 53. et ex *Museo Clusin.* tom. II. pag. 228. n. 117.

1. FEL, VEL, BEL Etruscum, בעל BOL Syrorum, et CAIUS Romanorum sibi respondere saepe monitum.

2. VENXILEAL: dubio procul VENXINEAL, ut ex innumeris similibus exemplis constat, est AL *ad*, spectans pertinens, NE, NEA, *Gentem*, *Domum* VENXI: quae Latine dicitur VENSI, aut VENCI et recte: Nam, ut alibi saepe monuimus, Hebraei Italici nostrum CIA, CE, CI, CIO per צא TZA, צה, TZE, צי, TZI ex primunt. Quod Etrusci fecissent per suum X.

3. PHNALISLE, sive PHNA-AL-ISLE, est ISLE שיל SIL, ISLE *filius*, *foetus*, AL spectans *ad* PHNA, quod maternum Nomen.

4. CAIUS: Nomen hoc est Etruscum non Romanum, et ex alia Radice pendens. Erat enim Familia CAIA Etruscis, sive potius, ut ego arbitror, Collegium Sacerdotale CAIORUM, et puto ad Funera et Ceremonias defunctorum destinatum: Etymon vero mihi est a כאה KAE *tristis*, *turbatus*, *contristatus*. Atqui iisdem Semitoglossis פון PHUN, PHNU est *turbari*, *contristari*, et פנא PHNA est *interitus*, *exitium*,

mors; unde dubio procul Latinorum *Fun-us*. Ergo PHNA, et CAE, CAIE Etruscorum sunt homiodynamica. Etruscus igitur VENXINA, quum fieret Romanus, et in Lexico Romano non videret cognomen quod satius suo PHNA conveniret, quam CAIUS, ideo hoc adoptavit.

IX. F. CAXI CICLAIS.

C. CASSIUS C. F. SATURNINUS

Ex *Bullet. Archaeol. Roman.* 1834. pag. 149. in quo prior adposita Latina inscriptio.

1. F. B. BEL, בעל BOL, ut saepius animadversum, est CAIUS; scilicet F. Etruscum respondet Romano C.

2. CAXI, CATZI Etruscis, suavius in Romano Idiomate CASSIUS.

3. CICLAIS: in uno Ectypo adhuc quod sciam vulgato est C. CLAI. S. Litera media absumta, ut ego teneo, et falsa postrema interpunctione, quod plane frequens vitium in omni Palaeographia, hinc edidi CICLAIS: quam vocem puto factam ab IS-CICLA: IS איש AIS *homine* spectante pertinente *ad* CICLA, CIACLA, ore Syro, Palaestino ZAKLA. Atqui his ipsis Gentibus ZACLA זכל, ZKL est *Saturnus*, ut iam pluribus animadverterunt Hottingerus in *Histor. Orient.* pag. 177. 178. Beausobrius in *Histoir. Manich.* libr. VI. tom. II. pag. 407. 409. Georgius in *Alphab. Tibet.* pag. 9. 24. 25. Quamobrem Etruscus CICLAIS est omnino Latine SATURNINUS.

Deest quidem in Titulo Etrusco, vox relativa C. F. quia agitur de Optimatibus et Nobilibus, qui etiam praenomina maiorum servabant, ut superius monitum. Tituli ergo satis sibi et aeque respondent.

X. AFLEMI TILEIACIXA.

AULEMI TIT. AELII BONAE MEMORIAE.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. edit. 1805. pag. 34. 35. nam in edit. 2. curata 1833. me legisse non memini.

AFLEMI et AULEMI, quisque videt habendum *co-*

gnomen, sive Nomen familiae, ut Naso, Varro, Cicero, Catullus, Propertius: et adeo aetate Romana. TILEIACIXA est TILEIA-CIXA: TILEIA ipsum תלאה TLAE *meditari*, *considerare*, memorari, *memoria*: et CIXA CICSA, satius CISCA ipsum חסה CSE pluribus Semitoglossis ס, scia, SCE, et propterea expressa per X *sancta*, *pia*, *bona*: nempe TILEIACIXA est *bonae memoriae*: quae in Latino Titulo.

Ex hoc autem Tentamine Inscriptionum Bilinguium Etruscarum illud etiam velim sollertem Lectorem colligere, quod ipsi communiter cives Etrusci, mysteria et arcana, si ita loqui fas est, veterum Linguarum nossent, et scitissime tum nova sibi nomina imponerent, et vetera quoad potestatem non dimitterent: quodque profecto non fuerunt illi fatui Etrusci, qui vocabula quaedam Graeculorum imperitissime coniungerent, et ineptius depravarent.

SECTIO II.

TENTANTUR INSCRIPTIONES ETRUSCAE, QUAE SIGNIS SACRIS, SPECULIS FUNEBRIBUS, ARIS, GEMMIS, ET SUPELLECTILI VARII GENERIS ADPOSITAE SUNT.

CAPUT I.

Tentantur Inscriptiones Etruscae, quae Simulacris et Emblematibus Deorum, vel Daemonum sunt adpositae.

1. BELIAS PHANACNAL THUPHLTHAS ALPAN HENACHE CLEN CECHA TUTHINES TLENACHEIS.

Haec inscripta sunt femori et cruri dextro simulacri aerei Dei pueri ALPANI, de quo agimus in *Pantheo Etrusco*. Ediderunt I. B. Passerius in *Act. Societ. Columbar. Florentin.* pag. 7. 36. 37. etc. in Dissertat. peculiari de *Puero Etrusco* pag. 21. 22. Ludov. Coltellinius tom. XXXIX. pag. 224. 225. *Collect. Calogerian.* et peculiari Editione. Lanzius *Saggio*

tom. II. pag. 533. 534. Micalius in *Monum. Italic.* 1832. tab. XLIII.

Passerius autem p. 35 vertebat: *Velia Fanacnii, et Tarplitia Alpanii filia Enaliae, et Velia Tutinii etiam filia Enaliae dedicarunt.* Coltellinius vertebat: *Velianus Fannacii filius obtulit Alpanio Lenacio clienti mala tutamen delinificum.* Lanzius vertebat: *Fannacia salva Alpanus Lenacius voto suscepto, et Lenacii universi.* Nos vertimus: *Larthes*, quum praenomen desit, Patre BELIO, matre PHANACIA ALPANO *Puerorum curatori* Signum *dedicavit*, *peragentibus Festum Praetoribus Tlenachiis*. Nam:

1. BELIAS, VELIAS est cognomen Gentis Etruscae, certum ex aliis pluribus exemplis. BELIAS est AS-BEL, AS, איצ ITZA e, ex BELE, VELE.

2. PHANACNAL: AL-NI-PHANAC: AL אל AL *ad, spectans, pertinens*, NI *Gentem*, Familiam, Domum *Phanaciam* Maternam.

3. THUPHLTHAS: Cognomen Dei Etrusci, quo cognomine naturam, munus, et officium Dei exprimi et significari aequum et necessarium est. Et quoniam טפטף THPHPH, טף THPH, THUPH est *puer*, *infans*, vel *puerorum turba* caterva; quod significat etiam טפל THPHL: si addimus לטש LTHS, *polire*, *expolire*, *purgare*, *mundare*, curare, procurare, erit nobis *Deus Paedomeletor*, Deus *Puerorum Curator*, THPH-LTHS, *Puerorum mundator*, *expurgator*.

4. ALPAN: Nomen *Dei Etrusci*, hactenus ignoti; sed plane similis *Harpocrati* Aegyptio atque Alexandrino. De eo agimus in *Pantheo Etrusco*.

5. HENACHE, ut legendum omnino est, non LENACHE, ut legit Lanzius loc. cit. Nam certum est priorem Vocabuli Literam non esse L, sed summa probabilitate H, vel similem literam, ut iam animadverterunt Gorius in *Stor. Antiquar.* pag. 119. 120.

Passerius in *Act. Societ. Columbar.* I. p. 39. 40. Mazochius in *Opusc.* III. pag. 141. 142. collatisque locis nil satius et probabilius teneri potest, quam esse literam H Latinae similem: Atqui hoc Etruscum HENACHE est Semiticum חנך HNK HENACHE *consecravit*, *addixit*, *nuncupavit*, quod sententia plane probat et complectitur.

6. CLEN : Vox Etruscorum Idiomatica vel a כלה KLE *absolvere* perficere, vel a קלא QLA, KLA, CLA *celebrare*, *inclamare*, *invocare*, laudare addito N formativo, quod tamen plane rarum in Lingua Pavromorpha, ut fuit Etrusca.

7. CECA, CEGA, quia Etrusci non agnoverunt in Scriptura G, ipsum חג CG, CEGA, CECA *festo festivitate solemnitate* festiva.

8. TUTHINES : NES-TUTHI, NES-TUDI; DUTI-NES דות-נאס, DUT, THUT, NAS *homines viri*, DUTI דעת DOT, דאת DAT, *Legis*, *Iuris*, *Legum* : Nempe Iurisperiti, *Magistratus*, *Duumviri Iuridicundo*, Praetores Civitatis.

9. TLENACHEIS : Nempe TLE-NACH-EIS : EIS, איש AIS, EIS *Homines*, *viri*, NACH, נוח NOCH, *habitaculi*, *sedis* civitatis, loci; TLE תלה TLE *celsi*, *elevati*, *pendentis*, nempe *Incolae cives celsi Oppidi:* Atqui hoc ALPANI signum cum reliqua supellectili inventum est in Oppido dicto *Montecchio*, posito in agro Cortonensi; quo in vocabulo sive Latino, sive Italico servatam vim vocis Etruscae תלה-נוח, TLE-NUC, TLE-NACH, *sedis elevatae* palam est.

II. A. BELS CUS TUPHLETHAS ALPAN TURCE.

Haec inscripta *Candelabro* aereo cum ipso ALPANI signo eodem in loco invento. Passerius loc. cit. vertebat: *Aulus Velsius cum Turpilitia Alpani filia obtulit.* Coltellinius pag. 18: *Aulus Velsinus Cuspidius obtulit Alpano Turcio.* Lanzius pag. 493. *Aula Velcia salva Alpanus dicat.* Nobis est: *Aulus*

Belius Thymiaterium Alpano Puerorum curatori dedicavit. Nam :

1. A. BELS est *Aulus Belius* contracte pro AULE BELIAS. Nempe *Aulus* ex familia BELIA, ille ipse dubio procul quem scriptum BELIAS PHANAC NAL vidimus paulo supra p. 140.

2. CUS: vel ipsum כוש KUS, vox *Vasorum* propria, et non inopportuna, supellex, scilicet, qua aliquid continetur : vel est קשה, QSE, KSE *thuribulum*, *thymiaterium*, vas ad odores, et aromata in honorem Dei incendendos opportunum, vel ad vigilem et durabilem lucernam constituendam plane idoneum.

2. TUPHLETHAS ALPAN : *Puerorum* curatori, *Paedomeletori Alpano.*

4. TURCE, תרך TRK *dedicavit*, *consecravit*, ut dictum est pag. 130. 131.

III. PHLERES XEC SANSL CFER.

Haec inscripta femori et cruri dextro Pueri nudi bullati et armillati, et quem nos eundem ALPANUM Deum esse arbitramur. Ediderunt Ciattus in *Perug. Etrusc.* p. 131. Fontaninus in *Antiquit. Hortae* p. 146. Bonarota ad *Dempster.* Tab. XLV. Passerius in *Paralipom.* pag. 81. Lanzius *Saggio* II. pag. 532. Vermigliolius *Iscriz. Perug.* I. pag. 42. 43. Passerius *loc. cit.* prave legit : *phlerem zec sanmu cuer:* inepte in *zec* ζηνα Graecorum videre voluit, et vertit : *Sacrum Iovi pro incolumitate mei pueri.* Lanzius prudentior temperavit se ab interpretatione : Vermigliolius vertebat : *Votum Iovi Sancto* vel *Sancio*, *puero* vel *puer.* Nobis est : *Hieroagalma tribulationum*, *desideratae nativitatis expiatio.* Nam :

I. PHLERES : פלא-רוץ PHLA-RUZ ; *Res*, *dogma*, *secretum arcanum* sublime arduum. vid. pag. 129. 130.

2. XEC, TZEC, צוק TZUQ *angustiarum*, *tribulationum*, passionum.

3. SANSL, SA-NSL, סוה נסל, SUE-NSL *desideratae*

nativitatis, concupitae generationis, qua voluit gigni et fieri Homo, et vestiri carne, et de coelestibus Regionibus in hanc Terram delabi.

4. CFER, כפר, KPHR, CFR, *expiatio*, *expurgatio*, purificatio, per humiliationes, angustias, dolores, tribulationes, passiones.

His autem paucis verbis unum ex maximis et fundamentalibus dogmatibus Psychologiae et Theologiae Cabiricae et Pythagoricae nos contineri arbitramur: et omnia Symbola *Hieroagalmatis* mire et secum, et cum Inscriptione congruere, pluribus ostendimus in *Pantheo*. Hic enim vocabula tantum *Etrusca* vertere, non Dogmata explicare et commentari satagimus.

IV........ FAS FELUS A.... IS CELF ANSL.... ES CFER THAF THLI...CLAN.

Haec adscripta brachio disrupto Pueri aerei rasi et repentis, et quem eundem esse putamus ALPANUM Etruscum. Edidit peculiari Opusculo Passerius an. 1771. hinc Amaduzius in *Alphab. Etrusco*, pag. 112. Fea *ad Winkelmanni Stor. Art.* tom. I. pag. 312. 313. Lanzius *Saggio* II. pag. 529. 530. et pag. 549. 553. et Tab. XV. 5. Micalius in *Monum. Italici* 1832. Tab. XL. Passerius autem pag. 35. pro FELUSA legit VELUMA, et Gentem *Velumiam* finxit, in CLAN *filium*, in CUER *Puerum*, in CELFANSL Familiam vel Gentem *Salviam* vidit c in s corrupto, et satis haec habuit ad rem suam. Lanzius porro pag. 531. in CFER THAFTHLI vidit *Puer Vetilius*: in CELVANSL *Silvano donum*; Reliqua non attigit. Nos vertimus....*imminutus*, *involutus*....*vicibus nativitatis*....*purgat morte*, *humilitate*....(ut fiat) *beatus*. Nam:

1. FAS פסס, PHSS, *imminutus*, *deminutus*.

2. FELUS פלש FLS *obvolutus*, *involutus*, pulvere cinere, sordibus.

3. CELF, non SELV, ipsum חלף CLF *vicibus*, varietatibus, variationibus, successionibus, cursibus.

4. ANSL ipsum נסל, NSL, ANSL, *generationis*, *nativitatis*, *ortus* in hoc Mundo perituro, transituro, malo.

5. CFER ipsum כפר, CFR, *expiat*, *purgat*, *purificat* (se).

6. THAF ipsum טפ THPH, THF *morte*, *moriendo*, vita exutus.

7. THLI, DLI, דלי DLI *tenuitate*, *vilitate*, doloribus, miseria, inopia, exhaustione, exinanitione, qua affligitur in hoc Mundo.

8. CLAN: ut tandem mortuus, exinanitus, et morte et exinanitione purgatus atque expiatus fiat CLAN, χαλος, αλυπος, χρηςος, *beatus*, *Lar*.

Et hoc profundo Etrusco PHLERES *Hierogalmate* dogma Psychologicum *Cabiricum*, et Pythagoricum contineri arbitramur: Et accurate his verbis propositis, et dogmati Theologico *Symbola* sibi convenire et congruere, et Typum haberi posse eumdem ALPANUM sive *Harpocratem* Etruscum pluribus in *Pantheo Etrusco* animadvertimus.

V. PHLERES TLENASIES SFER.

Haec inscripta Signo aereo Puellae Rimnoferae, quam egregie Vermigliolius in *Iscriz. Perug*. I. pag. 44, et 58. 59. coniecit esse *Proserpinam*, nosque pluribus ostendimus in *Pantheo*. Nemo autem, quem sciam, proposita verba explicavit: Mihi vero continent alterum ex maximis Dogmatibus *Cabiricis*, veramque et profundissimam *Proserpinae* naturam, quam nec Graeci, nec Latini umquam expresserunt atque aperuerunt, adeoque vertimus: *Hiero-Agalma pendentis adhuc hominibus salutis et redemtionis Spei*. Nam:

1. PHLERES, ut vidimus p. 130. פלא-רז FLA-RUZ *arcanum mysterium*, sublime, arduum, *Hieroemblema* profundum.

2. TLE-NAS-IES: TLE תלה *pendentis*, *suspensae*, appensae adhuc in alto, remotae: NAS נאס NAS *Ho-*

minibus Generi humano, IES ישע IESO, IES, gutturali Pelasgice suppressa, *Salus*, *Salvatio*, *Redemptio*.

3. SFER, SBER, שבר SBR, SPR, *Spei*, *expectationis*, *fiduciae*; ipsum vetus et inusitatum Latinorum SPER, SPERIS.

VI. MI PHLERES EPUL FICE ARITIMI PHASTI RUPHRUA TURCE CLEN CECA.

Haec adscripta femori pulcherrimi signi *Apollinis*; eaque cum Signo iamdiu plurimi ediderunt, inter quos Montfauconius *Antiq. expl.* III. 2. Tab. 157. Gorius in *Mus. Etr.* I. Tab. 32. Lanzius *Saggio* II. pag. 483. 525. Tab. XV. 3. aliique. Lanzius dedit EPUL PHEARITIMI, cui lectioni diu adquievimus, quia פאר PHAR, PHEAR est *corona*, et omne pulcrum et decorum *ornamentum*, et תם TM TIMI, est *perfectum* absolutum; et iste *Apollo Etruscus* laurea corona est bellissime caput coronatus. At inspectis diligentius Ectypis vidi hanc lectionem non posse retineri ac probari, et longe satius legi: FICE ARITIMI. Lanzius autem vertebat: *Sum donum Apollini, et Artemidi*: *Fausta Rubria dedit voti caussa.* Nobis vero est: *Hoc Hieroagalma Apollini Ductori, Revelatori finium Phastia Ruphrua dedicavit celebrans festum.* Nam:

1. MI PHLERES, ut dictum saepius, est *Hoc Hieroagalma*, Hieroemblema Hieroglyphicum.

2. EPUL, בעל BOL, Baal, בל BL Bel Syris, Palaestinis; Graecis, et Latinis *Apollo*, EPUL indeclinatum, ut *Baal* originale.

3. FICE פחה PHCE FICE *dux*, *ductor*, cognomen proprium *Apollinis* ἡγεμόνος, Oracularis, Prophetae, Vatis.

4. ARETIMI, ARE-TIMI, nempe ערה־תום, ORE-TUM, *revelatoris finium*: qui ערה, ORE *revelat*, *aperit*, indicat, תם, TM *finem*, absolutionem, complemen-

tum Mundi, Gentis, Populi, Generis humani, fin consumationem Temporum; quae est arcana et p funda Natura *Apollinis* potissimum Italici et l mani, quam nemo adhuc, quem sciam, clare aper Scilicet hic *Apollo Aretimius*, *finalis*, est *Veic* Romanus, est Iupiter *Anxurus*, est *Apollo* Lu rum saecularium, est *Apollo* Octaviani Augusti Virgilii Maronis, est Apollo *Carnius* Laconum Ερετυμιος Lyciorum, auctore Hesychio, et Ερετυ Rhodiorum. Huic Apollini sacri Cycli Chronici, m et maximi Anni, et omnes magnae Rerum conver nes sociales et Mundanae.

3. PHASTIA RUPHRUA: Mulier nempe *Pha* praenomine, ex Gente *Ruphrua*.

4. TURCE, תרך TRK *dedicavit*, *consecravit* gnum, Simulacrum, statuam aeream Dei.

5. CLEN CECA, קלאן חגג, QLAN CUG, CLAN C *celebrans festum*, absolvens festivitatem, ut dic est pag. 141.

VII. LARCE LECNE TURCE PHLERES' UTHUR LANUEITHI.

Haec insculpta Signo Deae *Athoris*, vel *Uthu* quam habendam esse sive *Venerem Matronale* sive *Iunonem Manturnam* animadvertimus in *P* *theo*. Ediderunt Passerius in *Roncagl. Calogerà* XX pag. 571. et in *Paralipom.* pag. 145. 146. Sed pr Lanzius *Saggio* II. pag. 482. et 526. edidit rect sed prave interpunxit, et emendavit: *Phleres. Sutl La. Nuithi*: et vertit: *Largius Licinius Sacrum pro Salute Larthiae Noviciae*. Edidit etiam G rinius Comm. XIII. pag. 4. 8., et pro *Lecne t* dedit *Lecnetur ke*, et vertit: *Largius Licir Ke donum dat ex voto Lanuvinae libens me* Nos autem vertimus: *Largius Licinius dedic Hieroagalma Athori placidissime manenti*. N.

1. LARCE LECNE est evidenter *Largius Licin*

et potest esse ille ipse *Largius Licinius*, qui fuit Propraetor in Hispania, et de quo egit Plinius Hist natur. lib. XIX. cap. 2. pag. 569.

2. TURCE PHLERES: *dedicavit consecravit Hieroagalma*, *Hieroemblema*, ut saepius dictum.

3. UTHUR, Nomen Deae Etruscae, de qua agimus in *Pantheo*; eaque vel respondet ATHORI Aegyptiae, de qua egregie Iablonskius egit in *Pant. Aegyptio.* cap. I. vel *Athara* Syrae, de qua plura testimonia possunt colligi et adunari; vel est proprium Etruscorum Numen; et nomen factum a דור, DUR, THUR *domo*, *familia*, *generatione*, ut sit Dea, quae רדה RDE, URDE *imperat*, *regit*, moderatur דור DUR, UDUR, UTHUR *generationem* hominis, familiam. Domum.

4. LANUEITHI, ut rectissime Lanzius edidit, non LANUVINAI, ut corrupit Guarinius; nempe est: LANUEITHI Dea, quae EITHI, אט, ATH, EITH, *placide*, *quiete*, *suaviter*, LANU לון, LUN, לאן LAN *manet*, *moratur*, *degit*, hospitatur, pernoctat. Nam quum omnis uxor sit peregrina, ex Domo externa extranea in viri Domum veniens; ideo sapienter Sacerdotes Etrusci Typum hunc Deae *matronalis* et *Manturnae* excogitarunt, et Nomina opportunissima indiderunt.

VIII. CANA MI LARTHIAS BANL
BELCHINEI SALUCE.

Haec insculpta sunt Signo lapideo Deae Etruscorum Paedophylacis, BELCHINEA adpellatae: et de qua agimus in *Pantheo*. Inscriptio autem iam olim edita a Grutero in *Thesauro Inscript.* tom. I. p. 146. Bonarota *ad Dempster.* I. Tab. 42. Passerio in *Paralipom.* pag. 76. 77. Maffeio in *Osserv. lett.* V. p. 317. Gorio in *Mus. Etrus.* tom. I. tab. 4. et tom. III. 1. tab. 12. Lanzio *Saggio* II. pag. 475. 545. qui ex *Larthias Banl* fecit *Larthianal*, et ex *Belchinea* cognomine Deae fecit *Velciam* Nomen suae *Larthianalis*: Mihi est: *Hoc* (signum) *dedicavit Larthes Banlius Belchineae bonae.* Nam:

1. CANA MI sunt : *Hoc*, istud, hoc signum, simulacrum : *dedicavit*, *nuncupavit consecravit*, vide pag. 128. 129.

2. LARTHIAS : AS-LARTHI, AS איש AIS *vir homo*, vel AS, pro AT, את AT *spectans*, *pertinens* ad *Larthes*, ad Optimates, ad Nobilium ordinem.

3. BANL, BANULUS, ex Gente, vel Familia BANULA, aut *Venula*.

4. BELCHINEI, vel PELCHINEI, Nomen Deae Paedophilae et *Paedophylacis*, scite, et sollerter conditum, ut ostendimus in *Pantheo*.

5. SALUCE. Haec quidem vox non legitur integra in Ectypis datis: Ex pluribus clare collegi SA...CE, et nil satius posse reponi quam SALUCE visum est: nempe שלח SALUCE, *benevolae, propitiae*, misericordi, indulgenti, *bonae*.

IX. MI CANA LARTHIAL NUMTHRAL LAUCIN NUIL.

Haec insculpta Signo lapideo Deae Etruscae LUCINAE, de qua agimus in *Pantheo* : Eaque ediderunt cum signo Bonarota *ad Dempsterum* tab. XLIII. Passerius in *Paralipom.* pag. 77. 78. et *Roncagl.* XI. tom. XXIII. *Calog.* pag. 352. Lanzius *Saggio* II. pag. 544. qui vertebat : *Donarium sum Larthiae Numitoriae Lucinia natae :* At Passerius saltem viderat inepte quaeri matrem dedicantis, Deâ cui fieret dedicatio ignota, eamque iure esse *Eilethyan* sive LUCINAM est arbitratus. Et nos adeo vertimus : *Hoc dedicavit Larthialis Numithralius* LUCINAE *obstetrici*. Nam :

1. MI CANA : מי MI, hoc istud, כנה KNE *nuncupavit, nominavit*, consecravit.

2. LARTHIAL AL-LARTHI *ad Larthes* spectans, pertinens ad Nobiles, Optimates.

3. NUMTHRAL AL-NUMTHRA ad Gentem vel familiam *Numithriam*, ad *Numithrios* pertinens.

4. LAUCIN: Nomen Deae Etruscae *obstetricis*, ut

Nominis solertissime impositi analysi ostendimus in *Pantheo*.

5. NUIL cognomen Deae, a נהל NEL *ducere*, tollere, sublevare, adtollere, adferre. Nam apud omnes veteres et claras Gentes, Infans modo natus, atque humi proiectus, nisi *adtolleretur*, et genibus Patris vel Domini Domus imponeretur, et reciperetur, et agnosceretur, non erat adhuc *filius* et elementum familiae. Tum NUIL est a נול NUL, NUIL, etiam *capere*, *accipere*, prehendere, adprehendere, et quidem rem נול NUL, NUIL *inquinatam*, *sordidam*, impuram, ut habebantur *infantes* ex utero proiecti, antequam purgarentur et expiarentur.

X. THUCER HERMENAS TURUCE.

Haec insculpta signo aereo militis, qui recte potest haberi Simulacrum Dei *Martis* Etrusci; eaque iamdiu edita fuerunt in *Museo Cortones*. tab. XVII. in *Museo Etrusco* Gorii tab. 108. a Lanzio *Saggio* tab. XV. 2. pag. 523. 524. Micalio in *Monum. Italici* 1832. tab. XXXVIII. Lanzius vertebat: *Thocero Hermiae donum dat*. Nobis est *Larthes* Gente *Thucera*, familia, vel Collegio *Hermenio dedicavit*. Nam:

1. THUCER videtur nomen Gentis, et certe plures *Thuceronii* fuerunt Etruscis, ut constat ex *Titulis* funebribus, iique iidem videntur, ac *Thucerii*, quia NI, ut saepe vidimus, *Domus* et Gens est.

2. HERMENAS, HERME-NAS, cognomen, vel fortasse Nomen collegii τῳ HERM חרם HRM *Bello*, rebus bellicis addicto; NAS נאס NAS *homo*, *vir*.

3. TURUCE, contracte ipsum TURCE, תרך TRK, *dedicavit*, *consecravit*.

XI. TA TURCE RAMTHAL PHTA TABI SELBAN.

Haec insculpta signo aereo *Laris* SELBANI, de quo agimus in *Pantheo*: eaque edita fuerunt a Bonarota ad *Dempster*. I. tab. 24. Gorio in *Museo Etrusco* tab. XX. Passerio in *Paralip*. p. 62. 63. Lanzio

Saggio II. 527. 529. qui vertit: ***Donum dat Arruntia Alphia....Silvano.*** Nobis est: ***Hoc dedicavit Ramthalius Puerorum amanti Silvano.*** Nam:

1. TA, τα, זה ZE *hoc, istud.*

2. TURCE תרך TRK *dedicavit, consecravit.*

3. RAMTHAL, AL-RAMTHA אל, AL *ad*, *spectans* ad Familiam *Ramtham*, claram in Etruria.

4. PHTA, פתא PHTA, *simplex, parvus, parvulus puer.*

5. TABI תאבי TABI *amanti, desideranti, cupienti.*

6. SELBAN: Nomen Dei *Laris*, *Laris Silvani. Silvanus* autem habebatur idem ac INUUS, et ad *Puerperas accedere.*

XII. EICERA STHU PHITHI CFEIA.

Haec inscripta Etrusco signo aereo, quo exhibetur adolescens pallio semitectus, sinistrâ manu passâ, dexterâ vero Pateram invertens. Ediderunt Bonarota *ad Dempster.* I. tab. 24. Gorius in *Museo Etrusco* I. tab. 100. et II. pag. 227. 228. Passerius in *Paralip.* pag. 62. 63. Lanzius *Saggio* II. pag. 537. 538. etc. etc. Nemo quem sciam vertit, quia Passerius, et Lanzius omnino attingere detrectarunt. Nos contra in hac Inscriptione sollertiam et crypticam sapientiam Hierographorum Etruscorum agnoscendi et mirandi occasionem habuimus. Nam praeter sensum Theologicum, de quo in *Pantheo* agimus, est sententia manifesta, quâ ipse habitus et positura Hieroagalmatis describitur: Nam:

1. EICERA est ה-כיור E-KIUR, et כיור KIUR est *vas, patera, patella.*

2. STHU est ipsum שוט SUTH STHU *flectit, inflectit, invertit*, quod exhibetur in Signo.

3. PHITHI, PHITI, פתא PHTA, PHTI, *aperit, dilatat.*

4. CFEIA, כאב KAPH, כפא KPHIA, *manum, volam manus*, manu passâ, volâ manus apertâ: Atqui

est is ipse habitus *Laris Etrusci* hoc signo expressus.

XIII. AU. FELTHURI PHNISUAL MI SUTHIL FELTHURI THURA TURCE.

Haec inscripta sunt in gyrum in Clypeo aereo, quo eleganti artificio insculptum est *Caput Medusae Gorgoneae;* ediderunt Bonarota *ad Dempster.* I. tab. 8. Gorius in *Mus. Etrus.* in *Parergis* II. pag. XLII. etc. Passerius in Paralipom. pag. 33. 34. qui vertebat: *Thoracem Aulus Velturius Fenimua natus me pro salute Velturii filii Marti dedicavit.* Nam TURCE est *Thorax:* FNIMUAL, sic enim legebat Passerius, ignota adhuc figura S Etrusci, est *Fenimua natus:* MI est *me;* SUTHIL est ipsum σωος Hellenum; THURA est *Mars.* Lanzius autem vertebat pag. 497. *Pro salute Velturii Thauria nati, Aulus Velturius Fannicia natus me donum dedit.* Nos: *Aulus Velthurius Faciem Tartarinam hanc ad incolumitatem Domus Velthuriae dedicavit.* Nam:

1. AU. FELTHURI, est *Aulus Velthurius*, aut FELTHURIUS, ex Gente *Velthuria.*

2. PHNISUAL: vox profundae, et utilissimae potestatis: Fit a פני PHNI *facie*, vultu, adspectu, et שאול SAUL, שואל SUAL, *Tartarus*, *Abyssus*, *Infernus*, apud omnes Orientales: ita ut PHNI SUAL sit *Facies Tartarica*, *Vultus Tartarinus:* nempe *vultus Medusae Gorgoneae;* Quo vultu fundatores *Panthei Cabirici*, ipsum *Tartarum* Symbolice expressisse, ipsum *Infernum* et sedem potentium et nocentium Daemonum Hierographicis formis significasse monemus in *Pantheo.* De voce autem שואל SUAL *Tartaro* plura scite animadverterunt doctissimus Windetus Anglus in *Libello de vita functor. statu:* et Patuzzius Italus in Libro de *sede Inferni* etc. etc.

3. MI *hoc*, *istud*, *haec* Clypeo insculpta *Facies.*

4. SUTHIL, IL-SUTH, אל, AL, *ad* סער SOD, SUTH, *salutem*, *felicitatem*, *prosperitatem*, fortunam bonam, αγαθην τυχην.

5. FELTHURI THURA, vel DURA; דור DUR *Domus*, *habitationis*, sedis, *generationis*, *familiae*, *Velthurii.*

6. TURCE תרך TRK *dedicavit*, *consecravit.*

Nam quaequae origo sit capitis Gorgonei et Medusaei, quaequae intima et arcana compositio elementorum, certissimum est habitum hoc *Caput*, ut potentissimum et maximum *amuletum*, et subsidium *apotropaeum* et *averruncum*, quod potuisset haberi, adeout et Imperatores et Duces et Reges hoc *Caput* pectori adsculptum gererent; imo Dii maximi Hellenum et Italorum *Iupiter* et *Minerva* hoc Capite ornati deprehenduntur, et quidem ad tutelam et praesidium. Quamobrem mihi est persuasum hunc *Aulum Felthurium* Artificem Etruscum sollertem et ingeniosum, et summa probabilitate Sacerdotem, Clypeum hunc manu et labore suo confecisse, ut esset *amuletum* et *apotropaeum Domui* suae, *Familiae* suae, et *Filiis* suis.

XIV. TINSCUIL, vel TINSCBIL insculptum *Grypho* aereo Cortonensi magno, eleganti, et habitu gementis gravissime, et ex vehementissimo dolore clamantis. Ediderunt Bonarota *ad Dempster.* II. p. 5. Praef. Maffeius *Osserv. Letter.* VI. p. 89. Gorius in *Mus. Etr.* I. tab. 155. Passerius *Paralip.* pag. 58. 59. Lanzius *Saggio* II. pag. 521. Alii in Mus. Corton. tab. XXI. pag. 26.

Idem autem hoc vocabulum etiam adsculptum *Chimerae Lyciae* aereae Aretinae, et etiam habitu gementis et clamantis dolentissime: quam ediderunt Bonarota tab. 22. Gorius I. tab. 155. 2. Lanzius II. *Saggio* p. 543. 544.

Atqui TINS-CBIL; TINS-CUIL fit a TINS, et nasali ablata TIS, TIZ, TIZZ, תזז TZZ, *Daemon Spiritus-malus*, *noxius*, adversarius, Satan: CUIL, קול, QUL *clamans*, *vociferans*, vel CBIL, חבל CBL, *gemens*, *dolens*, *turbatus*, *perplexus.* Et nos omnino

tenemus *Hierographos Cabiristas* his Hieroemblematibus nequissimum *Satanam* hostem acerrimum Generis humani expressisse, sed victum, debellatum, contritum, per Deum bonum, beneficum, misericordem, Philanthropum.

XV. SCALUSTLA.

Haec vox insculpta aereo Monstro peculiaris formae, evidenter composito ex pluribus, Cani quidem non absimili, sed minime vere et proprie *Cani*, ut falso putaverunt Passerius in Paralip. pag. 60. 61. Lanzius *Saggio* II. p. 522. Ediderunt Bonarota *ad Dempsterum* tab. XXIII. Passerius *Paralip.* cit. loc. Maffeius *Osservaz. Letter.* VI. p. 9, et Lanzius loc. cit. Maffeius semper in iudiciis proferendis parcissimus Monstrum non definivit, edidit M. CALUMTLA, et hac voce Artificis nomen significari putavit. Passerius in *Roncall.* in Monstro *Mustelam* exhiberi putavit, in *Paralipomenis* vero *Canem* certo exprimi est ratus, et de donario Laribus facto non dubitavit; et in M. CALUMTLA etiam nomen Artificis agnovit. Lanzius autem *Canem* quidem in Monstro vidit, at legit S. CALUSTLA, nempe *Sexta Calustia.*

Nos contra arbitramur hoc signo Etrusco aereo *Hieroemblema Chimaerae* originale proprium et idioethnicum Etruscorum exhiberi. Nam corpus Monstri evidenter *Leonino* et *Canino* simile est, caput, et cornua, et pili *Caprae*. Et hoc ipsum expressum est vocabulo SCALUSTLA, cryptice scripto composito et diviso SCALUSTLA.

Nam SCAL est שחל SCAL, *Skal*, *Sciakalis*, *Leo*, *Canis Lupinus*, *et Serpens*: US est עז, OZ, Pelasgice UZ, US *Capra*, cuius *capiti* caput Monstri simile, et *cauda* serpentina, *cauda Serpentis* שחל SCAL. TLA est habitus Monstri *pendentis*, et *erecti*, et quasi *salientis*, ut *Capra*: Adeoque nobis erit haec *Chimaera Etrusca*, ut alia est *Chimaera Lycia*, proprio et Etrusco nomine *Scalustla*.

XVI. AULESI METELIS FE. FESIAL CLENSI CEN PHLERES TECE SANSL TENINE TUTHINES PHISFLICS.

Haec inscripta Statuae aereae iustae magnitudinis illustris viri Etrusci habitu adloquentis et perorantis; ediderunt plurimi: Montfaucon in *Ant. Expliq.* III. tab. 39. Bonarota *ad Dempster.* I. tab. 40. Passerius *Paralip.* pag. 74. 75. Lanzius *Sagg.* II. pag. 547. 552. Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* pag. 35. 39. etc. Passerius prave legit, et in TECE *Techam*, et Thesaurum vidit. Lanzius p. 551. inter virtutes Interpretis et Grammatici voluit accenseri: *fateri se multa*, ut haec, *nescire*. Vermigliolius tamen dedit: *Simulacrum Aulesii Metelli Clenii Velii filii ex Vesia nati* p. 39. et hoc satis. Nobis est: *Aulesio Metello Beli filio, ex Fesia nato, Oratori firmo Hieroagalma Fiduciae Pacificationis et Reconciliationis Duumviri Iuri dicundo Tribus Pilae* posuerunt. Nam:

1. AULESI, est *Aulesio*, vel potius *Aulo*, addito ES, vel SI ad significandam relationem *ad Aulum*, Latine *Aulo*.

2. METELIS, METELI-IS, ex Gente *Metela*, vel *Metella*.

3. FE, VE, BE: Sigla Praenominis Paterni, FELII, BELI, בל, BL, BEL, notissimi et receptissimi.

4. FESIAL, AL-FESI, אל AL *spectans*, *ad Fesiam* Gentem maternam.

5. CLENSI, a קלס QLS, KLS inserta nasali KLNS, CLNS, CLENSI, *Oratori*, *adloquutori*: vel a קלא QLA *clamare*, *orare*, *perorare*: a קול QUL, KUL *voce*, *sono*, *sermone*, et נסס NSS, NS, NSI *elevare*, *extollere*, vel נסה NSE *experiri probare explorare*.

6. CEN, כון KUN, *apto*, *idoneo*, *firmo*, *recto*, veraci, probo.

7. PHLERES: *Agalma*, *simulacrum*, statuam certo artificio, et certis symbolis exornatam.

8. TECE, תקה TQE, TKE *fiduciae, spei, expectationis.*

9. SANSL: vox composita a SAN, שאנ, SAN et SL, שלה SLE; שאנ SAN, שינ SIN est *tranquillavit, pacavit, reconciliavit*, et adeo *reconciliatio, pacatio, tranquillatio:* SL שלה est *quievit tranquillus* fuit, *pacificus:* et *pacificatio* iterum, et *tranquillitas* obtenta.

10. TENINE, תנינ TNIN, *duo, ambo.*

11. TUTHINES, NES-TUTHI, NES נאס NAS, אנש ANS, *viri homines*, דעת DOT, דות DUT, דאת, DAT *Iuris, Legum, Doctrinae*, Normae: Nempe ipsi *Duumviri Iuri-dicundo.*

12. PHISFLICS, nempe PHIS-FLI-CS, PHIS autem est פס PHS, *Pars, Tribus*; FLI, summa probabilitate oppidum PILA, ubi inventam statuam plures et vere, mea sententia, sunt arbitrati, ut videre est apud Vermigliolium in *Iscriz. Perugine* pag. 56. 57. etsi ipso non probante: CS חח CUZ, CUS, CS. *Regio, terrae tractus, termini.* Scilicet Cives *Pilae*, quum discordiis Civilibus gravissime angerentur, et in hoc *Metello* praestantem virum nacti fuissent, qui oratione, et monitis in concordiam, amicitiam, et pacem mutuam eos adduxisset, *Statuam* aeream ei posuerunt, non tantum, ut gratiam aliquam maximo beneficio referrent, non tantum ut nomen eius merito immortalitati traderent: Sed maxime, ut in eius Simulacro et Statua haberent PHLERES *Palladium, Hieroagalma Apotropaeum*, et averruncum in civiles discordias, et quod semel factam pacem et concordiam initam sua virtute faceret et servaret aeternam.

CAPUT II.

Tentantur praecipuae Inscriptiones Etruscae Speculis funebribus adpositae.

1. PELE, THETIS, PARSURA.

Haec insculpta *Speculo Etrusco* aereo, quo vir

nudus mulierem humero impositam rapit, alia muliere proxima pavente et fugiente. Ediderunt Bonarota *ad Dempster.* I. tab. 91. Lanzius *Saggio* II. tab. 12. pag. 218. R. Rochette *Monum. Inedit.* I. tab. III. pag. 4. 5. Omnes rectissime tenuerunt *Speculo* hoc exhiberi *raptum Thetidis* a *Peleo* peractum. Sed quid PARSURA? Lanzius loc. cit. putabat referri ad ipsam *Thetidem raptam*, et esse quasi nescio quod παρασυρα. Rochettius iure reiecit hoc etymon p. 4. Sed ipsemet minime felicior ex *Pharsalia* vocem Etruscam depravans. Atqui nec Etruscus Hierographus potuit *Pharsaliam* in *Parsuram* corrumpere, nec *Pharsaliae* personificatio, sedis certae et quietae *Pelei*, exhiberi potuit per mulierem paventem et fugientem. At PARSURA est omnino *socia*, et *comes*, sive soror sive amica Thetidis rapiendae; nempe est פרס רעה, PRS-ROE, *Socia raptae* vel rapiendae, vel est potius פרס־ירא PRS-IRA *Rapi timens*, quae *timet rapi*, qui habitus mulieris est.

2. NACHAS PHELIUTHE.

Haec inscripta *Speculo* funebri, quod ediderunt Schiassius de *Pateris* tab. I. pag. 23. Inghiramius *Monum. Etrusc.* Serie II. tab. 39. pag. 408. 416. *Galler. Homeric.* I. tav. 50. pag. 107. 108. R. Rochette *Monum. inedit.* pag. 290. 291. Et quo exhiberi *Philoctetem* Heroem Troicum valde illustrem, et de quo egerunt Sophocles, et eius Scholiastes, Hyginus, Ovidius, Servius, aliique plures, et quidem ex pessimi serpentis morsu aegrum, certum est, et mederi aegro *Machaonem* aeque certum. Plures olim non PHELIUTHE, sed THENAPHE falso legebant, et pro NACHAS, quod dedimus, NACHAM, quae vocabula non sunt tribuenda Hierographis Etruscis, quasi hi Graecas voces foede et imperite depravarent; sed Hierographis, qui solerter et ingeniose per *Homiophonias* non absurdas vellent *Parodias* aenigmaticas Mythorum Graecorum condere, quod nos plu-

ribus in *Disquisition. de natur. Hierogr. Etruscae* explicamus. Ita ex ambigua forma Etrusci S, quod saepe ut M scribitur, habetur vox NACHAS, quae inverse lecta, et per ambiguum elementum s sive M fit MACHAN, et conditur Cryptice sententia plena, quae est huiusmodi: MACHAN, vel *Machaon* Graecorum illustris medicus ipsius Aesculapii filius Mythicus, PHELIUTHE ipsum פלט PHLTH Noachicum purum *liberat*, *salvat*, *servat:* iterum PHELIUTHE, *Philoctetem* per argutam homophoniam: a NACHAS, a נחש NCHS, NACHAS a *serpentis* veneno, a quo infectus pes et totum corpus horribili cruciatu Heroem afficiebant: Hae subtilitates *Parodiacae* videbuntur nonnullis leves et tenues, nec nos pertinaciter quasi sublimes et miras vendere et proponere vellemus: At qui in veteribus Sapientibus, et Collegiis Sacerdotalibus hanc eruditionem non ponit, numquam eorum monumenta et opera recte capiet et explicabit: ut etiam ostendimus in *Disquisitionibus* nostris de *Hierographia* et *Pantheo Etruscorum*.

III. SETHLANS PERSE ETUVE HLINS.

Haec adscripta *Speculo* funebri, quod ediderunt Montfauconus in *Ant. Expliq.* II. 1. tab. 61. pag. 144. 145. Lanzius *Saggio* II. tab. XII. 3. pag. 223. 224. Millinus in *Galler. Mythol.* tab. CXXXVII. bis, num. 604. R. Rochette *Monum. Inedit.* I. pag. 82. et 300. Micalius *Monum. Ital.* tab. 48. etc. etc. et quo exhibetur *Equus* Troianus iam absolutus et paratus, qui rotis et fune trahatur in Urbem: Adolescens ad caput Equi insculptus est palliolo semitectus, ad medium Equum vir pileatus, qui malleo erecto, quasi caput Equi percussurus est effictus. Lanzius legebat AECSE pro PERSE, et de more putabat esse vocem hanc corruptionem Latini EQUI. Rochette et Micalius ediderunt PECSE, quia, ut ego arbitror, R Etruscorum inverse et imperfecte exculptum, quasi Q, cui lineola aetate detrita verae et

genuinae lectionis PERSE symbolum et signum habendum est. Lanzius porro in Adolescente palliato *Vulcanum* et SETHLANS agnoscebat, in Viro pileato et malleofero Graecum *Epeum*, quem corrupte ETUVE scriptum tenebat, quae ipsa probavit et tenuit Micalius III. pag. 82., praeter unum PECSE, quo etiam *Equum* indicari putavit. At Rochette suum PECSE habebat ut ipsum Graecum επηξε *compegit*, a πηγνυμι *compingere*: haud sentiens inexplicatum et inexplicabile eiecisse ETUVE, frustra calumniatis Hierographis Etruscis. Nos contra tenemus vocabula haec Etrusca non singulis Personis separatim et singillatim absque nexu adposita; sed esse invicem logice coniuncta, et unum sensum constituere: Scilicet *Vulcanus Equum fabricavit Hellenibus.* Nam:

1. SETHLANS Etruscum esse *Vulcanum* Hellenicum vel Latinum plures iam animadverterunt et nos adiectis debitis distinctionibus etiam in *Pantheo* adnotamus.

2. PERSE ipsum פרס PRS *Equum*, *Caballum*.

3. ETUVE, non EPUVE, ipsum אטבע ATHEO ETHUVO *finxit*, *effinxit*, *efformavit*, est fabricatus.

4. HLINS, HELINIS, *Hellenibus.* Obiicies in Graecorum Mythis esse, quod non *Vulcanus* Deus, sed quod *Epeus Heros Equum* Troianum durateum confecerit. Ita quidem: Sed qui profunde versati sunt in Hierographicis monumentis Etruscorum iamdiu viderunt semper eos per *Parodias*, et per secretiores et profundiores traditiones Mythos, et Graecas religiones attingere et tractare.

Adeoque, quum Etrusci Troianum Equum non ut bellicam fraudem ad capiendam Phrygiae Urbem, sed ut profundissimum Hieroemblema spectans ad arcanum et Theologicum Dogma et mire implexum eversionis Troiae, in qua sint omnes Dii occupati, habuissent, non mero et obscuro homini tantum opus, sed Deo Demiurgo et Conditori tribuere et adsignare aequissimum indicarunt.

IV. UTHUXE HINTHIAL TERASIAS, TURMS AITAS.

Haec inscripta sunt *Speculo* Etrusco funebri: cuius ectypon est editum in *Monum. ined. Instit. Archeol.* tom. II. tav. 29: descriptio vero ed ita fuit in *Bullet. Archeol. Rom.* 1855. pag. 122. 123. et 1856. pag. 81 ad 89; quin docto et ingenioso commentario illustratum fuit a P. Secchio Iesuita. Rectissime Interpretes indicarunt in hoc Hierodramate agi de *Necyomantia Ulyxis*, et non esse illam ipsam, de qua potissimum Homerus egit libr. XI. Odysseae, opportune monuit Secchius. Nos de una Inscriptione solliciti eam sic vertimus: *Ulyxes ad apparitionem Tiresiae: Mercurius Hominem ducit.* Nam:

1. UTHUXE, UDUXE, ODYSSEV per populos Ophonicos, Italis saepius *Ulyxes, Ulysses*, ut est notum.

2. HINTHIAL, HINDIAL, AL-HINDI, et excluso nasali N Arabum, HIDI: AL *ad* HIDI חדה HIDE, et ideo HZE, חזה HZE, HDE, HIDE, HINTHE, *videre*, *contemplari*, ad *visionem contemplationem*, ad *apparitionem*, ad vaticinium, ad prophetiam.

Quin ex Polydynami vocum Semiticarum, et maiori etiam vocum Etruscarum, ob Alphabetum Ionicum, et pronuntiationem Iapeticam, hoc HINTHIAL potest etiam deduci a חטא HITHA, et nasali inserta HINTHA, quum sit etiam חנטא HINTHA, nempe *ad piaculum*, ad ceremoniam *expiatoriam*, ad *ritum sacrum*; quod minime incongruum arbitror, quum *ritus* ab Ulyxe adhibitus ad evocandam Tiresiae animam sit omnino sacer et religiosus.

3. TERASIAS, ore Hellenico vel Latino *Tiresias*, *Tiresiae.*

4. TURMS Etruscis, *Hermes* et *Mercurius* Graecis et Romanis. De eo agimus in *Pantheo Etrusco.*

5. AITAS, AIT-AS, AS-AIT, AS איש AIS *Hominem*, *Virum*, *Umbram* Tiresiae: AIT, את AT, *ducit*, *adducit*, quod Mercurii munus et officium, et quod evidenter facit in Speculo.

V. SABASBECH NASKABECH, SNA RTHA.

Haec inscripta *Speculo* funebri, quod unus adhuc, quem sciam, Micalius edidit *Monum. Ital.* tav. XV. et quo exhibetur *Cycnus* adolescens Martis filius ab Hercule prostratus, et transfossus: De quo *Cycno* Martis plura collecta invenies in *Bullet. Arch. Rom.* 1835. pag. 165. 166. etc. 1837. pag. 89. 94. et 1839. pag. 6 ad 12. Cur autem in *Speculo* funebri Martis filius *Cycnus* selectus fuerit, factum mihi probabile est, quod *Speculum* spectaverit ad Adolescentem aliquem militem, iam Ducem, iam bello clarum; at florente adhuc et iuvenili aetate vita functum: Et propterea Lemma propositum vertimus: *Iuvenis gaudeat, Dux laetetur; aetas celerrime fugit.* Nam:

1. SABAS, est AS-SAB, AS איש AIS, Homo Persona: שיב SIB, SAIB *Iuvenis*, adolescens.

2. BECH, BEG, בהג BEG, Etrusce, BECH, *Gaudeat*, *laetetur*, *exsultet*.

3. NASKABECH, NASKA-BECH ipsum נסך NSK, Princeps, Dux, *vir primarius*, BECH, בהג BEG, *laetetur*, *gaudeat*.

4. SNA, סן SN, סנא SNA, *aetas*, *vivendi tempus*, *vita*.

5. RTHA רהט RETH, רטט RTHTH, *currit* rapidissime, volvitur ut *rota*, *transiit*, *rotavit* ocissime.

CAPUT III.

Tentantur Inscriptiones Etruscae Vasis adpositae.

1. AULUP.

Haec vox adscripta operculo *Vasis* aenei olim Borgiani nunc Borbonici. Edidit Lanzius *Saggio* II. pag. 492. et Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* I pag. 75. Ille in AULUP *Aulam* tantum videns, hic *Aulum Lupum*. Mihi contra AULUP Etruscum est ipsum Noachicum עלף OLP, AULUP, ipsum Latinorum et Italorum OPPILA, *claude*, *occlude*, *obtura*: quae

Inscriptio si videri possit ridicula cuicumque *vasi* adposita, at *Vasi Aromatario* et *Balsamario* imposita est prorsus opportuna et congrua. Nam quum haec *Vascula* tractantur, inclamare saepissime cogimur: OPPILA, AULUP: quia Domestici *obturare* statim negligentes evaporare et evanescere aromata et balsamicos odores fatue patiuntur.

II. ATRANESI.

Hoc adscriptum *Vasi* figulino, quod simile est naviculae, habetque manubrium, quasi corbis et panarii nostri; vel potius *foramen*, per quod gestetur et portetur: Ob quam formam characteristicam ita appellatum arbitramur. Nam *Vas* hoc est *Vas* per *foramen gestandum;* et ATRA-NESI fit a נשא NSA *attollere*, *elevare*, *gestare:* et ATRA est ipsum חרע TRO, ipsum Gallorum *Trou*, *foramen rima*, *scissura*: Ideoque ATRANESI, ut dicebamus, est *Vas* per *foramen gestandum*. Vas et Inscriptio edita in *Mus. Clusin.* tom. I. tab. 52. pag. 51. et *Monum. Italic.* Micalii tab. 101. n. 14.

III. MENULI RITE.

Haec adscripta *Lanci* figulinae, quam edidit Micalius in *Monum. Italic.* Tav. 101. num. 10. Pronum est vertere: *Menulus rotavit.* Nam רט, RTH, רהט, RET, רצ, RTZ active possunt opportunissime significare actionem *Rotae figulinae* super cretam: et egomet non dubito, quin Latinorum *rota* et *rotare*, et adeo RITE Etruscum fiant ex his Radicibus sive Noachicis, sive Semiticis, maxime quia haec vox RITE non semel, sed saepius occurrit, et quantum indicare potui, eadem et ipsa sententia. Quia vero Etrusci anhistorici fuerunt, et saepius nomina auctorum neglexerunt, et est ignotum nomen MENULI, ideo satius interpungerem, et legerem MEN-ULI-RITE: scilicet מאן MAN *Vas hoc istud*: ULI, עול, OUL, *puer*, *adolescens*, *adolescentulus*: RITE *rotavit:* quia visum memoria dignum adscriptum,

et adnotatum *Vasi*. Nec obstat quod עול dicatur *infantibus*: nam Latinis *Pueri* etiam ultra pub tatem dicti.

IV. MI REPESU NASA FILES.

Haec Cantharo Clusino ex creta nigra, et ut r tenemus cruda, stilo ferreo exarata. Edidit Micali in *Monum. Italic.* Tab. 27. et 101. et Vermiglioli in *Iscriz. Perug.* I. Pag. 284. qui prave legit REPESUNAS AFIL, et vertit: *Sum Repesunae Av natae*. Atqui nos contra vertimus: *Hanc creta mulier exaequavit: Hoc Vas mulier rotavit.* Na

1. MI *hoc*, *istud*, ut dictum saepius, est.

2. REPESU ipsum Noachicum רפש, RPS, *Repes lutum*, *coenum*, *creta*, *argilla*.

3. NASA נאס, NAS, נשה, NSE *mulier*, *foemi humana*.

4. FILES, ipsum פלס, PHLES, PHLS, PHILES, *a quavit*, *regulavit*, *direxit*, פלש, PHLES, *volvi convolvit*, *rotavit*, *rota volvit*.

V. CAPES SLI.

Haec stilo ferreo exarata fundo Paterae apud M calium in *Monum. Ital.* Tab. XXVII. n. 9. Cl. 16. Putamusque ethicum effatum contineri: scil cet *quaere*, *ama*, *quietem*, tranquillitatem. Na חפש CPS CAPES est *quaere*, *investiga*; שלי SLI שלה SLE, *quietem*, *pacem*, *tranquillitatem*, v חפצ CPTZ, CPS, *ama*, *complectere*, *delecta quiete*, *pace*, *etc.*

VI. SUTHINA.

Haec vox plane frequenter est adscripta *Vasis* ceteraeque supellectili Etruscae. Legitur in Hydr aenea fracta, quae in hoc Regio Museo adservatur et indicatur a Finatio in *Mus. Borb.* III. I. p. 10 n. 82. 2. Legitur in fragmento alterius *Vasis*, quc pariter adservatur in hoc Regio Museo, et pariter in dicatur a Finatio Pag. 198. n. 262. 3. Legitur i Candelabro aeneo eiusdem Musei: Finati Pag. 13. n

4. Legitur in Telamone, sive manubrio supellectilis ignotae: Finati Pag. 107. n. 91. quodque edidit etiam Lanzius *Saggio* II. Tab. XIV. I. p. 494. 495. 5. Legitur in alio Telamone muliebri, quem edidit Micalius in *Monum. Italic.* Tab. XXXV. 9. quin legitur in 5. vel 6. *Speculis* funebribus, ut videre est apud Inghiramium in *Monum. Etrusci* Serie II etc.

Dolet Finatium, Micalium, Inghiramium, legere maluisse MUTHINA, quum suus Praeceptor Lanzius iam ab anno 1789. in *Sagg.* II. 494. 495. et bene legisset, et recte vocem edidisset SUTHINA. Quoad vim autem et potestatem vocis, dubitari non potest fuisse SUTHINA vocem statam solemnem boni ominis, bonae fortunae, *αγαθης τυχης*; et si Lanzius in ECA SUTHI graviter erravit, hîc in SUTHINA nescio quam *σωτηριαν* agnoscens non aeque erravit. Nam hac voce *bonam fortunam*, *fortunam salutarem*, *σωτειραν*, quae Domum servet, et stabiliat significari est certo tenendum. Atqui Noachichis et Semiticis fuit סעד, SOD, SOTHI, SUTHI Etrusce *bona fortuna*, *felicitas*, *prosperitas*, *αγαθη τυχη*; סעד, SOD, SOTHI *firmans*, *stabiliens*, *fundans*, unde יסיד ISID Aegyptiorum; NA, נוה, NUE *domum*, *sedem*, habitationem. Unde *Vasis* et *Telamonibus* vox insculpta; vel esse potest a נאה NAE *apta congrua opportuna conveniens:* Quin si SUTHINA est SUTH-INA, habebimus INA, ENE, הנה, ENE *hîc*, *hoc loco* est, sit, habitet, et *maneat* סעד, SOD, SUTHI, *bona fortuna prosperitas*, Αγαθη Τυχη.

VII. PLICASNAS.

Haec vox adsculpta *Vasi Clusino* argenteo insignis pretii, et dramatograpto, quo solemne et statum Sacrificium expiatorium exhibetur. Ediderunt Bonarota ad *Dempster.* I. Tab. 77. Passerius in *Paralip.* p. 123. 124. Lanzius *Saggio* II. Tab. XIV. Pag. 179. 180. 500. 501. aliique. Lanzius qui recte legit PLICASNAS, et etiam recte in Dramate statum

et fortasse *Chronicum Armilustrium* agnoverat, de more in vocis explicatione sese impedivit. Nam PLICASNAS fuit illi Pag. 505. nescio quod πολυ-χανα, nempe *multum Cana*, quod ex ignoto Lexico verterat *donum:* quod nihili est in quocumque Systemate hermeneutico. Passerius prave legens PLICAMNAM a Graeco πλιγμα *saltatio* vocem Etruscam derivabat: Mihi diu visum legendum esse PLICASMAS. Nam saepe in Scriptura Etrusca M et N ex tenui tantum lineola discernuntur, quae lineola quandoque facile deraditur, abit, et aboletur: quae lectio si probatur, possumus ita interpungere et vertere vocem: PLIC-ASM-AS. Nempe PLIC, פלח, PLC *ceremonia, ritus, ministerium, liturgicum* opus, operatio religiosa: ASM ipsum אשם ASM *sacrificium* pro peccato, *expiatio, purificatio* a noxa delicto; AS איש AIS *homines*. Nempe *ceremonia purgans purificans homines*, sive cives Clusinos, qui Pompam agunt.

At ex alia parte si vera est lectio recepta PLICASNAS: et interpungimus PLIC-ASN-AS, etiam aequa et idonea sententia exsurgit. Nempe PLIC, פלח PLC *ministerium, ceremonia, ritus;* ASN, עשן, OSN *strenuorum, fortium, armatorum,* AS, איש, AIS *virorum* militum. Tum אשן, ASN est *tempus statutum Cyclicum*, est Periodus Chronica: et adeo in voce PLICASNAS esse potest sententia huiusmodi: *Ceremonia Chronica, Cyclica, Virorum fortium;* quae Armilustrium Lanzii est.

VIII. CAPE, MUKA, THESA.

Haec insculpta stilo ferreo Labro *Vasis*, quo *Harpyiae* expictae sunt, magnae nempe et ferae aves muliebri capite, quae *rapere cibos* dicebantur, eosque foedissima *tabe inficere* et conspurcare; locusque Virgilii insignis Aen. III. v. 215. 216. omnibus notus. Gerhardus in *Rapport. Volcente* Pag. 176. vocabula edidit, et *Vas* leviter descripsit, nil insuper

addens: Micalius voces edidit in *Monum. Italic.* Tab. 101. n. 17. et Tom. III. pag. 185. Atqui CAPE Etruscum est ipsum CAPE Latinorum *arripere*, *adsumere* a כאם, KAP *vola manus*, *qua capimus* et *accipimus*, a כפה KPE, CAPE *stringere*, *constringere*, comprimere: MUKA ipsum מקה MQE, MKE ipsum muco *mucore* Latinorum *tabe*, putredine, sordibus. 3. THESA טוש THUS, טאש THAS *polluere*, *foedare*, *conspurcare*, violare. Haec ipsa facere *Harpyias*, ut modo dicebamus, Veteres omnes tenuerunt.

IX. MINI MU LBENE GEBEL THURPU PLIANA.

Haec adscripta parvo et rotundo *vasculo*, quod in hoc Regio Museo Borbonico adservatur, et indicavit Finatius in *Mus. Borb.* III. I. pag. 191. Usus autem huius *Vaseuli* illi plane similis habendus est, quod tenet in manu Simulacrum Liviae uxoris et Sacerdotis Octaviani Augusti in *Museo Borbonic.* Tom. III. Pag. 57. qui usus, abstracta quacumque Lemmatis adpositi interpretatione, esse non potuit nisi ad *Thuris*, et aliorum *Aromatum* custodiam, quae *Laribus* potissimum essent adolenda, qui, ut notum est, *parvo thure*, et paucissimis aromatum granis et tenui fumo colebantur. Vid. Plauti *Aulul.* Act. II. Scen. 8. Iuvenal. *Satyr.* IX v. 137 etc. etc. Propositum autem Lemma isti usui plenissime respondens ita vertimus: *Suppeditat hoc Thus*, *Galbanum, et Foliatum: vel Vas hoc Thuris, Galbani, et Foliati.*

1. MINI esse potest ipsum מני MNI מנה MNE *tribuit*, *suppeditat*, *ministrat*, vel si vis מן MN, MINI ex de, *ex hoc Vasculo*, *de hoc Vase*, vel MINI est מאן MAN MIN, *vas*, *vasculum*.

2. MU מי, מה ME *hoc istud.*

3. LBENE ipsum לבן, LBN, LEBENE, *Thus*, *thuris* receptissimo nomine apud omnes Semitoglossos.

4. GBEL. In Vasculo est ꓘBEL: sumusque arbitrati Scriptorem scite inverso K voluisse indicare G,

quod deerat Etruscis. In GBEL *Galbanum* agnosce pronum est; nempe חלבנה CLBNE. At duo obsta videntur. *Galbanum* scilicet minime videri arom aptum ad placandos *Lares*, et legi *Kebel* non CLBN Quid si XBEL habeatur pro שבל SBL *spica*, *spic aromatica*, *spica odorata*, quae videretur satius rem, maxime si animadvertimus ש, s saepius tran ire in CIA, CE, CIO, et adeo potuisse exprimi per inversum?

5. THURPU; si scriptum esset THUPRU esset dub procul טפר THPR nempe *Unguis odoratus*, *u guis aromaticus*, ονυξ, ονυχος. At THURPU ט טרפ, THRP, *folium*, *foleum*, φυλλον, imo *Foliu* per excellentiam adpellatum, et Latinis saepe Foli tum, et a plurimis Orientalibus פילון PHILON, qu φυλλον, et saepe PLIANA, PHLIANA, quia scilic *foliis* φυλλοις potissimum Malabathri constaret: quo *Foleo* loca Scriptorum veterum insigniora co legit Canonicus Lucignano in illustratione *Inscripti nis Puteolanae*.

X. LASONA RITE CLANICIA NISO STH SRATE CLUNSIAX PANOSIL.

Haec adscripta sunt magnae Lanci, sive Disco fig lino, in cuius medio insculptum est caput Medus Gorgoneae et Glossecephorae. Ediderunt Micalius *Monum. Italic.* Tab. 102. Tom. III. pag. 189 Editores *Mus. Clusini* Tom. II. Tab. 92. pag. 22 224. Micalius versionem de more non attigit. Ed tores Clusini Musei omnia miscuerunt, haud vide tes non esse Etruscam Dialectum Inscriptionis, s *Vulcientem*, quia *Ophonica*, et adeo esse O, n TH: qua litera *th* supposita Inscriptio non potest l ullo modo, non dicam verti atque explicari. Ideo r proposito modo legimus, et vertimus: *Lancem ha rotavit Clanicius homo; averruncum effinxit Cl sinus homo Faciem tartarinam:* Nam

1. LASONA fit a LAS-ONA, LAS est LUS לוש LU

pinsuit, *miscuit*, in pastam redegit, *lutum*, *cretam*; ONA הנה ENE *hanc istam*; quin אניא ANIA *vas*, *lancem*, *patinam*, *catinum*. Possumus legere etiam LAS-SONA לוש-סן LUS-SUN *miscuit lutum cretam*.

2. RITE *rotavit rota effinxit* רטט, RTHTH, activa potestate.

3. CLANICIA-NISO: נאס NAS, *homo*, sive *mas*, sive *foemina* circa CLANIM nata: *Chiancianese*.

4. STH, SD, שד, *depulsorem*, *expellentem*, *averruncum*, apotropaeum, vel סעד SOD, gutturali eiecta Pelasgice, סד SD, STH, SUTHI, bonam fortunam αγαθην τυχην Vid. pag. 163.

5. SRATE, ITZIR, יציר, ITZIR, צור TZUR *finxit effinxit*, *efformavit*.

6. CLUNSIAX, CLUNSI-AX, eiecta nasali CLUSI-AX: AX-CLUSI, ATZ-CLUSI, יצא. ITZA, qui est *ex*, e, *de*, *egressus* e *Clusio*, *Clusinus homo*.

7. PANOSIL, ipsum *Phni-Sual* vera Dialecto Etrusca: PANO ipsum פני, PHNI, PANO nempe *faciem*, *vultum*, *adspectum*: SIL, SUAL, שאול-SUAL, imo שיל SIL ipsum *Tartarum*, *tartaricam faciem Medusae averruncae*, *et apotropaeae*, ut vidimus pag. 151.

CAPUT. IV.

Tentantur Inscriptiones Etruscae Aris et variae Supellectili insculptae.

I. IUCUPTE.

Haec vox adscripta *Arae* lapideae, qua insculptus est Vir utroque genu flexo, et capite ita curvato et demisso, ut ipsum solum fere contingat: apud Micalium *Monum. Italici* Tab. 32. et in *Museo Clusino* I. Tab. 30. pag. 28. 29. Scilicet est ipsum קפט, QPT, יקפת, IKPT, IUCUPTE, *circumvolvit sese*, *convolvit se*, profundissime sese *inclinavit*, demisit, advolvit, qui hominis status in lapide.

II. ACNES PRIUMNES.

Adscripta haec *Arae*, super qua plures Hoı *autocheiria* sese transfodiunt; Apud Micalium *Italic.* Tab. 47. Inghiramium *Mon. Etr.* Seri A. 2. Atqui hic non *Prianus*, nec *Achille* ACNES, quod plures temere et imperite male sed hoc ipsum consilium *Autocheirias*, et Sa cii, sive Victimarum humanarum verbis his ex tur. Nam ACNES est ipsum כנס, KNS, ACNES *gregatio*, *adgregatio*, *societas*, quia plures PRIUMNES fit a PRIUM-NAS: PRIUM ipsum א PRIMA, PRIUMA, *Victima*, *Sacrificium*, *La tio*, *Occisio*: NAS, נאס, NAS, אנש ANS *Hom* quod fit in Dramate adposito; cui et alia plur lia sunt in *Etrusca Hierographia*; adeo ut inte mata Theologica et Liturgica Etruscorum fuerin ACNES PRIUMNES: quibus expiationem maximan catorum obtineri certissime debuit secundum Et rum Liturgiam Populus credere.

III. L. CILNE BERA TI TUR.

Haec lapidi adscripta ad aedem sacram, et plum dubio procul spectanti; edita sunt in *Ac cad. Corton.* II. p. 73. et apud Lanzium *Sag* pag. 450. 451. Eques Guazzesius, qui Inscripti illustrandam suscepit, vertebat: *Lar Cilnius* . *nis Sacerdos*: in BERA, *Heran* Hellenum vi in *Titur Sacerdotem* inveniens. Lanzius aute BERATITUR nescio quam familiam *Veratiam* confinxit, et hac versione contentus ad alia tr. Nobis est: *Lar Cilnius Templi huius custos*. L. CILNE est *Lar Larthes* ex gente CILNIA, e magnus Moecenas: BERA est ipsum בירה BIRE daeorum, Palaestinorum, atque Oscorum nostro ut ex *Tentam.* nostro *Hermeneut.* patet, nempe *plum*, *Delubrum*, *Aedes Sacra*. 3. TI est *istud Templum*, haec Aedes. 5. TUR vel a תור qui *lustrat*, *curat*, *inspicit*, vel a שור SUR,

tur, *custodit*, *servat*, שער SOR, TOR *aedituus*, *ianitor*, *custos*, (posuit, erexit).

IV. SAFCNESSVRIS.

Haec adscripta lamellae aereae, illis prorsus simili quas ediderunt Fabrettus in *Inscript. Domest.* cap. 9. p. 669. 670. Gorins in *Inscr. Etruriae* Tom. II. pag. 264. aliique, et quas esse *lamellas Sortiarias* certum est. Lanzius *Saggio* II. pag. 490. 491. illam ex *Museo Kircheriano* protulit, et quamvis de *Sortiaria lamina* recte sentiret, quamvis in SURIS Etrusco evidenter sit SORS Latinorum; attamen nescio quos Agrorum fines et limites ab ὅρος deducens SURIS, agnoscere maluit, reliqua negligens. Contra vero Vermigliolius nec laminae Kircherianae, nec Lanzii memor in *Iscriz. Perugin.* 1832. pag. 188. illa ipsa verba ex *lamina* Viterbiensi a se lecta et desumpta protulit; non ut *Sortes* et *Sortiarios* illustraret, sed ut *Sancinios Surios*, familiam dubio procul *Solarem* ab Indorum Sole *Suria*, promeret, et detegeret. Atqui tenendum est esse Lemma statum et solemne, quod naturam Sortium, et *Lamellarum Sortiariarum* exprimeret et significaret: Nempe: *intricant et implicant homines Sortes.* Nam SAFC, SABC, est ipsum שבך, SBK, *implicant*, *involvunt*, *confundunt*, vel סבק SBQ, SBC *intricant*, *implicant*, *confundunt.* 2. NES, נאס, NAS, אנש, ANS *Homines*, *mortales.* 3. SURIS ipsum Latinorum SORS, SORIS, SORTES; SORS a שער SOR *metrum*, *mensura*, *fatum*, *res destinata.*

Sed cur haec dices insculpta *Laminae Sortium*? Respondeo cur illa ex. gr. NON SUMUS MENDACIS, QUAS DIXTI, CONSULIS STULTE, quae Lanzius ipse loc. cit. aliique protulerunt et recte explicarunt latine expressa? Quid autem verius Lemmate nostro? Et si Apollo ipse *Loxias* dicebatur, cur absurdum appellari etiam *Sortes* voce sua?

V. SANTASLETHAC.

Haec adscripta *Strigili* apud Lanzium *Saggio* II. pag. 495. et Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 73. 74. quorum primus etyma non attigit, nec versionem tentavit, alter *Strigilem* hanc mulieri *Sentiae Larthiae filiae* tribuebat, nempe in SANTAS *Sentiam* in LTHAC *Larthiam* videns. Nos contra arbitramur *vocabulum* adscriptum esse ipsum *nomen* Etruscum *Strigilis* argutissime conditum a Sacerdotibus. Nam si legimus SAN-TA-SLE-THAC habebimus SAN, סן, SON, סאן SAN ipsum, *lutum*, *pulverem*, *sordes*: TA, זה, ZE; TE, *ista*, *haec*: SL, שלל, SLL, *tollit*, *abradit*, *aufert*, *abstergit*: THAC טוח THUC *unctione*, *unguento*, oleo adhibito. Atqui hoc facit *Strigilis*.

VI. RAMU THAIVI.

Adscripta haec *Fibulae aureae* apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. p. 75. notâ: qui legere malebat RAMUTHI AIVI, et vertere *Arruntia Aevia*: Nam Optimates Etrusci nil nisi fatua et inepta Nomina personalia omnibus, universis, singulis Supellectilibus sciverunt adponere. Nos contra et hîc facimus Etruscos rationales, et hîc damus Etruscis linguam hominibus dignam, et arbitramur hìs vocibus ipsam *Fibulae* naturam et officium significari. Nam quid, obsecro, facit *Fibula*? Vestes fluentes, turpiter labentes, fluitantes, *elevat*, *adtollit*, *sublevat*, רום. ROM, RAMU, et alias disiectas *colligit*, *alligat*, *stringit*, *duplicat*, טוי THUVI, THAIVI; quamobrem qui FIBULAM appellat RAMUTHAIVI accurate et solleciter appellat.

SECTIO III.

Tentantur aliquot Tituli funebres Etruscorum secundum Voces solemnes iam superius definitas, quae in eis reperiuntur.

Caput I.

Tentantur Tituli funebres Etruscorum, in quibus inveniuntur Voces solemnes Cognationis et Adfinitatis.

I. AL, IAL.

AL, IAL *Filius*, *gnatus matris*. V. pag. 113.

1. A. LECNE BUISINAL.

Apud Lanzium *Saggio* II. pag. 361. Edit. primae 1789; qui vertit: A. *Licinius Veisinnia natus*: Scilicet est *Aulus* Patre ex Gente *Licinia*, AL עול OUL *filius* BUISINAE matris; quod certum: Nam apud eumdem Lanzium loc. cit. est Titulus Matris BUISINIAE, quem adferemus paullo post.

2. LTH. LUPUNI ARNTIAL.

Apud Vermigliolium *Iscr. Perug.* 2. Edit. 1834, pag. 299. n. 331. qui vertit: *Larthia Luponia Aruntia nata*. Non recte: Est *Lethus*; *Luponio* Patre, Matre *Aruntia*. Nam Etruscum Praenomen LTH. *Lethe*, ut Pelasgicum, Tyrsenicum, Larissaeum, adeoque Etruscum Idioethnicum servavit ipse Homerus *Iliad*. XVII. v. 280. Adeoque ita semper vertendam esse siglam LTH. dubitari non potest.

3. AU. PULPHNA PERIS AU. SEIANTIAL.

Apud Vermigliolium in *Sepolcr. Chiusin.* et Opuscul. Tom IV. pag. 10. 11. qui vertit: *Aula Fulvinia Peresia Auli filia Seiantia nata*. Non recte: Est contra *Aulus* Gente *Pulphna*, familia *Perisia*, *Auli* filius, ex *Seiantia* matre. Idque est exploratum ex aliis Titulis eiusdem Hypogaei Clusini spectantis ad Familiam *Perisiam*, inter quos *Peri*-

sios non una *Seiantia* fuit uxor, et adeo *mater*. Praenomen vero AU. *Auli* repetitum, indicat aristocratico more alium *Aulum* esse Familiae Principem et heredem Patris *Auli*, et successorem in potestate: Ili enim tantum *cient patrem* etiam *Praenomine*.

4. LTH. TREPU TUTNAL MARALIAS.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 324. n. 23. qui vertit: *Lars Trebius Titinia natus Maraliae filia*: Non recte: Est *Lethus* Gente *Trepia*, Familia *Maralia*, Matre *Tutnia*. Nam saepe *cognomina* Familiarum Paternarum Nomini materno postposita fuisse certum est. Apud eumdem Vermigliolium Op. cit. pag. 20. legimus: *L. Pomponius L. F. Arsiniae gnatus Plautus*: *Plautus* autem cognomen Gentis *Pomponiae*, ut ex aliis Titulis constat. Et apud Lanzium *Saggio* Tom I. pag. 172. n. 39. *L. Petronius Seppia natus Rebilus*. Terminatio porro in AS, ES etc. in nominibus personalibus signum est characteristicum *Cognominum* familiarum, ut iam monuimus pag. 116. 117.

AL, IAL *Filius Patris*, *spectans ad* familiam, vel Collegium paternum.

1. LARTH. BETE ARNTHAL FIPINAL.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 363. qui vertit: *Lars Vettius Ar.* f. *Vibinia natus*: Scilicet est *Larthes Gente Betia*; Familia vel potius Collegio *Arunthio*, quo, ut puto, erant divini et incantatores et formularum Magicarum murmuratores: matre FIPINIA.

2. FL. USRANA ARNTHAL PULPHNAL.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 433. qui vertit: *Velius Ranius Ar. f. Fulvianae*. Satius: *Belus Usrana* Gente; Collegio *Arunthio*; ex matre *Pulphna*; quae gens Clusii et alibi clarissima et amplissima.

3. ARNTH. MUSCLENA LARTHAL LAUTNETERI.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 432. qui vertit: *Aruntia Musclena Larthis filia Lautneteriae*. Non

recte. Nullum enim criterium adest Tituli muliebris. Si mulier, scribendum erat ARNTHI, non ARNTH., ut scriptum est. Ergo vertendum: *Arunthes Musclena*, spectans ad *Larthes Lautneterios*, sive ad ETERI חרי TRI *secundos* alteros LAUTN לעתן LOTN *Epulones*: nempe ad Collegium praestantissimum Sacerdotale, et quidem ad secundam classem: Erat enim prima, quae dicebatur *Lautnata*, vel *Lautuni*; Nempe *primorum Epulonum*.

AL, IAL *uxor*, *coniux*.

1. THANIA SEIANTI PERISAL.

Apud Vermigliolium in *Sepolcr. Chiusin.* et Tom. IV. *Opusc.* pag. 20. qui vertit; *Thannia Seiantia Peresia nata*. Non recte: Nam in Sepulcro proprio et familiari *Perisiorum* uxores quidem *Perisiorum Seiantiae* condi potuerunt: Et quoniam in eodem Hypogaeo sunt conditae *Seiantiae* matres *Perisiorum*, utique debuerunt esse *Seiantiae uxores* et coniuges Perisiorum. Ista igitur *Thania Seiantia Perisal* erit necessario על OL AL iugata, coniugata *Perisio*, erit *uxor Perisii*.

2. THANA ARTNEI LTH. SALINAL.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 435. qui vertit: *Thannia Arutia Lart. filia*, *Saliae nata*. Non recte: Est: *Thana*, NEI Domo Gente ARTIA, *uxor Lethi Salinii*: nempe AL, על OL *iugata ad Lethum Salinium*.

3. LARTHI. ARTINEI SEIANTIAL SEC.

In *Museo Clusino* I. pag. 43. n. 27. quae imperite, ut saepius, Tom. II. pag. 217. vertuntur; *Larthia maritata*, *Aruntinia nata*, *Seiantia Sec*: Est potius: *Larthia* NEI נוה NOE domo *Artia*, SEC *iugata*, *coniugata*, AL-SEIANTI ad *Seiantium*.

4. FELIA TLAPUS SAUTURINIAL.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. pag. 313. n. 378. qui rectissime vertit *Velia Tlabii uxor*, *Saturinia nati*. Nam *Velia*, *Felia*, habendum no–

men Gentis Paternae, non praenomen mulieris. Tum TLAPUS est US USA אשה ASE *uxor Tlapii*: SAUTURINIAL, UL-SAUTURINI, filii *Sauturiniae*: quin apud eumdem Vermigliolium n. 372. est LA. TLAPU SAUTURINIAL, nempe *Larthes* patre *Tlapio*, matre *Sauturinia*: et qui potest recte haberi vir illius FELIAE.

II. ALISA *filius*, *gnatus matris*. Vide pag. 115.

1. ARNT. BETE ARNTHALISA CAIAS.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 363. qui vertit. *Ar. Vettius Ar. F. Caia natus*. Non recte: Est *Aruntes* Patre *Betio*, ex familia sive potius Collegio *Caio*, quod indicavimus pag. 137. agentes de bilingui Inscriptione: ex materna familia, vel si vis Collegio *Arunthio*. Nempe יצא ITZA ITZA *egressus*, *filius*, spectans אל AL ad *Arunthios*.

2. ATH. TETINA ARNTINI TETINALISA.

Apud Lanzium II. pag. 445. qui vertit: *Attia Titia Aruntinia Titiae Nepos*. Non recte: Est *Athis* Gente *Tetinia*, familia sive Collegio *Arunthinio*: *foetus* spectans ad *Tetiniam*; scilicet ad matrem eiusdem Gentis, ac pater; sed dubio procul non eiusdem familiae. *Athis* autem praenomen Etruscum, aliud ab *Attio* Romano, cum quo non recte confundunt Interpretes.

3. ARNTH. FELCATINI FESTRINALISA.

Apud Lanzium *Saggio* II. pag. 445. num 414. qui vertit *Aruntia Volcatia Vestoriae* nata. Non recte. Nam scriptum ARNTH. non ARNTHI, ut scribendum fuerat si mulier defuncta. Est potius *Arunthes* ex Gente *Felchiorum primorum*, matre ex Gente *Festrina*. Nam arbitror illud Etruscum ATINI factum pronuntiatione populari et domestica ab אחד AHD, AT, ATI *primus*; ut ex pluribus exemplis collegi: unde ATIN est *primus*, *prior*. Mihique insuper est vehementer probabile FELCHIAM Gentem a פלח PHLC *ministrare* sacrificare fuisse factam, et adeo fuisse Sacerdotalem, inque duas classes divi-

sam, nempe *Felc-atini*, et *Felc-eteri*: etiamsi hanc me deprehendisse non recorder. Tum FESTRI-N-AL-ISA est ISA יצא ITZA filius, spectans, אל AL ad NEI Gentem FESTRI, *Festriam*, et si vis *Festriniam*.

ALISA *uxor coniux*.

1. THANA ARTNEI PERISALISA.

Apud Vermigliolium in *Sep. Chius.* pag. 12. 15. et in *Museo Chiusino* II. pag. 133. n. 76. dataque est versio; *Thanna Arruntia Peresia nata*. Atqui nomen ART-NEI factum a NEI *domo*, *Gente*, *familia* indicat certo mulierem coniugatam; mulier Gente ARTIA condita in Hypogaeo *Perisiorum* debuit esse coniugata alicui *Perisio*. Ergo PERIS-AL-ISA est ISA אשה, ASE *uxor*, *coniux* spectans אל AL *ad* PERIS ad *Perisium* aliquem.

III. ASA, AS; ESA, ES; ISA, IS; USA, US, *uxor coniux*, pag. 117.

1. THANA BELNEI LAUCINASA ATA TITIAL.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 452. n. 434. qui vertit: *Thannia Velinnia Luciniasia Actiae Titiae*. Non recte: Est *Thana* ex Gente *Belia* vel Velia: ASA-LAUCIN, *uxor Laucinii*, ex *primis Titialibus*. Nam ATA iterum factum puto ex אחד AHD, AHT *primus prior*: et *Titiales* tota fere Italia claros ut Collegium Sacerdotale vix est qui ignoret. Nonnulla autem de *Titiis*, et Atiensibus Fratribus docte de more adnotavit Mazochius in tom. III. *Opuscul.* pag. 56. 58. Ad quod Sacerdotale Collegium eo libentius animum advertemus, si meminerimus LAUCINAE nomen fuisse Nomen *Deae* Etruscae illustris, ipsius *Lucinae* Deae obstetricis Romanae, ut nos demonstravimus in *Pantheo*.

2. LARTHIA BUISINEI LECNESA.

Apud Lanzium *Sagg.* tom. II. pag. 561. n. 70. qui vertit: *Larthia Veisinnia Licinesia*: Est *Larthia* NEI-BUISI *Gente Buisia*, ESA-LECNE, *uxor Licinii*; quod certum, ut superius monuimus pag. 171.

3. THANA METHLNEI CUELNESA.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 365. n. 89. qui vertit: *Thania Metellia Cilnii*: Nempe *Thana*, NEI-METHL, *Gente Methlia*: non *Metella* Romana, ESA-CUELNE *uxor Cuelnii*. Quod certum. Nam n. 90. apud eumdem Lanzium est: AU. CUELNE METHLNAL: nempe: *Aulus Cuelnius Methliae gnatus*.

4. LARTHIA AHSI PLAUTES.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 200: n. 67. qui vertit: *Larthia Aesii Plauti uxor*: Nempe est *Larthia* Gente AHSIA; uxor PLAUTI, quod etiam certum. Nam num. 69. est eius filius: LA. PUMPU PLUTE LA. AHSIAL. nempe *Larthes Pumpia* Gente, Familia *Plautia*, *Larthis* filius, matre *Ahsia*.

5. THANA PUMPUNI PLAUTI FELTSNAS.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 200. n. 75. qui vertit: *Thannia Pomponia Plautia Veltinae filia*: non recte: est *Thana* Gente *Pomponia*, familia *Plautia*, AS-FELTSNA; *uxor*, coniux *Felstinii*.

6. LARTHIA TITNEI MUSUSA. ATH. MUSU ANANIAL.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 372. n. 120: qui vertit uno tenore: *Larthia Titia Musonia. At. Musoni Annaea nat.* At ex eodem Lanzio certum est pag. 373. priorem Inscriptionem in Urnae Operculo adpositam, alteram in ipsa Urna: quamobrem dubitari non potest, quin duorum corporum Cineres una urnâ clausa fuerint: nempe duorum coniugum. Nempe *Larthia Gente Titia*, *uxor Musi*, et *Athius Musus Ananiae filius*. Quae interpretatio firmatur alio Titulo p. 373. n. 121. Apud eumdem Lanzium: BEL. MUSU TITIAL; nempe *Belus Musus Titiae filius*: quae *Titia* ipsa illa *Tit-nea* dicenda est superius dicta; Radix enim Nominis est TIT, TITI.

7. SINUNIA LTII, CICUS PAPANIAS.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 452. n. 433. qui

vertit: *Sextia Nonia Larthis filia Caecii Papianae nati.* Falso: Est Mulier suppresso, ut saepius, Praenomine, ex NIA *Gente* SINU; CICUS, US-CIC, US, *uxor*, *coniux* CICI: quae Gens apud eumdem Lanzium nota pag. 436. n. 578 et alibi: Cuius CICI praenomen fuit *Lethus*, et Mater vero PAPANIA; unde AS-PAPANI est *uxor Papanii.*

8. LARTHIA UTHABIS ATINATIA.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* II. pag. 650. qui vertit: *Larthia Octavia Atinatia nata.* Non recte. Est *Larthia uxor Othavii;* Gente Paterna *Atinatia.* Nam *Uhtabe* vel *Uthabe*, *Gens* fuit non *Familia* Etrusca, adeoque hic *Uhtabis* est *is-Uthab*, *uxor Uthabii.* Tum si Gens paterna est necessario exprimenda, et Gens materna scribenda fuisset *Atinatial; Larthia* ATINATIA est *Larthia* Patre *Atinatio.* Animadvertamus autem ob summam potestatem viri, nomen Viri nomini Paterno praeponi.

IV. SEC, SECH, *uxor*, *coniux* pag. 118.

1. THN. RAPHI UHTABES CASPRIAL SEC.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* Tom. I. pag. 267. n. 228: qui vertit: *Thannia Rapia Octavii uxor*, *Casperiae filia*, *Sexti filiae.* Non recte: Est *Thana*, Patre *Raphio*, Viro ex *Octavio* patre, et *Casperia* matre. Nam UHTABES est ES אשה ASE *uxor* UHTABE, *Octavii:* CASPRIAL SEC est SEC, זוג ZUG, SEC *iugata* coningata AL-CASPRI ad *Casperiam* Gentem maternam eiusdem Viri: Quod certo tenendum: Nam ex alia Inscriptione hic pag. 191. relata, et ab ipso Vermigliolio pag. 72. n. 13. constat fuisse coniuges: *Larthem Octavium Felchium;* et *Larthiam Fipiam Caspriam:* Atqui horum filius fuit Larthes *Octavius Casprial*, is nempe ipse vir *Thanae Raphiae*, de qua agitur in proposita Inscriptione.

2. FIPIA SAMERUNI SERTURUS TITEAL SEC.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 295. n. 511. qui vertit: *Vibia Camarina Sertorii uxor*,

Titia nata, Sexti filia. Non recte: Est Mulier p nomine suppresso, Gente FIPIA paterna clara, u aliis pluribus Titulis constat; Materna *Samero* US-SERTUR, *uxor Sertorii*, viri nempe ex G Paterna *Sertoria:* et SEC TITEAL iugata viro ex tre Gentis *Titiae.*

3. PHA. LEUNEI AU. FELTHINEAL SEC.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. n. 279. qui vertit: *Fausta Livineia Auli fi Velthiniae nata, Sexti filiae.* Non recte. Est *Pha Gente* NEI, LEVI: SEC *Iugata,* AL *ad* AU. *Au Felthinium.*

4. PHASTI. TETNEI LS SEC CICUSA.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. p. 288 nota: qui vertit: *Fausta Tetinia Larthis fil Sexti nepos, Cicusia nata.* Falso. Est *Fastia* G *Tetia*, *coniugata* SEC viro, cuius mater ex ge *Larthum*, cuius Pater ex Gente CICIA. Nam CIC est USA, אשה ASE *uxor* CICI, quae Gens nota vidimus pag. 177.

Caput II.

Tentantur Tituli funebres Etruscorum, in qu leguntur Voces solemnium et piarum Inclai tionum.

I. ABIL AFIL, Bone, χρηςε, χαιρε. pag. 119.

1. L. IZENI RAMTHAL LUPU ABIL XXIII.

Apud Bonarotam *Add. ad Dempster.* pag. Passerium in *Roncagl. Caloger.* XXIII. pag. Lanzium *Saggio* II. pag. 461. n. 463: qui ve ....*Aruntiae Filii Cinerarium* an. 23. Non recte. *Larthes Izena* Gente, Matre *Ramtha*, LUPU, *Lupe*, Gaudium sit, ABIL, באל, *bonus*, χρηςος fa anno 23.

2. ARNTH. ANIS LUPU AFIL. XVII. Literis omnibus certis.

Apud Lanzium Sagg. II. pag. 462. n. 464. qui vertit: *Arruntiae Thanniae filiae Cinerarium an.* 17. Falso: est *Arunthes Anius*, *Gaudeat*, χρηςος, Lar, anno 17.

3. THA. LEIBAINA CRACE ABIL XXXIIII.

Apud Lanzium *Sag.* II. pag. 458. n. 465, qui vertit: *Thana Liviae Marci Gracchi* vixit annos 34. Non recte: est *Thana* Gente Paterna *Leibiana*, Materna *Cracia:* χρηςη, bona, Lar, anno XXXIIII. CRACE autem fecimus Nomen Maternum Mulieris, non cognomen familiae Paternae: quia certum ex pluribus Titulis relatis ab eodem Lanzio pag. 349. fuisse illustrem *Gentem* CRACE: Nullum porro argumentum, quod Mulier haec fuisset uxorata.

4. PEPNA RUIPHE ARTHAL AFILS XVIII.

Apud Lanzium *Saggio* pag. 346. n. 16. qui vertit: *Perpenna Rufius Arunthis filius* an. 18. Non recte: Est adolescens Etruscus praenomine suppresso ex Gente *Pepia*, sive *Pepnius*, ex familia *Ruiphia*, matre *Arthia: felix*, *Lar*, *bonus* anno 18.

II. CLAN *suaviter*, *beate*, καλως. pag. 121.

1. AULA SEIANTI SINU LARTHAL BISCUSA CLAN.

Apud Lanzium *Sagg.* pag. 448. n. 423. qui vertit: *A. Seiantinus Larthis filius Visconiae.* Falso; Etsi hîc Lanzius damnari non possit, quod marem non foeminam ostenderit: Nam dedit in Ectypo AULE, non AULA: at voces postremae LARTHAL BISCUSA plane foeminam non marem evincunt: Adeoque vertimus: *Aula Seiantia*, scilicet Gente Paterna, Materna *Sinia:* coniugata AL-LARTH BISCU, ad *Larthem Biscum:* quae Gens clara; CLAN, *Gaudeat*, ei omnia grata.

2. AT. SEMTINI ALLES THEIFERIAL CLAN.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. p. 313. n. 380. qui vertit: *Arria Sentinia Auli uxor: et Theia ex Veria nata:* Falso putans duas Mulieres unâ fuisse sepultas. Atqui est *Atius Semtia Gente,*

familia *Allia*, matre *Theipheria* : *Gaudeat*, *felix* sit.

III. PUIA, *Gaudium*, *laetitia*. pag. 124.

1. THANA UKALNEI LARISAL BETES PUIA.

Apud Lanzium *Sagg*. II. pag. 364. n. 84. qui vertit: *Tanaquil Allia Laris fil. Vettiae* nepos. Falso: Est *Thana Gente* UKALE : Viro AL-LARIS *spectante* ad *Larthes*, ad Gentes Larthum : ES-BET, *uxor Betii*. Gaudeat, בריא BUIA PUIA *Gaudium*, *laetitia* ei sit.

2. FEILIA CAIA PUIA, LARTHIAL PUMPUS SATNASA.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug*. I. pag. 140. qui vertit : *Velia Caia filia Larthiae*, *uxor Pomponii Satia nati*. Non recte : est Matrona Etrusca ex Gente FEILIA, et Familia CAIA : *Gaudeat*, *laetetur* in Elysio cum Viro suo, qui spectabat AL-LARTHI, *ad Larthes* : Cuius *Viri* pater *Pumpius*, mater *Satnia* : unde eodem tempore ipsa *Pumpusa*, et *Satnasa* facta.

3. THANA SETUMI PUIA, LARISAL PUMPUS NUPHRXNASA.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug*. I. pag. 310. 311. n. 368. Qui vertit : *Thannia Septimia filia Larisiae*, *uxor Pompii*, *Nufronia nati*. Non recte: Est *Thana Gente Setumia*, *Gaudeat* cum Viro, qui spectabat ad *Larthes Pumpios*, et *Nuphrxinios*; ipsa nempe *us-Pumpu*, *uxor Pumpii*, ex Paterna Gente, et *asa-Nuphrxn*, *coniux Nuphrxini* ex Materna.

4. PUIA ARUSANA LISINUSIAS.

Apud Vermigliolium *Iscr. Perug*. I. pag. 154. qui vertit : *Filia Arusania Licinesiae*. Non recte : Est *Gaudeat* Matrona Etrusca ex *Gente Arusia*, *Uxor Lisinusii*.

5. THANA PETRUNI LAFEANES PUIA.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug*. I. pag. 311. n. 373. qui vertit : *Thannia Petronia filia Lavi-*

niae. Non recte : Est *Thana* Patre *Petronio,* Viro *Lafeanio , Gaudeat.*

IV. RIL *abiit, obiit, factus est Lar.* pag. 124.

I. THANA CAINEI RIL LEINE LV.

Apud Lanzium *Saggio* II. pag. 458. n. 456. qui vertit : *Thannia Caia vixit annos LV.* S. T. T. L. Est potius; *Thana* Gente *Caia, abiit leniter anno suo LV.*

2. CEICNA SETHRES LAFCINAL RIL LXX.

Apud Lanzium *Saggio* II. pag. 349. n. 28. qui vertit: *Caecina Ser. F. Luciniae nata.* Non recte: Est Larthes ex Gente clarissima *Caecina*, ex Familia *Sethria*, utque ego arbitror ex Collegio Sacerdotali, Matre *Laucina:* anno aetatis 70 factus est LAR; RIL *abiit*, obiit. Pag. 124.

3. LARTHI. CRACNEI LARISAL RIL. LXXXV.

Apud Lanzium pag. 349. n. 29. qui vertit: *Larthia Graccha Laris filia* ann. 75. Est *Larthia* Gente *Cracia*, summa probabilitate iugata *Larthibus* AL-LARIS; quibus vel nomen ipsum *Laris,* vel parum notum et celebre; *abiit obiit* anno 85.

4. A. PECNI. . . .RIL LIII. LEINE.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 458. n. 467. qui vertit. *Aula Peccia vixit ann.* LIII. S. T. T. L. Atqui est certe *Aulus Pecnius*, qui *obiit*, et *abiit leniter* anno aetatis LIII.

V. THUI THUO *dives* manis *Lar.* pag. 125. 126.

1. LARIS BETE THUI.

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 363. n. 80. qui vertit; *Lar Veltius filius.* Est *Larthes Bete divus.*

2. THUI LARTH. PETRUNI LARTHALISA.

Apud Lanzium *Saggio* II. pag. 421. n. 313., et pag. 312.: qui vertit ; *Fili. Lar. Petroni. Larthia nat.* Ambigue et falso: Est *Divus Larthes Petronius ex Larthia natus.*

3. THUI ARNTH. ATINI LAUTNETERI.

Apud Lanzium *Saggio* II. pag. 456. n. 449. qui

vertit: *Filius Arunt. Atini Lautneteria nati.* Falso: Est *Divus Arunthes ex Atinia Gente, et Collegio Secundorum Epulonum*, ut monuimus alibi.

4. LARTH. BETE ARNTHALISA THUI : LARTH. BETE LINE.

Apud Lanzium *Saggio* II. pag. 364. n. 86. qui vertit: *Lars Vettius Ar. F. ex Larthia Vettilia.* Falso. Est inclamatio funebris amantissime repetita. *Larthes Bete filius Arunthiae divus; Larthes Bete leniter* et feliciter abeat vivat.

CAPUT. III.

Tentantur Tituli funebres Etruscorum, in quibus sunt Voces solemnes Loci et Stelarum.

I. ME MI, hîc, hoc loco. pag. 126.

1. MI LARUS ARIANAS ANASSES CLAN.

In magna Stela lapidea apud Bonarotam ad *Dempster*. Tom. II. pag. 96. Gorium in *Mus. Etrusc.* III. 2. Tab. 15. 3. pag. 68. 69. Lanzium *Saggio* Tom. II. pag. 394. n. 194. qui vertit: *Sum Laris Arrii Anniaxia nati.* Mihi est; *Hic Larthes est ex Gente* Paterna *Ariana,* Materna *Anassia: Gaudeat.* Nam:

1. MI. est hîc, hoc loco, ut vidimus.

2. LARUS est US-LAR, US, איש AIS *vir*, *homo*, persona; vel יש IS est, *iacet*, *conditus est*, LAR. *Larthes.*

3. ARIANAS, AS-NI-ARIA. AS *ex*, *e*, *de*, יצא ITZA *egressus*, *natus*, *ex domo* נהא NEA, NA *Aria*.

4. ANASSES, ES-ANASSE *ex Anasse* Gente Materna, ut coniicere pronum est; quia Anassia videtur nomen *Gentis* non *Familiae*; etsi apud Etruscos nomina Materna non exeant in ES.

5. CLAN vox inclamationis funebris faustae, ut vidimus supra.

II. ME XUNE MUNIUS.

In Stela lapidea apud Inghiramium in *Letter. di*

Etrusc. Erud. I. pag. 30. 31. et Micalium in *Monum. Etr.* 1832. Tab. 120. num. 7. I. B. Zannonius qui inscriptionem hanc explicandam suscepit in Inghiram. *Syllog.* modo citata putavit esse *Terminalem*, quia in Pala Stelae esset aliqua species Faciei humanae. Sed falso. Nam illa informis species est omnino rudis Cranii humani delineatio, et manifestum argumentum funebris Stelae. Vertit porro Zannonius: *Me consociavit Munius:* quae nihili sunt etiam ad suam rem terminalem. At contra XUNE nempe TSUNE est ipsum ציון TZIUN *Lapis*, *Cippus*, *Stele*, et proprie *funebris*, ut per exempla plurima constat, quae collegerunt Nicolaius de *Funere Hebraeor*, pag. 225. 230. Buxtorfius in *voce*. Dominicus Tata in *Sylloge Cippor. Iudaicor.* in Dissertat. *de monte Vulture*. Et aliquid insuper est solemnem vocem Lapidum funebrium apud Scandinavos esse STEIN, quod fit etiam a צנם TZNM *Lapide*: cuius usus exempla plurima collecta reperies in *Act. Acad. Upsal.* Tom. III. an. 1730. Quamobrem Titulum Etruscum vertimus: *Hic Cippus Munii:* Nam

1. ME, hic, iste.

2. XUNE ציון, TZIUN *Cippus lapis stela.*

3. MUNIUS, US-MUNI, יש IS *est*, spectat ad *Munium*, quod Nomen non ignotum in Epigraphia Etrusca. vid. Vermigliol. in *Iscriz. Perug.* I. pag. 146.

III. MI AULIES TITE.... CHSIE MULENIKE.

In ingenti stela lapidea, qua Miles barbatus et hastatus exsculptus est, apud Bonarotam *ad Dempst.* II. tab. 72. Passerium in *Paralip.* pag. 118. 119. Gorium in *Mus. Etr.* III. 2. pag. 77. 78. Micalium in *Monum. Ital.* tab. 14. Inghiramium in *Monum. Etrus.* Serie VI. tab. 6. etc.... Lanzius *Saggio* II. pag. 396. vertebat: *Sum Annii Titii..... Aemilia nati.* Nos autem propositam lectionem plurium Ectyporum collatione et examine firmatam ita vertimus: *Hic Aulus* Gente *Titia.....conditur*, *tranquille quiescat.* Nam

1. MI, AULIES, est MI, ES-AULI. Hic hoc loco, ES, יש IS, *est*, *iacet;* vel *Persona*, איש AIS; Aulus Praenomine, ex *Titia* Gente. Defecit *Cognomen.*

2. CHSIE, כסה KSE, vel כיסה KSE, KSIE tegitur, contegitur, *conditus est.*

3. MULE a מואל MUAL Arabum *felix fortunatus*, *bene*, *feliciter*, מילה MILE, MULE, *bona fortuna*, *bonus eventus*, *feliciter*, fortunate, bene.

4. NIKE ipsum נוח NUCH, NIC *quiescat*, *requiescat.*

IV. MI HANA ARNTH. AR. PRACM.... LAICISLA.

In magno cippo lapideo cylindrico, quo Drama Militis Iuvenis a Patre, qui eum amanter complectitur, abeuntis repraesentatur: Apud Bonarotam ad Dempst. tab. 46. Passerium in *Paral.* pag. 82. 83. Lanzium *Saggio* II. pag. 506. qui habuerunt Cippum ut *Aram* votivam, et Inscriptionem neglexerunt. Sed plane falsum fuisse *aram* votivam. Nam adfuisset Drama liturgicum, non militare et civile: ex quo Dramate, sive habendum sit vera et historica profectio ad Bellum, sive ficta et symbolica ad alterum Mundum, aperte et necessario colligitur agi de funebri monumento. Quamobrem Titulum luxatum et lectu difficilem post longas curas sic vertimus: *Hic conditur Arunthes Arunthii Pracmii filius*, *Matre Laicia.* Nam:

1. MI, hic hoc loco.

2. HANA ipsum חנה HNE, HANE; *manet*, *moratur*, *habitat*, *iacet.*

3. ARNTH. AR. PRACM....... nempe *Arunthes*, *Arunthis*, *Pracmii* filius.

4. LAICISLA, ISLA-LAIC, שיל SIL, ISL, *foetus*, *filius*, matris LAICIae.

V. NUA MI MARCHAS SENTIES CHESTES.

In Cippo Lapideo Cornetano apud Dominum Caylus *Recueil* tom. IV. tab. 56. apud Passerium *Roncag. Caloger.* XXIII. pag. 589. Lanzium *Sogg.* II. pag. 508. n. 16. *Bullet. Archeol. Rom.* 1833. p. 98.

Prima vox non satis explorata : Lectio autem quam praetulimus etiam a Lanzio data est ceteris probabilior, qui vertebat de more absurde secundum quodcumque systema Hermeneuticum : *Sum donum Marciae Sentiae Cestiae:* Nam quid, obsecro, donum Mulieri Cippus lapideus : vel quid Titulus Doni innominati? Atqui Cippus et Titulus huiusmodi non potuit spectare nisi ad aliquam Cryptam funebrem ex infinitis Etruscis : et propterea vertendus: *Hic manent reliquiae Sentiorum Chestiorum.* Nam

1. NUA est ipsum, נוה NUE, NUA, *sedes*, *locus*, mansio, habitatio.

2. MARCHAS, non est mihi Nomen Gentis, vel Praenomen, sed omnino fit a מ־רקק M-RKK, res tenues, attenuatae, fractae, minutae, *reliquiae*, *fragmina :* quae מרק MRK, MARCH, *fastidium*, nauseam moveant, ut Reliquiae defunctorum.

3. SENTIES, CHESTES: Nempe spectantes ad *Sentios* Gentem Etruscam claram, ut vidimus, cui esset Cognomen CHESTES.

VI. MI SPURIE SURNAS.

In ingenti lapide, et magnis literis insculpto, adpositoque ad Cryptam funebrem Urbevetanam apud Vermigliolium *Iscr. Perug.* I. pag. 285. 286. Verum quidem est in *Bullet. Arch. Rom.* 1833. pag. 94. longe diversam lectionem proponi : Sed quum Vermigliolius longe praestet ceteris in his studiis; nisi novis et acerioribus curis Titulus expendatur, lectioni a Vermigliolio propositae est standum, si minus probanda est eius interpretatio : nempe *sum Spurius Surniae filius.* Nam si *Spurius* est praenomen, ut Romanis, ineptum : Si *Nomen* Gentis obscurum et coecum. Nos autem in hoc ingenti et brevi Titulo, Titulum Hypogaei et Cryptae funebris agnoscimus, et adeo vertimus: *Hic Reliquiae Surniorum.* Nam 1. MI hic בי, BI, MI, פי, PI 2. SPURIE, SBURIE ipsum שבר SBR, SBUR, *fragmenta*, *fragmina*,

reliquiae. 3. SURNAS, AS-SURN, איש AIS, AS, *hominum*, *Surniorum*, Gentis Surniae.

VII. SEBARIS CAVELI.

Apud Vermigliolium *Iscr. Perug.* I. pag. 30. qui ex Schedis P. Galassii et Scutilli dedit SBEBARIS, sed probavit, ut aequum erat, SEBARIS. Vertit quidem ipse *Severii Caulii Cinerarium*: At nos vertimus: *Reliquiae Cavelii.* Nam SEBARIS est ipsum SPURIE superioris Tituli alio ore pronuntiatum, nempe fragmenta, reliquiae, שבר, SBR, *Seberi*.

VIII. MI APIR THESPU.

In Cippo quadrato Cryptae funebris. Ex *Bullett. Archeol.* 1829. pag. 9. et 1830. pag. 167. et 1833. pag 98. Et apud Micalium *Monum. Italic.* tab. 120. Oriolius, sed dubitanter, in *Bullet Arch.* ann. 1830. pag. 167. vertebat: *Sum Opiter Thespo.* Nos vertimus: *Hic Cineres Thêspii.* Nam מי, MI hîc: APIR. אפר, APR, עפר, OPR, *Cinis*, *pulvis*; THESPU, Nomen defuncti.

IX. MI ARUNTHIA KAP.

In magno lapide apud Lanzium *Saggio* II. pag. 591. n. 189. et tab. XIII. n. 2. qui non dedit MI; Sed punctulis vocem deficientem indicavit. Legit autem *Aruntiacs*, quum sit: *Hic Arunthia condita.* Nam: MI, מי, MI, hîc *Arunthia*, terminatione foeminea *Arunthia*; KAP, כפה KPE, KAP, vel חפה, CPE est *tecta*, *obtecta*, *condita*.

X. MI FENEL USP.

In Columella lapidea et funebri apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 591. n 190. qui vertit *Sum Venuli*: Est contra: *Hic Venulus conditus*: Nam MI FENEL est *Hic Venulus*, USP, vox etiam Osca, est סוף, SUP, USP, *finitus*, *consumptus*, desiit, cessavit, finis, terminus: Si USP est ab אסף ASP est *collectus*, *adunatus*, *conditus*.

XI. MI FENERUS FINU CENAS.

In Columella funebri apud Amaduzium in *Alphab.*

Etrusc. pag. 33. Lanzium *Sagg.* II. pag. 597. n. 199. qui falso vertit: *Sum Venuli Vinuciae filii.* Est contra: *Hic Fenerus defunctus conditus.* Nam:

1. MI FENERUS, Hic, hoc loco FENERUS, US, איש AIS, Vir homo ex Gente VENERIA, FENERIA, vel US est יצא, ITZA, IS *egressus ex de.*

2. FINU ipsum פני PHNI, PHINI, *defunctus, mortuus;* unde Romanum FUNUS.

3. CENAS, כנס KNS, KENAS, *collectus, congregatus;* vel potius Arabicum כנז KNZ, KNS, *conditus, reconditus.*

XII. MI KALAIRU THUIUS.

In Columella funebri apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 592. n. 91. qui vertit falso: *Sum Callairi filius.* Est: *Hic Calairus conditus.* Nam: MI *Hic;* KALAIRU, *Calairus;* THUIUS ipsum טשא THSA ore Etrusco *conditus, reconditus, depositus.*

Quin si prima litera postremi vocabuli esset Q, quod videtur, et ipsi Lanzio visum fuit, etsi haec litera ignota sit in Alphabeto et literatura Etrusca, sed quae potuit ex Alphabeto Romano adsumi, et recipi; tum legerem: MI KALAI, RUQUIUS, et verterem: *Hic Kalai Reliquiae sunt.* Nam רוק RUQ sunt *faeces, reliquiae,* quae supersunt, quae *restant;* et US, IS, יש, IS, *est, sunt.*

XIII. MI ARCES AIENAS THUIUS.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. pag. 154. qui vertit: *Sum Arcius Aenia filius.* Nos vertimus: *Hic Arcius Aienas conditus:* Quin quum per variam pronuntiationem, et Orthographiam vox ARCES possit ex radice רוק RUQ derivari, et ARCES esse *reliquiae:* hinc Titulus potest etiam verti: *Hic reliquiae Aieni conditae.*

XIV. MI SUTHI AL MUTHICUS.

Haec adscripta circulariter, et minime normali lapidi invento in agro Circumpadano, ubi plures olim Coloniae Etruscae: Apud Durante in *Piemonte*

Cispadano. pag. 130. et Lanzium *Saggio* III. pag. 649. qui adversus Ectypum a se datum legit: *mi Suthil Larthial Muthicus*: Et vertit solita absurditate: *Sum Soterion Larthiae Muticiae*. Nos contra tenemus hoc lapide monitos viatores eo in loco esse Cryptam funebrem, et Sepulcrum, ne violarent, vel impura et irreligiosa opera in eo vel ad eum ne facerent: Adeoque vertimus: *Hic Crypta funebris spectans ad Gentem Muthicam*. Nam

1. MI hic. 2. SUTHI est constantissime צוד TZUD, TSUD, SUTHI, Etrusco ore, *cavea*, *caverna*, *crypta funebris*, *Sepulcrum*. 3. AL, אל, AL, *ad*, *spectans*. 4. MUTHICUS, US-MUTHICU, איש, AIS, *homines viros* Gentem *Muthicam*: unam scilicet, ex Familiis et Gentibus Etruscis, quae prudentia et patientia sua effugere potuerat gladios infandorum Gallorum, et reliquias Etruscae civilitatis ad Padum servare.

XV. IF MAICER.

In magna Stele, sive *Tulare* semielliptico, apud Gorium et Passerium in *Mus. Etrusco* tom. III. 2. tab. 14. pag. 63. vertimus. *Hic Macer*. Nam *Tular* sive Stele funebris signum evidens Sepulcri. Et IF est ipsum פי FI hic, hoc loco, MAICER.

II. TULAR, *Stele*, *Titulus*, *Cippus* pag. 127. 128.

1. TULAR RASNAL.

Apud Bonarotam ad *Dempster*. pag. 94. 95. Lanzium *Sagg*. II. pag. 459. n. 457. qui vertit *Ollarium*, et putavit illud RASNES esse ipsos *Rasenas*, sive nomen, quod universis Etruscis tribuebat Dionysius Halic. quasi omnes *Rasenae* coniecti fuissent in hoc *Ollarium*, sive *Tular* suum. Nos contra tenemus TULAR istud Etruscum nec funebre fuisse, nec cineres alicuius indicasse, sed esse monumentum insigne sapientiae Etruscorum civilis. Eo enim putamus descriptam et definitam aliquam patriam et certam *Mensuram linearem* radicalem, et fundamentalem, ut in Europa et alibi *pes*, *palmus*: quam mensuram di-

cerent RASN. Et adeo mihi TULAR RASNAL est *Stele* Cippus Titulus ad significandam *Mensuram*, et Metrum *lineare* solemniter definitum et constitutum. Nec dubito fore post nos, qui recedentes ab absurdo more hactenus suscepto, quo universae Etruscae Inscriptiones, nulla excepta, in cumulum fatuum Nominum Personalium convertuntur, velint potius aliqua semina Etruscae civilitatis in eis quaerere: et adeo hoc monumentum, ex opinione nostra plane insigne, peculiari cura et attentione examinare. Nam putamus esse TUL-AR-AL-RASN, nempe *Cippus Stele* ad significandas *Mensuras* positum. Rabbinis enim רסן RSN est *mensura* quatuor digitorum; et alia esse potuit Etsuscis idiomatice, et in maxima Inscriptione Perusina vocem RASN non posse sumi et accipi nisi hac potestate mihi certum est.

II....TULAR HILAR....SEBR....

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 460. n. 458. qui vertit: *Ollarium Hilarii:* Est: *Stele* indicans *Hilarii Cineres*...Nam שבר, SBR, *fragmenta, reliquias* significat. Lanzius quidem edidit...SSERB: Sed sive suo, sive veteris Sculptoris errore legerem potius SEBR. Quod si illa lectio est genuina ducerem a צרב TZRB, SSERB, שרף SRPH *urere comburere*, rogus, bustum, *Cineres.*

III. TULAR SP. A. FISFU. AU. CURCLI.

Apud Bonarotam ad *Dempster.* II. pag. 95. Gorium in *Mus. Etr.* tom. III. 2. tab. 15. p. 64. Lanzium *Sagg.* II. pag. 460. n. 459. qui vertit: *Ollarium* A. F....Nobis est: *Stele* TUL, *indicans* AR. SP. SPURIE שבר SBR, *reliquias*, fragmenta A. Aul. FISFII. vel AU. FISEL. Nam interpunctio prava et lectio incerta: et AUL. CURCLI quod nomen etiam prave interpunctum. Cur autem duo Etrusci heteronymi sub eodem TULARE sepulti, mihi ignotum, fortasse factum ex amicitia intima; ex munerum societate.

IV. TULAR SPURUI. AU. PAPSINA SL. A. CURSNI SL.

Apud Gorium et Passerium in *Mus. Etr.* III. 2. tab. XV. pag. 65. 66. Lanzium *Saggio* pag. 460. qui vertit: *Ollarium... A. Papinia N....* Nos vertimus: *Stele indicans reliquias. Aulus Papsinius quiescat: Aulus Cursnius requiescat.* Nam:

1. TULAR est TUL *Stele*, *Cippus*, AR *manifestans*, *significans*.

2. SPURUI, שבר SBR, SBURU, *reliquias*, *residua*.

3. AU. PAPSINA SL. Nempe *Aulus*, *Papsina*, SL. שלה SLE, *quiescat*, *requiescat*.

4. AU. CURSNI. SL. *Aulo Cursnio* SL, שלה SLE *pax*, *quies*, *requies*.

V. TEBR NTER TULAR.

Apud Gorium et Passerium in *Mus. Etrusc.* III. 2. tab. 14. pag. 64. Lanzium *Sagg.* II. pag. 461. et tab. XIII. Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 158. 159. qui aliqua varietate Inscriptionem ediderunt. Nos Ectypis attente consideratis et examinatis propositam lectionem praetulimus. Lanzius de more absurde vertit: *Petroniorum Ollarium.* Vermigliolius in laudando *Ollario* defessus cetera neglexit. Nos vertimus: TULAR *Stele Titulus indicans Cineres.* Nam TULAR est TUL, Cippus, *Stele*, AR *indicans:* NTER, vel נטר NTHR, vel נצר NTZR, servans, custodiens, vel potius *servatos*, *custoditos*, *conditos*, *repositos*: voces enim sunt indeclinatae et aoristae, TEBR Chaldaice, Dialecto receptiore שבר SEBER *Reliquias*, *residua*, *cineres* defuncti vel defunctorum. Quin TEBR fieri etiam potest a ת-אפר T-APR, T-ABR, *Cinis*, *pulvis*, unde Graecorum τεφρα.

CAPUT IV.

Tentantur ex reliquis Titulis funebribus Etruscorum qui insigniores et rariores vocibus et stilo videntur.

I. UHTABE FELCHEIM, LARTHIA FIPIS CASPRES.

In lamella plumbea inventa in Sepulcro Perusino, et quae modo servatur in hoc Museo Borbonico: Ediderunt Gorius et Passerius in *Mus. Etrus.* Tom. III. Tab. 4. pag. 26. 27. Lanzius *Sagg.* 11. pag. 384. n. 162. Finatius in *Mus. Borbonico* III. 1. p. 199. Vermigliolius in *Iscrizion. Perug.* I. pag. 72. 73. Lanzius vertebat: *Octavius Velcinius ex Larthia Vibii Casperii filia natus:* Quam versionem de more et probavit et retinuit Vermigliolius loc. cit. At perperam uterque. Nam numquam, plane numquam Defuncti Mater ita expressa et significata invenitur in Etruscis Titulis: Nec quisquam saltem ostendit Etruscis EIM fuisse *e ex de.* At EIM, AM, UM, עם, OM, *eim*, ἅμα, *cum*, Semitis omnibus, Graecis, Latinis est *una*, *simul*: Et saepe coniuges voluisse *unâ* condi et sepeliri, et revera sepultos *unâ*, notum et per plura exempla probatum est. Quamobrem is titulus est potius ita vertendus: *Larthes*, nam praenomen omissum, ex Gente *Uhtabia:* ex familia vel potius Collegio Sacerdotali *Felchio*: unâ *cum Larthia* uxore ex *Fipia* Gente, ex familia *Casperia*, hîc conditi: Quod videtur certum: Nam apud eumdem Vermigliolium in *Iscr. Per.* II. 1803. pag. 390. legimus: *C. Vibius A. F. Caspro:* Qui potuit esse cognatus *Larthiae* istius. Tum apud eumdem Vermigliolium *Iscr. Perug.* I. pag. 267. 1832. est: *Thana Raphi Uhtabes-Casprial sech.*: qui *Octavius-Casperius* vir istius *Raphiae* potuit etiam esse filius *Octavii* et *Casperiae* Tituli propositi et explicati.

II. SALVI SALVIS PRECU LARTHIA RIEPA.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* Pag. 256.

257. n. 201. qui vertit: *Salvia Salvi filia Praeconii uxor, Lartia Rebia nati.* Non recte: Est: *Salve uxor Salvii Precui Larthia Riepa.* Nam ingeniose et solerter tituli Auctor ludere voluit cum Nomine Gentis, et piam inclamationem funebrem praeponere: SALVI Etruscum est ipsum latinum SALVE, est שלה, SLE, שלוי, SLUI, SALVI, *salve.*

2. SALVIS, est IS-SALVI, IS, ISA, אשה ASE, ISA uxor *Salvii* ex gente *Salvia*, ex qua *Otho* Imperator Romanus.

3. PRECU est familiae nomen, vel, ut arbitror, Collegii *Praeconum*, *Monitorum*, etc.

4. LARTHIA RIEPA. Praenomen, et nomen Paternum defunctae mulieris.

III. IARBIS SALVI THANA THERINEI.

In Columella Phallomorpha apud Gorium in *Mus. Etrusc.* I. Tab. 39. et III. 2. p. 101. 102. apud Passerium in *Roncaglies. Calogera* XXIII. pag. 380. Lanzium *Sagg.* II. pag. 452. Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. p. 148. in quorum lectionibus est adnotandum, quod primam vocem Passerius fecerit TARBIS, Lanzius LARDIS, Vermigliolius TARCHI. Mihi contra Ectypis consideratis lectio probabilior visa IARBIS. Lanzius vertebat; *Thaunia Erinia Larthis Salvii.* Vermigliolius *Tarquia Salvia Taunia Heriuia:* Nos: *Plurimum Salve Thana Therineia.* Nam IARBIS est ab ירב; IRB, *multum*, *plurimum*, et ex Idiomatica Glossomorphe Etruscorum IARBIS, multis vicibus, pluribus vicibus: SALVI, שלה SLE, *vale*, *salve* o *Thana Therineia*

IV. AULE FETRU ERUCAL TU TNITA FASTIE FELCARE.

In Columella phallomorpha apud Gorium in *Mus. Etrusc.* Tom. III. 3. Tab. XI. pag. 61. 62. 107. et Lanzium *Sagg.* II. pag. 454. n. 439. qui titulum revera lectu difficilem ob literarum dispositionem pravissime legit, et prorsus falso vertit: Etsi pridem Pas-

serius fere per omnia et legisset et edidisset recte: Lectio enim Passerii pag. 107. haec: *Tutnita Fasti Veelcare al Aule Vetru Erucal:* Qua si tu *al* deles, quod non est in Ectypo, nec esse potest, eam probare potes. Versionem vero non addidit Passerius: Nos vertimus: *Aulus Fetrius Erucalius hoc posuit Fastiae Felcariae:* summa probabilitate *uxori* suae: Nam *Aule* praenomen; *Fetru* nomen Gentis Paternae; In *Erucal* nomen est Gentis maternae: TU, TO, זה, ZE, TE, *hoc istud* Monumentum: TNITA תנה, TNE, TNI, *tradere, tribuere, dedit, posuit:* FASTIE FELCHARE praenomen et nomen *uxoris.*

V. THANCHUILUS CAIAL EIN.

Apud Lanzium *Saggio* II. p. 426. n. 334. qui etsi adfirmet in Agro Perusino inventum titulum, Vermigliolius tamen in suas Perusinas Inscriptiones, quantum memini, non retulit. Lanzius porro vertebat: *Tanaquilis Cainiae:* addita longa nota, qua probare studet illud *Tanaquilus* haberi posse casum vel *nominativum* vel *genitivum*, quasi perinde esset: explicatione non addita. Tum CAIAL, EIN est Lanzio CAIALEIN, prorsus CAINIA; Nos vertimus: *Reliquiae Tanaquilis Caii hic sunt.* Nam THANCHUILUS, US-THANCHUIL: US, יש, IS, res, substantia, corpus, reliquiae *Tanaquillae*: CAIAL, ALCAI, AL ad spectans, pertinens ad virum ex Gente, vel Collegio CAIORUM. Vid. pag. 137. Nam virum indicari, non matrem arbitror. EN, EIN הן EN, *hic*, *hoc loco* sunt positae.

VI. BEL. PUMPUS TURA ATHIALISA ENICUSI.

In urna lapidea apud Lanzium Sagg. II. pag. 444. n. 413. qui vertit: *Vel. Pompus Taurus Attia Enicia nepos.* Est potius; *Belius Gente Pumpia*, Familia *Tura*, matre *Athia*, qui ENI ipsum Semiticum הנה ENE, *hic hoc loco*, CUSI, כסה CSE, CUSI, vel חשה CSE *tectus*, abditus, clausus, conditus *quiescit.*

VII. ECA THISU LARTH. BAL THUARI LTHALTH.

In magno lapide invento in Agro Cornetano, exscripsit Paciaudius, edidit Comes Caylus in *Recueil* IV. Tab. 38. pag. 112. Lanzius *Sagg.* II. pag. 509. n. 18. Inghiramius *Monum. Etrusc. Serie* VI. Nemo vero quantum equidem sciam tentavit. Nos vertimus; *Hic conditus Larthes Balthuarius*; *Suavia* ei omnia. Nam ECA est הכ, EK, EKA, *hic*, *hoc loco:* THISU ipsum טשא THSA, *conditur*, *absconditur*, *tegitur*. LARTH. BALTHUARI, Nobilis Etruscus. LTHA. LETH. Mihi est inclamatio funebris, est fausta et pia adprecatio a לדד, LDD, לד LD Etruscis LTH *suave iucundum dulce. Dulcia* omnia *leth*, *leth*, *laeta laetissima.*

VIII. LARTH. FELCHAS THUI CESU.

Apud Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 137., qui exscriptam refert Inscriptionem ex lapide invento in Ecclesia Cornetana: vertit: *Larthiae Velciae Thucetii uxoris.* Nobis contra est: *Larthes Felchius divus bonus.* Nam *Larthes Felchas* est nobilis ex Collegio Sacerdotali *Felchio*, de quo diximus pag. 174. Nam פלח PHLC est *colere*, *ministrare*, *servire* religiose, diis *sacrificare.* THUI, ut diximus pag. 126. *Divus*: CESU, חסה CSE, CESE *pius*, *purus*, *bonus.*

IX. LARIS PUMPUS ARNTHAL CLAN CECHASE.

In Hypogaeo Cornetano ex *Bullet. Archeol. Roman.* 1833. pag. 56. et Tab. adiecta, et apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. pag. 201. qui vertit; *Laris Pompii Aruntiae filii Monumentum.* Sed analysin et demonstrationem non addidit; quin retulit Titum Cicconium postremam vocem vertere: *hic requiescit.* Nos tamen titulum sic vertimus; *Larthes Pumpius Arunthiae filius* (hic): *suavia* omnia *Seni.* Nam omissis prioribus vocibus, ut notis, CLAN γλυ-κυ, *suave*, αλυπες, חלי, CLI, *dulce;* CECH-ASE est ASE, איש, AIS *vir*, *homo*, *persona*, CECH, כוכ, KUK, *Senectutis*, *aetatis senilis*, *senex.* Quomodo

autem Cicconius per aequas et legitimas radices Semiticas inveniat in Etrusco CECHASE *hic requiescit*, mihi prorsus ignotum, quin etsi homiophoniae mihi ignotae producerentur, eas hic non probarem, quum CLAN sit inclamatio funebris, quae ad animam in *Elysio*, non in *Sepulcro* positam sit referenda.

X. TLATISAL PUIA LARTHI ASRUTUNEI TAURAL CLAN LINE.

Apud Lanzium *Sagg.* II pag. 565. n. 87. qui vertebat: *Lartia Titia* ...... *F. Turiae nata B. Q.* In notis *Tlatisal puia* vertit *Larisalisa*. Nobis est: *Ter salve, gaude Larthia Asrutuneia, uxor Taurii, suavia et lenia tibi omnia.* Nam: TLATISAL est TLATI-SAL: TLATI Chaldaicum תלת, TLT, Hebraicum שלש, SLS, *ter*, per *tres vices*, plurimum; SAL שלה, SLE, *salve*, *valeas*, *vale;* PUIA, בוע, BUO *Gaudium voluptas*, *gaudeas*, *laeteris:* TAURAL, AL-TAUR, *ad Taurium* virum tuum: CLAN *suavia* tibi omnia: *Lene* iter, *lene*, *molle* hospitium tibi. Vid. pag. 121. ad 124.

XI. ARNTH. FIPIS SERTHURIS PUIAC SUTAT...

Apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 421. n. 311. qui vertit *Arunt. Vibii Sertorii.* . . . Ex nota adposita patet habuisse vocem postremam, ut Nomen maternum: ita ut *Puiac Sutat*: sit *filius Sutiae*. Nobis est: *Arunthes* Gente *Fipia*, Familia *Serthuria*, *Gaudium tibi sit*, χαίρε. Nam ARNTH. non ARNTHI est *Arunthes;* FIPIS est ex Gente *Fipia* clara, SERTHURIS est *familia Serthoria*, quia nomen non Gentis sed Familiae videtur; PUIAC est PUIA-K. *Gaudium tibi*, *laetitia tibi;* SUT-AT, AT, את, *veniens*, adveniens, accedens, שות SUT, *stet*, *maneat* iugiter, semper gaudeas.

XII. HERMIAL CAIXNASA MAN SECHIS CAIXNA.

In Columella lapidea, quae modo servatur in hoc Regio Museo Borbonico, et edita fuit Inscriptio a Lanzio *Sagg.* II. pag. 446. n. 417. Finatio in *Reg. Mus.*

Borb. III. I. pag. 17. 18. Vermigliolio *Iscriz. Perug.* I. p. 152. 153. Lanzius prave legebat et vertebat: *Manicia Caesinia Hermiae filia Caesinii uxor:* et magis prave Vermigliolius: *Mania Sexta Cainnia Hermiae filia Caini-asa natae.* Ego contra aio ex Graecis Latinisque Titulis funebribus vix aliquem huic Etrusco praestare simplicitate et ingenuitate. Nam est: *Herminae Caesii a viro Caesio* (hoc positum). HERMIAL, AL-HERMI, *ad Hermiam*, ut Itali *ad Ermia*, Latine *Herminae*; CAIXNASA, ASA-CAIXN, אשה ASE, *uxori coniugi*, CAIXN, *Caixinii*, qui Romane dicebatur *Caesius*, ut vidimus in *Inscriptionibus bilinguibus* pag. 133. 134. MAN ipsum Semiticum מן MN, MAN, *a*, *ab*; SECHIS, IS איש, *viro*, SECH ZUG זוג ZUG *iugato coniugato*, CAIXNA, ex NA *domo Gente*, CAIXIA, sive ore Romano CAESIA.

XIII. A. FULNI SUTU PU.

Apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. pag. 325. n. 5., qui vertit; *Aulinnia Sutii filia.* Prave: quia Nomina personalia servanda sunt idiomatice, ubi gravissima non obstent. Atqui is est *Aulus Fulnius*, cuius cognatus *Aelius Fulnius* ex inscriptione bilingui pag. 151. notus, qui SUTU ipsum latinum SITUS, STAT, iacet; PU, פי PI *hic*, *hoc loco*, *hac olla.*

XIV. RAFNTHUS PHELCIAL PHELCES ARNTHAL LARTHIAL BETENA SETHRES KUTHNAS PUIA.

Ex ingenti Urna Tarquiniensi, apud Lanzium *Saggio* II. pag. 311. 312. et in *Bullet. Archeol. Rom.* 1833. pag. 50. 51. 52. tab. adiecta num. 44. Lanzius vertebat: *Aruntia Velciola Velcii Aruntis filia ex Vettia Sexti filia Cotiae nata.* Non recte: Est potius: *Domina potens, ad Collegia Sacerdotalia spectans, uxor Sacerdotis, spectans ad collegia Arunthiorum, ad Larthes ex domo Paterna Betia, uxor Sethrii Kutnii: Gaudeat:* Nam

1. RAFNETHUS, potius RAFNE THUI est RAFN-

THUI, רב, RB, רבן, RBN, *Domina, hera, Persona* insignis, THU THUI, est DUI די DUI *diva, potens, magna.*

2. FELCHIAL; AL-FELCH: אל-פלח AL-PHELC, *ad ministros*, ad sacrorum, sacrificiorum administros spectans, pertinens.

3. PHELCES, ES-PHELCH, sive אשה-פלח ASE-PHELCH, *uxor, coniux Phelchii*, sive Sacrorum administri, Sacerdotis.

4. ARNTHAL, AL-ARNTH, spectans, pertinens *ad Arunthios*, sive, ut ego arbitror, ad Collegium Divinatorum, Vatum, divinorum, sive a רנד RND, RNTH, *lauro*, planta Apollinea divinatrice, sive a רנה-די RNE-DI, DI *abundanter* copiose *occinere excantare.*

5. LARTHIAL; AL-LARTH, *spectans* ad *Larthes*, ad Optimates, ad Nobiles.

6. BETENA, NA-BETE, NA, נהא NEA, נוה NUE, domo, familia paterna BETIA.

7. SETHRES, ES-SETHR, ES *uxor, coniux Sethrii.*

8. KUTHNAS, AS-KUTHN *uxor Kuthnii*, viri qui vel esset שטר SETHR *Praefectus* praepositus sacris, et ex Gente Paterna Kuthia, vel cui *Sethrius* esset Pater, *Kuthia* Mater.

XV. SCARP MI LARTHI RUTSNISLA.

Titulus collectus ex Hypogaeo funebri Perusino apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* tom. II. pag. 631. qui *Scarpiam Larthiam Rusteniatam* hic sepultam putat; Quoniam autem locus, quo voces huiusmodi adscriptae, non fuit diligenter indicatus et adnotatus, non unus potest esse versionis nostrae modus. Si Titulus hic inscriptus fuit lapidi, vel lateri et tegulae, verterem: *Familia hic Larthialis Rutsinia quiescit.* Tum enim Titulus ad totum Hypogaeum et funebrem Cryptam spectasset: Et שרב SCRB, שרבא, SCRBA, SCARPA est *Gens, Familia.* 2. MI est *hic haec* 3. LARTHI est saepe Signum

numeri Pluralis, ut videbimus in Inscriptione *Larthum Cuelniorum:* LARTHI CUELNE.

4. RUTSNISLA est RUTSNI-SLA: Scilicet *Rutsnia,* Rutsiniorum; SLA שלה, SLE, SLA *quiescit requiescit.* Quod si Titulus adpositus est *Urnae* certae et peculiari, tunc verterem: *Cineres hic Larthiae Rutsniae filiae.* Nam. 1. SCARP est שרפ SCRP *bustum rogus combustio*, et adeo *Cineres,* et *reliquiae.* 2. MI *hic.* 3. LARTHI, *Larthiae:* 4. RUTSN-ISLA ISLA, ישיל SIL, ISLA filia gnata; RUTSN *Rutsiniae:* Et nomen *Matris* non *Patris,* mea sententia, adpositum, quia inlati fuissent *Cineres* non in Hypogaeum Paternum, sed *Maternum Rutsiniorum.*

XVI. ARNTH. LARISAL.....CHEILISC PESLI.... UPITHASA......EISNBEC EPRTHNBC PACSTREBC.....EXNCHBALC TAMERA XELARESA.....XIBAS ABIL XXXVI. LUPU.

Haec adscripta ingenti Sarcophago Tuscaniensi, in cuius fronte Drama exsculptum est, quo Iuvenis togatus exhibetur bigis vectus, quasi ovans, lictoribus, aliisque administris praecedentibus. Ediderunt Vincentius Campanarius peculiari opusculo Romae 1825. et in *Giornale Arcadico* 1825. Tom. XXVIII. pag. 246. 267. Franc. Oriolius in *Antolog. Fiorentin.* 1825. Tom. XX. *Ottobre* pag. 61. 62 Inghiraminus in *Mon. Etrusc. Serie* VI. T. F. 3. Auctores *Bullet. Archeolog. Romani* 1832. pag. 63. Tab. adiecta num. 51. et alii. Hunc Titulum unus quem sciam Campanarius vertit. Libellum editum non vidimus, sed excerpta tantum, quod satis est: Nos vertimus: *Arunthes ex Larthum genere. . . . vir fortissimus quiescit hic conditus . . . disciplina doctus, praeliis navalibus exercitatus, Legatus accuratus, ... illustris eloquentia perpetuo gaudeat, et exsultet... Iuvenis bonus anno XXXVI. Gaudeat;* Nam:

1. ARNTH. LARISAL est *Arunthes Larisalius ad Lares spectans,* sive universum ordinem optimatum significans, sive peculiarem familiam.

2. CHEILISC, ISC-CHEIL ipsum איש, AISC, ISC, *vir*, *persona* חיל CIL, CHEIL *fortis*, fortitudine praestans, robore et virtute insignis.

3. PESLI, seu PUSLI a פשל, PSL fatigatus, defatigatus, lassus; פשל PSL PUSLI iterum quiescit *cessat*, *requiescit* a laboribus.

4. UPI, פי, PI, UPI *hic*, *hoc tumulo*.

5. THASA, טשא, THSA, THASA *tectus*, *conditus*, *depositus*.

6. EISNBEC, EISN-EBC, EBC, a בקא BQA, EBC, expertus, doctus; EISN ab אזן AZN, ASIN, auris, auscultatio, audire discere addiscere attendere considerare, *disciplina doctus*.

7. EPRTHNBC, EPRTHN-BC, BC EBC iterum בקא, BQA, *peritus*, *doctus*, *exercitatus*, EPRTHN; פרטא PRTA *Classis*, *praelium navale*, bello navali exercitatus; EPRTHN, praeliis plurali numero, Chaldaice: si scriptum, ut puto, EPRTHEBC Etrusce.

8. PACSTREBC, PAC-STRE-BC. PAC, פחה, PCE *Dux*, *Ductor*, צור TZUR, TSUR, STRU *Vicarius*, *legatus*, *vices gerens*; BC, בקא, BQA, BC *probatus*, *peritus*, *doctus*.

9. EXNC, fit a צחה TZCE, צחח TZCC, inserta nasali, ETZNC *illustris*.

10. BALC, בלג, BLG Etruscis carentibus G, BLC, *facundus*, *eloquens*, sermone, eloquentia potens.

11. TAMERA, תמד, TMD, TAMEDA *perpetuo*, *semper*.

12. XELA, צהל, TZEL, *laetetur*, *gaudeat*.

13. RUSA רח RUZ RUSA exsultet, gaudeat.

14. XIBAS, AS-XIB; AS-TZIB איש, *homo* ציב, צבי, TZBI *Iuvenis*, in iuventutis flore.

15. ABILS *felix beatus* χρηςος anno 56.

16. LUPU, *Gaudia*, *lusus*, ioci in Elysio ei sint.

SECTIO IV.

Tentantur Inscriptiones Etruscae Cryptis funebribus adpositae.

I. *Inscriptio Clusina.*

CAPIU RANAXU MAUTLES LAUTNI.

In magno Lapide Clusino Hypogaeo dubio procul adposito: Ex *Museo Clusino* Tom. II. pag. 221. n. 62. ubi Italice vertitur: *Speco delle famiglie Ranassia-Mautlesia-Lautan.* Mihi est: *Crypta reliquiarum Mautliorum-Lautniorum.* Nam: CAPIU Etruscum ex eadem radice factum ac CAPIO Latinum per alia exempla certum habeo: vel a חיב CIB CAB *sinu, capacitate, cavea:* vel a חפה CPE, CAPE, *tegere, abdere*, abscondere: RANAXU mihi sunt *reliquiae, fragmenta* corporum, a רץ RTZ, et inserta Nasali RNTZ, *Ranatzu fragmina, fragmenta, reliquiae.* Nec obstat, quod legatur apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* 1. pag. 205. 207. RANAXUSA: Nam Nomina familiarum et ipsorum Collegiorum Sacrorum possunt facile inde desumi: quin nec certum est, nec probari adhuc potest fuisse aliquam Gentem vel familiam *Ranaxi*: Et quoniam inscriptio prolata a Vermigliolio non est facta nisi a voce RANAXUSA, quidni potius dicamus pium aliquem Sacerdotem Urnam funebrem ignoti hominis, ne profanaretur et laederetur, voluisse illa epigraphe insigniri: *reliquiae Hominis*, vel potius *Mulieris* אשה, ASE, USA? Quamobrem, quum non RANAXIES, ut scribendum fuisset, si de familia integra ageretur, sed RANAXU, scriptum sit, et adsociationes istae funebres duarum familiarum diversarum nullis certis exemplis possint probari, ideo vertimus *reliquiae.* 3. MAUTLES: ES-MAUTL, hominum *Mautliorum*, Gentis *Mautliae;* ex Familia sive potius Collegio Sacerdotali *Lautniorum*, sive *Epulonum*, ut saepius dictum.

II. *Inscriptiones Axienses.*

In longa rupium et petrarum catenâ posita ad *Castrum Axium* agri Viterbiensis plures Cryptae funebres excavatae, quarum indicium et quasi Symbolum est Porta ficta Aegyptiacis similis satis eleganter exsculpta, in quarum fronte brevis inscriptio adposita. Franciscus Oriolius Viterbiensis, si bene memini, eas exscripsit et vulgavit tum in opere Inghiramii *Monum. Etrusc.* Tom. IV. Tab. 31. ad 39. et pag. 209. 210. 211. etc. Tum in *Annali Archeolog. Roman.* 1833. Tom. V. pag. 19. 20. etc. tum alibi. Sunt circiter septem, omnes brevissimae, et quod gravius fractae et disruptae, fere omnes factae ex solemni, ut videtur et certa formula, ECA SUTHI NESL. . vel NEISL. Oriolius, quantum scimus, ab interpretatione sese temperavit. Nos vertimus: *Hac Crypta Reliquiae.* Nam ECA Etruscum est ipsum הכא EKA Semitoglossorum, sive potius Noachidum: *hîc hoc loco.* 2. SUTHI, est Semiticum צוד, TSUD, SUDI, Etruscis carentibus D necessario SUTHI *Cavea*, *caverna*, *Crypta* : סוד; SUD, SUTHI, *arcana*, *secreta*, segregatâ. 3. NESL: est a נשל NSL *exuere*, *spoliare*, *detrahere*, *exuviae:* adeoque hîc NESL נשל NESL erunt *Reliquiae.*

III. *Inscriptiones Tuscanienses.*

1. ECA SUTHI NESL PAN.

In magno Cippo lapideo invento in Agro Tuscaniensi apud Lanzium *Sagg.* II. pag. 508. qui falso dedit EPA pro ECA, deleta fortasse inferiore curvatura literae C; et de more absurde vertit: *Pro Salute Aeliani.* Nos: *Hac Crypta reliquiae defunctorum* conditae. Nam: PAN est a פנא PNA, פני, PNI, *mortuus defunctus.* Prioribus vocabulis iam explicatis.

2. ECA SUTHI EIERINS SATIES MANCHES.

In magno Disco lapideo invento in Agro Tuscaniensi ad Cryptam funebrem pictam. Ex *Bullet-Archeol. Roman.* 1833. et Tab. adiec. n. 48. Aliquem vertisse non memini. Nostra versio haec: *Hac Cry-*

pta Urnae Satiorum-Manchiorum positae. N
ECA SUTHI : *hac Cryptá* pag. 201. EIERINS fact
puto a celebri vocabulo funebri Semitoglossorum ן
ARUN, Ore Etrusco AIARUN, EIERUN, addita
IS vel S, signo numeri pluralis EIERINS, *cap*
nempe *arcae*, *urnae*, et quasi proprie funebres;
mihi aliud etymon probabilius latinae vocis URI
quam ipsum ארון, ARUN, leni temura URNA.
SATIES arbitror esse nomen *Gentis*, MANCHES I
miliae.

3. ECA SUTHI LARTHAL TARSALUS SACNIU.

In alio magno Disco lapideo invento in agro T
scaniensi: Ex *Bullet. Archeolog. Roman.* 18
pag. 61. et Tab. n. 47. Et *Bullet.* 1859. pag.
25. Vertimus: *Haec Crypta ad Larthes Tarsa*
Sacnios : nempe spectat pertinet. Nam ECA SUT
est *Haec Crypta*, quia indeclinata. LARTHAL,
AL-LARTH. *ad Larthem*, vel *Larthes*: TARSAI
Tarsalios, ad familiam Tarsaliam spectantes; plu
numero. SACNIU ex legibus Glossomorphes Etrus
videretur Nomen Gentis, ut TARSALUS familiae
Collegii: nec puto absurdum tenere quandoque Et
scos imitatos fuisse Romanos, qui Personas et Ci
saepius per cognomina, quam per nomina appellar
et laudarent: ut Cicero, Varro, Propertius etc. Qu
si haec nominum inversio videatur minus probabi
quidni sumamus SACNIU pro vocabulo usus comr
nis et explicemus *quiescunt*, requiescunt, ita ut h
Inscriptio verti possit: *Hac Crypta Larthes Ta*
sali quiescunt: ab Arabico סכן, SACNI vocabul
deducentes? Nec obstat dictum LARTHAL non LA
THES; perinde est, ut Latinis Nobilis, ad nobiles sp
ctans, ex Nobilibus.

IV. *Inscriptio Urbevetana.*

TENA SLA RPN.

In Cippo tofaceo invento in agro Urbevetano h

magnis literis insculpta, argumento certo, quod steterit ad insigne monumentum funebre; Apud Vermigliolium *Iscriz. Perugine* p. 34. qui legere volebat TENIAS LARPIN .... et vertere *Teniae Larpiniae*......monumentum. Nobis est: *Cella silentum, et quiescentium*. Nam TENA est תנת, TONE TENA, *Conclave, cubiculum, cella*: SLA, ipsum שלה, SLE *tacere, silere, quiescere*; RPN, רפאין, RPAIN Chaldaice, quiescentium, quietorum, et peculiari modo *defunctorum*, mortuorum.

V. *Inscriptio Senensis.*

LARTHI CUELNES TA SUTHI NLA NBL CULCE.

In postibus lapideis Cryptae funebris Senensis *Cuelniorum*; Apud Gorium et Passerium in *Mus. Etr.* Tom. III. 2. tab. 12. et Lanzium *Saggio* II. pag. 463. n. 467. In hac autem Inscriptione Passerius p. 105. non deprehendit nisi *Dedicationem Larthis Cilnii*; Lanzius pag. 463. unam *Larthiam Cilniam*. Nobis est: *Larthes Cuelnii hanc Cryptam absolverunt reliquiis heredum*; nempe ad accipiendas *Reliquias Heredum suorum Cuelniorum*. Nam;

1. LARTHI CUELNES sunt *Larthes Cuelnii*, et si vis *Cilnii*. CUELN-ES enim pluralis numeri forma.

2. TA SUTHI: TA, זה, ZE, TE, TA *hanc istam*. Vocula a pluribus Gentibus adoptata et probata. SUTHI צוד, TZOD, TZUTH, SUTH *Crypta, caverna*.

3. NLA ipsum, נלה, NLE, *perfecerunt, absolverunt*, consummarunt.

4. NBL: est proprie נבל NBL *res quae aruit, exaruit, emarcuit*, ut *reliquiae* mortuorum, et homiophonon נפל, NPL est fere homiodynamicum; nam est quod *cadit, decidit, marcescit, Cadaver, reliquiae.*

5. CULCE est חלק CLQ CLC, CULCE *heredibus*, Gentilibus *Cuelnis*, iis, qui ex parentibus *Cuelniis* essent progeniti. Sepulcrum nempe Gentilitium ex legibus illius Aristocratiae Etruscae de qua diximus I. parte pag. 18. 19. etc.

VI. *Inscriptio Volaterrana.*

TA SUTHI MUCE THIS CNEUNAS LAUTUNIS.

Haec adscripta Cippo Cryptae funebris Volaterranae ex *Bullet. Arch. Rom.* 1829. pag. 29. et 1830. pag. 30. ubi a I. B. Zannonio vertitur: *Sutia Mucetii, et Cneae filia Lautni uxor.* At si SUTIA est *Nomen*, non *Praenomen*, ut absurdum est dicere *Terentia filia Tullii;* ita aeque absurdum *Sutia filia Mucetii*: Tum nusquam in Titulis Etruscis Matres defunctorum per *Praenomina* exprimuntur. Neque est CNEUS *Praenomen* Etruscum: quin mulieres Etruscae saepius Praenomine carent, et quae saepius praenomina videntur, ut THANA, LARTHIA sunt revera Nomina honoris, et dignitatis, ut Latinis *Domina*, et nobis *la Signora.* Quid porro in hac versione TA? Quid tota Crypta funebris pro muliercula? Nos vertimus: *Hac Crypta reliquiae conditae Cneuniorum Primorum Epulonum.* Nam

1. TA SUTHI, *hac Crypta* pag. 201. 203.

2. MUCE est מקה, MQE, MCE ipsum *mucor* Latinorum, *putredo*; מוך MUK dissolutio, *reliquiae*: vel מחה, MCE, quod *removetur*, segregatur, corrumpitur, *reliquiae.*

3. THIS טשא, THSA, THIS, *conditae* reconditae repositae.

4. CNEUNAS AS-CNEUN, איש, AIS *hominum*, personarum *Cneuniorum*, Gentis *Cneuniae.*

4. LAUTUNIS: LAUT-UNIS, UNIS, UNI, *unus* latinorum εις Graecorum *primi*, nempe non numerali sed ordinali sensu, LAUT; לעת, LOT, ut iam diximus pag. 173. *Epulones*, qui cibos, epulas sacras parant, adparant, curant.

VII. *Inscriptiones Tarquinienses*, sive *Cornetanae.*

Inscriptio prima.

RAMTHA MATULNES SECH MARCES MATULNI...... PUIAM AMKE SETHRES KEIS.. IES... KISIM TAME... LAPH.. NASK. MATULNASK CLALUM KE IS KIKLENAR M..., AFENCE LUPUM AFILS.. ACHS MEAL CULSK EITBA PIA MA.....

Haec adscripta sunt in insigni Crypta funebri Tarquiniensi, sive Cornetana: eaque iam ediderunt Maffeius in *Osserv. Letter.* Tom. V. p. 310. 311. Gorius et Passerius in *Mus. Etrus.* Tom. III. I. tab. 7. pag. 105. 106. Lanzius *Sagg.* II. pag. 465. 466. n. 471. Inghiramius in *Monum. Etrusc.* Tom. IV. tab. 19. pag. 62. aliique. Passerius loc. cit. paucissima attigit: eique RAMTHA est nomen officii ignoti; AMCE est ipsum latinum HANC; PUIAM est derivatum ab Hellenico ποιέω facio, SETHRES est *Matris;* AFENCE LUPUM est *hoc sepulcrum.*

Lanzius pauciora: PUIAM AMCE SETHRES KEIS... vertebat: *Filiam hanc Sexti Caesinii.* Nos omnium primum profitemur tenere hanc Inscriptionem ut historicam, secundum Canones a nobis priore Tentaminis Parte pag. 65. constitutos, adeoque agi de ipsius *Cryptae* funebris excavatione, deque partibus, et elementis, quae eodem tempore, et naturam Inscriptionis, et Criterium certum Interpretationis praeseferunt: Tum ita vertimus: *Ramtha Matulnesa coniux Marcii Matulnii (Gaudeant simul) Cryptae Conclave divisit, aequavit, distinxit, perfecit.. Tholum Cryptae, Telamonem Cryptae, totum Conclave perfectum colorato pulvere et figuris pinxit; choreas nempe gaudia, fecit gradus totius Cryptae, aperuit exitus*.....Nam:

1. RAMTHA MATULNES, sive MATULNESA est *Larthia* Domina Etrusca ex Gente vel potius Familia Paterna *Ramthia*, ESA, ASE, אשה, *uxor Matulnii;* de quo mox. In Ectypo Gorii est MATULNFI pro

MATULNES, vel MATULNEI: Quae si esset vera et genuina lectio, haud magnopere adversarer. Nam certum est per Titulum Etruscum funebrem relatum a Lanzio *Sagg.* II. pag. 445. n. 415. et a nobis supra pag. 174. Etruscos contraxisse matrimonia in eadem Gente, etsi non in eadem familia, et propterea *Matulniam Ramtham*, et *Matulnium Marcium* potuisse mutuo contrahere legitimas nuptias.

2. SECH, MARCES, MATULNI: nempe *iugata*, coniugata, ut diximus pag. 118. MARCES *Marcio*, quod non praenomen est dicendum, sed *cognomen* Gentis *Matulniae*. Nam *praenomen* Romanum *Marcus* non *Marces* Etrusco respondet, sed *Athio* in inscriptione bilingui pag. 156.

3. PUIAM, PUIA-AM, AM עם OM ἅμα *simul* una בוע BUO, בויא, extrito Pelasgice ע huain, BUA ביע BIO, gaudium laetitia, gaudeant unà, laetentur. Nempe erant defuncti. Nos Itali diceremus: *Dio gli abbia in gloria.*

4. AMCE ipsum עמק OMQ OMK, *Cryptam*, *antrum*, cavernam, caveam.

5. SETHRES, SEDRES, SEDR-ES. *exhedras*, *vestibula*, loca nempe, quibus possint plura disponi, congregari, ordinari a סדר, SDR, Etrusce STHR exhedra, *vestibulum*, *conclave*.

6. KEIS..IS a קסס, KSS; vel קצץ, KTZTZ, suavius KESS *excidit*, *effodit*, *excavavit*.

7. KISIM, ipsum קסם QSM, KSM, *aequavit*, distinxit, divisit.

8. TAME, תמם, TMM, TM, *perfecit*, *absolvit*.

9. LAPH, ut in Ectypo Gorii, לף LPH *involvere*, *continere*, tegere: *Tholum* nempe et *Lacunar* Cryptae difficillimae et periculosae formationis et conservationis. Sed si potius legendum CAPHU, ut ego arbitror, tum est a כאף KAPHU *lapis*, *petra* saxum, quo Crypta ipsa כפה, KPHE KAPHU *tegitur* *obtegitur*.

10. NASK est ipsum נשך NSK, נשכה NSKE *cella conclave*, ipsa fere Crypta funebris, quae facta est *cella* et *conclave*.

11. MATUL est *Telamo* Latinorum temurice; Atlas, Columna nempe ingens, immanis Pila in centro Cryptae exculpta, qua *Tholus*, et Lacunar Criptae, et pars montis et rupium impositarum sustinentur. Nam MA-TUL Etruscum, et TELA-MO Latinorum sunt ipsum Semitoglossorum מ-תלה M-TLE res nempe alta, elevata, ex qua pendet aliquid et sustinetur.

12. NASK נשכה cella conclave, ut modo diximus.

13. CLALUM, est CL-ALUM. ipsum כל-אלם KL-ALM, *totum* integrum conclave; כל KL, *totus integer*, אלם ALM *cella conclave*.

14. KEISIS, קצץ, KTZTZ, KSS *excavatum*, dedolatum, divisum, absolutum.

15. CICLE ipsum כחלה, KCLE, KICLE colorato, variis coloribus imbuto, distincto.

16. NAR ipsum ניר, NIR, *pulvere*, *calce*.

17. M..A. legerem MINA, vel MUNA, a מון, MUN, מין MIN *figura*, *simulacrum*, similitudo, pictura.

18. FENCE, PINCE, *pinxit* Latinorum, vel a פחם FCM Syrorum adsimilare, similifacere, vel a פוך, PHUK, FENC, inserta nasali, *fucare*, *fuco*, colore tingere, pingere, aliquo colore imbuere.

19. LUPUM, LUPU-UM. לעב-עם LOB-OM *lusus plures*, multos iocos, choreas plures; unde firmatur explicatio vocis data superius pag. 123.

20. AFILS est בלז BLZ FILS בלץ BLTZ BLS gaudia convivia choreas. Ut supra pag. 120.

21 ACHS ipsum אחז ACZ, ACS fecit, formavit, efformavit.

22. MEAL ipsum מעל, MOL, MEAL, gradus, *podia*, quae sunt in omni Crypta funebri ad *urnas* defunctorum ordine et loco suo sustinendas et servandas.

23. CULSK, CUL-SK ipsum כל-שוח KL-SUK, כול, KOL, *totius*, universae שוח, SUC Cryptae *Cavernae* funebris.

24. HTBA non EITBA', ut Lanzius dedit, est חטב, HTHB, HTHBA, *aperuit*, *excidit*.

25. PIA non PLA, quod Lanzius dedit est בוא, BUA, פה, PE PA *os ostium*, egressus, exitus, quod notatu opportunum. Nam quum in corde montium et collium essent hae Cryptae excisae, et ingressus et egressus nec nullus, nec plane publicus, et omnium prorsus oculis subiectus esset excindendus: hinc erat peculiari arte efformandus et studiose parandus et inter partes Cryptae necessarias et insigniores numerandus.

Inscriptio secunda posita in eadem Crypta.

LARTH. CEISINIS FELUS CLAN. CIXI XILACH NCE MEANI MUNICLETH METHLEM NUPPHXI CANTHCE CALUS LUPU.

Apud Auctores eosdem: Passerius pag. 105. initium tantum attigit vertens *Manibus Caesinii Velitis filii*. Lanzius vero pag. 466. de suo more saltuatim aliqua tentavit, ut: *Larthia Caesinia Velusiae nata*. *Meani municlet* est *Manius* μονοκλητος: *Calus lupu* est *clauso tumulo*. Nos etiam hanc Inscriptionem historicam putamus, et de instauratione et perfectione Cryptae funebris temporum lapsu, vel aliqua calamitate corruptae agere tenemus: adeoque vertimus: *Larthes Caesinius* Gente paterna, Familia *Belius*, *Gaudeat*, *distinxit*, *instauravit*, *expurgavit Conclave*, et *loculos defunctorum*, *Tenebras spiramentis illustravit*, *apte pinxit colore lusus*. Nam:

1. LARTH. CEISINIS est *Larthes Caesinius*, *ex Caesinia* Gente.

2. FELUS, BELUS, US-BEL ex familia *Belia*, non enim evidens esse nomen maternum, quod fuisset BELIAL.

3. CLAN: Pia inclamatio funebris: ut vidimus pag. 121. *Gaudeat*: Argumento certo fuisse defunctum et piae recordationis et bonae fuisse apud posteros, qui hoc elogium ei posuerunt.

4. CIXI ipsum חצה CTZE, CIXI, *divisit*, *distinxit*, separavit.

5. XILACH ipsum צלח, TZLC, XLCH *instauravit*, *reparavit*, quae temporum iniuria, vel aliqua calamitate fuerant depravata et corrupta.

6. NCE ipsum נקה, NQE, NKE *purgavit*, *mundavit*, *expurgavit.*

7. MEANI ipsum מעון MOUN *habitaculum*, *conclave*, *cellam*, *Cryptam.*

8. MUNICLETH, vox ut videtur stata et Idiomatica ad *loculos et forulos* Cryptae funebris secretiores significandos. Nam factam arbitror a חלט, CLTH, חלטא, CLTHA *mansiones*, *foruli*, *loculi*, et מנע MNO prohibiti, clausi, secretiores, qui esse debuerunt in magnis Cryptis funebribus.

9. MH, ut clare in Ectypis Gorii: Lanzius nulla auctoritate dedit ME. Si haec esset lectio genuina, quod minime arbitror, ME esset *hic*, *hoc* loco posita. Sed MH, מחה, MHE, lectio ut reor genuina est *tersit*, *abstersit*, *purgavit* a sordibus, immunditiis.

10. THLM ipsum טלם, THLM Arabum, *tenebras*, *caliginem*, obscuritatem naturalem Cryptis et Cavernis terrae.

11. NUPHXI, vel NUPPHXI; Litera enim ambiguae potestatis. Si legimus NUPHXI, tum aeque discernemus NUPH-XI, et in NUPH agnoscemus ipsum נפח NPH, nempe *spiraculis*, *spiramentis*, foraminibus, XI, צי, TZI, ציא, TZIA *illuminavit*, *illustravit*, claram lucem induxit; quod plane opportunum: Si legendum NUPPHXI tum NUP erit נפע NPO NUP Pelasgice, *utiliter*, multa utilitate, commodo: PHXI erit ipsum פצה PHTZE *liberavit*, *dispulit*, *removit.*

12. CAN, כון, KUN, *apte*, idonee convenienter.

13. THCE, טוח THUC, *illevit, oblivit*, pinxit, depinxit.

14. CALUS, כלש, KLS, CALUS calce, et quocumque pulvere colorato, coloribus.

15. LUPU, לעב, LOB, *lusus*, *iocos*, *choreas*.

3. *Inscriptio tertia Tarquiniensis.*

MARU STENIM EMTITE CHSIME ULE PIKE IARBI SMAL FIQ AHRITHER STANI LUPU THEMBIKA THUERMU PIRE VKARUN KAMLU SINTH RITH TENTCHA.

Apud Inghiramium in *Monum. Etrusc.* Tom. IV. tab. 29. pag. 136. qui tamen de hac Inscriptione ne verbum quidem addidit: Nec apud alium eam hactenus me legisse memini. Interea sic vertimus: *Artifex picturarum funebrium hic magno studio, profunda intelligentia plura Simulacra finxit aevi futuri: Pinxit lusus, adsimilavit egregie Mercurios, Furias, Charunos, Camillos, Daemones currentes dedit pictos.* Nam:

1. MARU esse potest Syrorum מר, MR, *dominus*, *praeceptor*, doctor; vel מארי MARI, *Sculptor*, *insculptor*, qui graphio et stilo designat in tabula et superficie plana signa figuras formas; vel potius מרי MRI MARI, qui *imitatur*, *adsimilat.*

2. STENIM, vel quasi STENI-IM a צנע, TZNO STNO *opus*, *artificium*, unde STEN-IM *artificia*, *opera;* vel est ipsum צנם TZNM, STNM, *Idolum*, *Simulacrum*, *imago*, adsimilatio, figura.

3. EMTI, METI, MUTI, מות MUT, *mortuorum*, *defunctorum*, quae in Cryptis funebribus depinguntur; TE, ZE זה, ZE *haec*, *ista*, *hic*, hoc loco; vel EMTITE posset profundiore significatione derivari a מתת MTT, EMTITE, *sperare*, *expectare*, quae futura sunt, adventura sunt, quae expectamus, speramus.

4. CHSIME ipsum חסם, CSM *diligenter imitari*, sectari magno studio.

5. ULE , עלה , OLE *alta* , *sublimi.*

6. PIKE פקה PQE , PIKE *scientia* , theöria, intelligentia.

7. IARBI , ירב , IRB , IARB , *plures* , *multas,* ingentem רבה RBE, *numerum.*

8. SMAL' ipsum סמל , unde *simile* Latinorum ; *Imagines* , *simulacra.*

9. FIQ , BIK , בקא , BKA , *investigavit* , scrutatus est , effinxit, efformavit.

10. AHRITHER nempe AHRI–THER , vel AHRIDER , quorum AHRI est ipsum אחר , AHR , *post postea* אחרי, AHRI , *quod postea* venturum est, adfuturum est, et טור THUR *Domus* , *habitatio* , *mansio* , vel est דור , DUR *generatio* , *aetas* , *aevum ;* quin est ipsum דהר DER Etruscis THER, Arabibus *saeculum mundus* , et quidem *aeternus ;* Imaginem scilicet effinxit *venturi mundi* , *futuri saeculi* , vitae humanae alterius post hanc in alio mundo ducendae , quae *Vita futura* apud plurimos Semitoglossos solemni voce dicitur אחרה AHRE *futura* , *ventura* , *posterior.*

11. STANI צנע , TZNO , STANO , *finxit* , *effinxit* , *assimilavit.*

12. LUPU , לעב , LOB , *lusus* , *choreas.*

13. THEM , DEM , דמה , DME *assimilavit* , *effinxit* , *finxit.*

14. THUERMU, THU-ERMU nempe *duplicem* דוי DUI, THUI *duplicatum* gemellum *Hermetem* , Mercurium ערם , ORM , *callidum* , astutum , soller em , qui caracter proprius *Mercurii*, quem duplicarunt Etrusci et *gemellum* et טוי , THUI constanter expresserunt in Dramatibus Urnarum funebrium, unde a Volaterranis dictus BEL–ATRI בל-תרי, BL–TRI *Deus duplex.*

15. PIRE , FIRE, Latine FURI–AE , Ερυννες, Aeolice Feri–nies a פרר–FRR *frangere* , *effringere* , Daemones ultrices scelerum , egregie expressae ab Etruscis, ut in *Pantheo* monemus.

*

16. UKARUN, U-KARUN, VE, ו, ve *et*, *etiam*, insuper *Charunos*, sive Daemones *Psychopompos*, et *Psychoplectas*, ultores, vindices turpissima forma, et saepius ingenti naso, et magno malleo instructi: De quibus agimus in *Pantheo*.

17. KAMLU, *Camillos*, *ministros*, administros minores, sequioris etiam sexus forma expressi quam plurimi in liturgia Etrusca: quae hac in parte Graecae praestat.

18. SINTH, SIND, SID, שד, SD, *daemones*, angelos malos, terribiles, noxios, vexatores, molestos.

19. RITH, רהט, RETH currentes, excurrentes ad sua ministeria obeunda, exsequenda.

20. TEN, תנה, TNE *dedit*, *exhibuit*.

21. TCHA, טוח, THUCH, *pictos*, *expictos*.

4. *Quarta Inscriptio Tarquiniensis.*

KIFESANA MATFESI KARES EKE EPRA SEKLE SFASPHES THICH FACHA.

Haec adscripta Parieti Cryptae funebris Cornetanae detectae anno 1827. et edita in *Iourn. des Savans* 1828. pag. 87. et in *Bullet. Archeol. Rom.* 1833. pag. 59. tab. n. 27. Picturae vero editae a Micalio *Monum. Italic.* 1832. Tab. 67. III. pag. 112. 113. Lectio proposita in *Iourn. des Savans.* et in *Bullet. Archeol.* in pluribus discrepant. Nos quod visum satius et probabilius adoptavimus. Raoul-Rochette in *Iourn. cit.* pag. 84. 86. vertere etiam Gallice iuxta methodum Lanzianam adnisus est sic: *Cleophas la mere a achevé et consacré pour Cleophas Phettiah sa fille:* quae ex omni parte falsa. Nam nulla *Cleophas* fuit Etruscis uphonicis; nulla Etrusca et Domina Mononyma; nulli *Cleophae* Etruscae esse potuit filia *Cleophas Phettiah*.

Nos autem putamus hanc Cryptam funebrem esse collegialem, spectasse scilicet ad aliquod Collegium Etruscorum, quia palam est varia nomina Familiarum

illustrium Etruscarum in ea esse adscripta, inter quas Matfesia: Et hanc Inscriptionem esse etiam historicam aeque tenemus, eamque adeo vertimus. *Libertus Domus Matfesiae operatus est hic clara intelligentia; ornamenta extremitatum pinxit egregie.* Nam:

I. KIFESANA, KIFES–ANA: ita clare, et nitide in Ectypo Romano. Rochette dedit ISFAS A. Atqui KIFES est ipsum חפ״ש CPS, CFS *liberatus*, *libertate donatus*, *manumissus*, *libertus*: ANA, NAA, NEA, נהא, נוה NUE *Domus*, *Familiae*, *Gentis*.

2. MATFESI, ut in utroque Ectypo: Quod Nomen repetitur in aliis Inscriptionibus eiusdem Cryptae: Adeout Gens *Matfesia* habenda sit ex illustrioribus Collegii, cui ius sepulturae erat in hac Cryptà.

3. KARES, ita clare in Ectypo Romano. Rochette dedit tantum...CES p. 84. et in Tabula CMES. quod re considerata, parum distat a lectione Romana. KARES autem est ipsum חר״ש, CRS, KARES, *excogitavit*, operatus est, laboravit; *opifex*, *artifex*, *faber*.

4. EKE, היך EIK, *hic*, *hoc loco*, hac Crypta, *haec*.

5. EPRA ita Rochette. Romanus editor dedit EVRE pro EBRE, ut puto: quod perinde est; nam sive a בהר, BER, EBR, sive a באר, BAR, APRE desumis habes: *clara*, *aperta*, *nitida*.

6. SEKLE, ipsum שכל, SKL, SEKLE *intelligentia*, *ingenio*, *sollertia*.

7. SFAS; ita in utroque Ectypo a שבץ SBTZ, SFS, imò שבס SBS, SFAS, *ocellata*, *tessellata*, *ornamenta*, ornatus varios Cryptae pictorios.

8. PHES, פסא, PHSA *extremitatum*, finium, vel partium portionum.

9. THIC, טוח, THUC, *pinxit*, *expinxit*.

10. FACHA, ut clare in Ectypo Romano, נקא, FQA, FACHA, *egregie*, perfecte.

5. *Quintae Cornetanae Inscriptionis pars prior.*

ÈITH PHANU SATHEC LAUTN PUMPUS » SCUNUS: SUTHI TUIN PHLESXNA » TEIS NIKA CAL: IPA MAANI TINERI » NUTI SUS, NAMU TNE, IPA etc. etc.

Haec cum aliis tribus versiculis, sed gravissime luxatis, detritis et intractabilibus; haec, inquam, adscripta sunt Telamoni, sive ingenti Pilae centrali Hypogaei Tarquiniensis, qua Tholus sustinetur. Edita vero sunt in *Bullet. Archeol. Roman.* 1833. pag. 50. 51. et peculiari Tabula; et in *Monum. Ined.* eiusdem *Institut.* tom. II. tab....

Hanc autem Inscriptionem esse Historicam non ritualem abstracto quocumque Systemate Hermeneutico inde patet, quod secundo versiculo legatur PUMPUS Nomen Gentis Etruscae illustris; et ultimo versiculo ARNTHAL, qua voce est nomen Maternum istius *Pumpii.* Cuius Titulus integer bis, vel ter adscriptus fuerat Parietibus Cryptae, dubio procul quia fuisset ex insignibus viris, qui in ea Crypta funebri exornanda operam suam collocassent; quorum Titulorum unum explicavimus supra Sect. III. cap. 4. n. 9. pag. 194. 195. Et tum senem et defunctum fuisse inde scivimus. Haec alia modo colligimus ex praesenti Inscriptione: *Dilatavit Fani pavimentum Epulo Pumpus: qui quiescat. Cryptae cellam artificiose exaequavit, novem loculos effodit: Addidit Vasa lapidea lata, plura fecit: Addidit*, etc.... Nam

1. EITH, EID, הדה, *dilatavit*, *extendit.*
2. PHANU, בנו, BNU, PNU *aedificii*, *aedis.*
3. SATHEC, שטח, STHC, *solum* pavimentum aream.
4. LAUTN, לעתן, LOTN, LAUTN *Epulo*, praefectus sacris Epulis, ut saepius animadversum est.
5. PUMPUS: nomen Gentis Etruscae illustris, ut videre est etiam in Perusinis Inscript., quas edidit Vermigliolius tom. I. pag. 200. 201. ed. 2.

6. SCUNUS, US-SCUN, US, איש AIS, *vir*, *homo*, שאן, SCAN, SCUN *quiescat*, *requiescat*.

7. SUTHI, צוד, TSUD, TSUTH *Cryptae*, *Hypogaei*, ut saepius dictum est.

8. TUIN: in Ectypo corrupta lectio: Id visum satius colligere. Nempe תון TUN, TUIN *cellam* conclave.

9. PHLESXNA, nempe PHLES-XNA, PHLES, ipsum פלש PHLS *aequavit*, *exaequavit*, *direxit*: XNA est צנע TZNO, *artificiose*. Haec vox occurrit ter in hac Inscriptione. Et si semel clare est PHLES-XNA bis in Ectypis legitur potius PHLE-N-XNA: quae si vera lectio est sententia etiam opportuna. Nam PHLE, vel est a פלל PHLL, פלה, PHLE, *separare*, *distinguere*, dividere: vel est a פלא PHLA *mirus*, *egregius*, *excellens*. Et adeo *egregie*, eximio artificio *operatus est*, effecit etc.

10. TEIS: תשע, TSO, TEIS *novem*.

11. NIKA: a נוח NUC *requietorios*, *loculos*, *forulos*: Nobis quasi *nicchi*.

12 CAL, KAL, QAL, קלא, QLA, KLA, *fodit*, *effodit*.

13. IPA, UPA, ופא, UPA, *addidit adiunxit*.

14. MAANI, מאני, MANI *Vasa*, *crateres*, *catinos*; *Urnas*, *Sarcophagos*.

15. TINERI, טנר, THNR, TINERI Chaldaeis *lapis*, *petra*, adeoque *lapideos*.

16. NUTHISUS, US-NUTHIS, US, *eos*, נטש, NTHS *latos* magnos *amplos*. Nam Crypta haec recentis aetatis: ea nempe qua iam plures componi potius corpora et cadavera Sarcophagis, quam tenues Cineres parvâ Urnâ colligi amabant.

17. NAMU, נמה, NME *augeri*, crescere, multiplicari; scilicet, *plures* numero, *multos*.

18. TNEI: תנה, TNE *dedit*, *fecit*.

19. IPA, *addidit* etc. etc. quae nec legi nec verti possunt.

VIII. *Inscriptiones Perusinae.*

1. *Inscriptio prima.*

CEHEN CEL TEIA TPR NTHNA THAURE STHANR.

Haec lapidi inscripta invento in Agro Perusino, et qui stare non potuit nisi ad Sepulcra: Editus is a Vineiolio in *Racc. Calogerian.* tom. XVI. p. 338. a Lanzio *Sagg.* II. n. 19. pag. 509. 510. Vermigliolio *Iscriz. Perug.* I. pag. 140. 141. Lanzius more suo saltuatim et incertus vertebat: CEHEN CEL *iussus caussa*, quia CEHEN est ἕνεκα, et CEL, κέλω, *iubeo.* TEIA Θεῖος, *deia*, *divina*; hinc *Arnthina Thauris Thana.* Nos contra putamus hanc Inscriptionem esse Liturgicam, et positam a Sacerdote Collegii *Acherontici*, ut quies *Lemuribus* daretur, et *Cineres* conditi a vexatione *Larvarum* liberarentur; et adeo vertimus: *Sacerdos orando adfixit Cineribus vagantem Lemurem, Purificavit Monumentum.*

1. CEHEN, Vermigliolus CEHEI, nempe hastula literae aetate consumta: CEHEN sincera lectio, quae Lanzii, et Vineiolii כהן KEN, *Cehen*, *Sacerdos*, Sacra et liturgica persona.

2. CEL, קול, QOL, קלא, QLA, *voce*, *inclamatione*, *inclamando.*

3. TEIA, ut omnes legerunt praeter Vermigliolium, qui legere maluit TEXA: TEIA est תאה TAE, vel תוה, TUE, *determinavit*, definivit, circumscripsit, *conclusit*, *inclusit*, *adfixit.*

4. TPR, ita clare Lanzius, nempe TBR, שבר, SBR, *fragmentis*, *reliquiis* Defuncti, ut iam saepius vidimus.

5. NTH, ND, NOD, נד, ND, נוד NUD. *vagam*, *vagantem inquietam Animam.*

6. NA, a נוע, NOO, נע, NO, NA *vagus*, *vagans*, mobilis, incertus, quod ut alias etiam animadversum factum egregio consilio, ut certiore vocabulo ex duobus Synonymis condito *Lemures* et *Larvae* indicarentur: *les Revenans.*

7. THAURE טהר THER, THAURE *purgavit, purificavit, expiavit.*

8. STHAN, SDAN, vel a שהר SED, M-SED Arabibus *Monumentum, cippum sepulcralem*, sepulcrum: vel a שדה, SDE, *tellurem*, locum, ubi positus defunctus, vel a סוד SUD, SUTH STHA *arcana, mystica* prece; vel a שטן STHN רעע ROO *Daemone malo.*

2. *Inscriptio secunda Perusina.*

...CA SUTHI....ERE. AMCIE. TITIAL CAIF..... RESTIAS CAICA...RATHSIE APERUCE...ICA TUICESU...USEE REIFACA..URANE CARES CARAT SECFU..

Haec inscripta Lapidi quadrato Perusino. Primus, ut puto, exscripsit, et satis accurate Saeculo XVI. Michaultius Bruxellensis, ex cuius Schedis ann. 1588 vulgavit Lipsius in *Collect. Smethiana.* Hinc Gruterus in *Thesauro Inscriptionum veterum.* At procedente iam Saeculo XVII. aliud Ectypum edidit Felix Ciattus Perusinus in *sua Perug. Etrusc.* I. p. 51. Inde edebat Amadutius in *Alphab. Etrusco* Lanzius *Sagg.* II. Pag. 510. laudabili cura utramque lectionem Michaulti, nempe et Ciattii comparatam edidit. Vermigliolius tandem in *Iscriz. Perug.* I. p. 73. 74. Edit. I. et pag. 130. 132. ediz. 2. ex propria lectione et studio proprio edidit. Lanzius cit. loc. habuit hoc Monumentum quasi *Donarium* factum a *Restia Iunoni Herae* et *Veneri Uraniae.* Tum Vermigliolius hanc Inscriptionem dixit habendam esse ex Χαριστηριοις, quae ipse novit. Nos vero tenemus esse funebrem et liturgicam non historicam, et positam in aliqua funebri Crypta insigni, qua Sacerdotes de praecipuis ritibus monerentur et instruerentur, quum *Urnae* funebres in eam inferrentur, vel anniversaria sacra celebrarentur. Adeoque Inscriptionem etsi luxatam, et fractam ita vertimus. *Huius Cryptae* (Sacerdos) *inspiciat Reliquias; Titialis obtegat; Restias inclamet; Flores spargat. Clamet, Dive* Χρηςε, *Sa-*

lus abundet tibi: *Canant*, *sileant. Finis ceremoniae.* Nam:

1...CA SUTHI secundum lectionem Vermigliolii, et Michaulti apud Gruterum, nempe ECA SUTHI *Huius Cryptae*, huius hypogaei, ut vidimus pag. 201. 202.

2. ......ECE, et si vis RE KE, ראה RAE, RE, *videre inspicere*, agnoscere. Nempe *inspiciat*, *agnoscat Sacerdos*, *Praeses*, praepositus, quae vox deleta est in lapide.

3. AMCIE, MACIE, non ab עמק, OMQ *caverna*, sed a מקה MQE AMKE *mucor*, res mucida, *reliquiae* cadaveris.

4. CAIF ipsum חפה CPHE CEF *tegat*, obtegat, contegat.

5. RESTIAS, AS-RESTI, AS, איש AIS *vir*, *homo* רצה, RTZE *benevolentiae*, *placationis*, *reconciliationis*: Scilicet arbitramur RESTIAS dictos fuisse ab Etruscis *Sacerdotes* illos funebres et Acheronticos, qui *Manes inclamarent*, placarent, per pias preces et vocabula fausta *benevolos* reddere conarentur.

6. CAICA ita Ciattus, Michaultus CAIEA, Vermigliolius CAL CA, puto ex falsa et cryptica interpunctione esse CAI: CA, nempe חכה CKE, CAIK, *clamet* cum gemitu, *inclamet* cum dolore, nomine Defunctum *vocet*, *advocet*.

7. RATSIE ipsum רטש, RTHS, RATSE *spargat*, *adspergat*, iaciat.

8. APERUCE ipsum פרח, PRC, insertis vocalibus APERUCE *flores*, *germina florentia*, *ramos floridos.* Unde Virgilius V. Aen. v. 76., 79. *Ad tumulum.... Purpureosque iacit flores*, *ac talia fatur.*

9. CAICA, iterum, ut ex fragmentis clare colligitur: *Inclamet*, *clamet* חכה, CKE, חהכ, CEK, CAIK.

10. THUI, DUI, DUVI, DIVE, *Sancte*, *Manis*, *bone*: ut Virgilianus Aeneas libr. V. v. 80. *Salve*,

Sancte parens, *iterum salvete recepti* » *Nequidquam cineres*, *animaeque*, *umbraeque Paternae.*

11. CESU, חסה, CSE, *pie*, *bone*, *sancte.*

12. USEE, ישע, ISO, *Salus*, *salvatio*, *liberatio*, *redemptio.*

14. REIFACA, ut clare Michaultius, ipsum רפה, RPHC *abundet*, *superabundet*, felicem te faciat, reddat beatum.

15. URANE a רנן RNN, רנה, RNE URANE, canant, *vociferent*, *inclament* flentes gementes.

16. CARES, חרש, CRS *sileant*, silentes maneant, *silentio* Manes silentes coli aequum et congruum est.

17. CARATH, קרת, KRTH, *finis*, *terminus*, complementum.

18. SECF, ita clare Michalltius, quod est ipsum שקפ SKF, *spectaculi*, spectationis, *ceremoniae*, Ritus funebris.

3. *Inscriptio tertia Perusina.*

CEHEN SUTHI HINTHIU THUES SAINS ETBE THAURE LAUTNE SCLE CARE SRI. AULES LARTHIAL PRECU TRURASI LARTHIAL ISFLE CESTNAL CLENARASI ETH PHANU LAUTN PRECU IPA MURXUA CERURUMEIN HEC XRI TUNUR CLUTIFA XELUR..

Haec magnis et elegantibus literis insculpta leguntur parieti Turris Perusinae, quam modo dicunt *Sancti Manni:* Eaque ediderunt Bonarota ad *Dempster.* pag. 98. Maffeius in *Osserv. Lett.* V. p. 302. Gorius et Passerius in *Mus. Etrusc.* tom. III. pag. 107. 108. Lanzius *Saggio* II. pag. 514. 515. Vermigliolius *Iscriz. Perug.* Ed. I. pag. 64. 65. Edit. II. pag. 118. 119. aliique plures. Interpretari vero et explicare conati sunt sive pauca, sive plura attingentes, Passerius loc. cit. Stanislaus Bardettus in *Lingua de' primi abitat. d' Italia* cap. VII. p. 244. 245. Lanzius loc. cit. Ludovicus Coltellinius peculiari

libello, quem non vidi, Vermigliolius loc. cit. Ioh. Ant. Cassittus apud Vermigliol. *in Opuscul.* tom. IV. pag. 198. Vincentius Campanarius in *Giornal. Arcad. Roman.* 1825. pag. 48. 61. quorum versiones curiosus Lector ex citatis locis petat; illaudabili enim labore nos hic adduceremus.

Nos enim arbitramur hanc Inscriptionem esse liturgicam et ritualem, et designare ceremonias, quae essent peragendae in solemni et generali Parentatione defunctorum, qui in ea Crypta fuerant recepti. Quod si convivium et ceremoniae nimis magnificae et amplae videantur, illud, mea sententia, est tenendum hanc funebrem Turrim non spectasse ad privatam aliquam Familiam, sed ad Corpus *Larthum*, ad Collegium aliquod Nobilium, ad Congregationem plurium Personarum illustrium, adeoque sic vertimus:

Sacerdos Cryptae Conclave pollutum succinctus tunica purificet: Epulo perite paret convivium: Salius, Praeco, Concionator, Larthialis Hydriarius, Culcitrarius, Clenararius exornent Fanum: Epulo et Praeco addant Myrrhae Vasculum, Lancem Pomorum Granatorum, Lecythum Olei, Fuscinulas, glomos Lanae: Orent..... Nam

1. CEHEN est ipsum כהן, KEN, CEHEN, *Cohen*, *Sacerdos*, Sacris praepositus, praefectus.

2. SUTEI צוד, TSUD, SUD *Cryptae* aedis funebris.

3. HINTHIU, HINDIU, ipsum חדע HDO HDIU. inserta nasali HINDIU *penetrale*, *cellam*, *conclave*: Potes etiam deducere a חן-טע HN-THO: טע, THO, *locus sedes;* חן HN *habitabilis*, ubi *habitamus*, *manemus*.

4. THUES ipsum טוש; THUS *inpurum*, *profanatum*, immundum: Neque hoc mirum: Nam a quocumque *funere aedes*, *cella*, templum *polluebatur*, et erat expiandum. Adeoque *Crypta* funebris frequenter expianda, ubi ceremoniae aliae erant peragendae.

5. SAINS est שנם, SNS, *praecinctus*, *succinctus.*
6. ETBE, TEBE, ipsum תוב, TOB, TEB, *tunica*, veste: Nam multa sacra peragebantur a *succinctis*, et peculiari forma, ut *Gabinus* ritus Romanorum celebris.
7. THAURE ipsum טהר, TFER, THAUR, *purget*, *expurget*, purificet.
8. LAUTNE, *Epulo*, convivio sacro Praepositus, director, Magister: A לעט LOTH, LAUTH, *cibare*, *pascere*, a לתא, LTA, LAUT *dentes molares*, *masticare*, *mandere* : a לע-תן, LAU-TN *ad edendum dans*, ad comedendum praebens, ut alibi etiam diximus.
9. SCLE, שכל, SCL *intelligenter*, sapienter, *perite.*
10. CARE כרה KRE *paret cibos*, praeparet convivium, instruat epulas.
11. SRI, שרה, SRE, vox homiodynamica repetita ad clariorem intelligentiam, שרי, SRI, *cibus*, *epulae*, *dapes* : epulari, convivari.
12. AULES, עלם, OLS, AULS, *Salius*, Saltator, *Sacerdos Salius.*
13. LARTHIAL, *Larthialis*, ad *Larthes* spectans; ex ordine Nobilium.
14. PRECU, *Praeco* Latinorum, promulgator legum, praeceptorum, a בראח BRAC, qui *indicit*, *promulgat*, *intimat.*
15. THURASI, DURASI, דרש, DRS *explanator*, *exegetes*, *concionator*, qui explicat praecepta, iussa, leges, ritus, ceremonias.
16. LARTHIAL, ad *Larthes* spectans, *nobilis*, ex optimatibus, non ex Plebe.
17. ISFLE a ספל, SPL, SFL, ISFLE *Hydria*, lagena, phyala. Scilicet *Larthes* destinatus praepositus ad χοας, ad *libationes*, ad *libandos* Defunctis et *Manibus liquores sacros.*
18. CESTNAL, CEST-NAL, qui NAL, NEL, נהל, NEL, *adducit*, *gestat*, *portat* כסת, KST, CEST, *pulvinaria*, *culcitras.*

19. CLENARASI, CLENA-RASI, nempe RASI, רשי RSI, *conquisitor*, adquisitor, creditor, foenerator, כלן, KLN, *Chlaenarum* mensalium, convivalium, Vestium.

20. ETH, ED, OD, עד, OD, OTH, *ornent*, *exornent*, parent, apparent.

21. PHANU, *Fanum*, *Cellam* convivalem, a בנה, BNE, *aede aedificio*, Fano, vox, ut videtur Idiomatica.

22. LAUTN, PRECUS, *Epulo*, et *Praeco*, ut dictum paulo supra.

23. IPA, ופא, UPA, *addant*, adiiciant, adiungant.

24. MUR, מר, *Myrrhae*, Defunctis sacrae: Etsi Myrrham per veteres leges in Romanis funeribus vetitam plures falso teneant, ignorantes quid sit apud Festum *Murrata Potio*: nec memores Martialem libr. XI. Ep. 54. scribere: *Et olentem funera Myrrham:* et similia plura apud alios inveniri.

25. XUA, TZUA, צעה, TZOE *Cyathum*, scutellam, vasculum.

26. CERU, כור, KUR, CURU *Pelvim*, Lancem.

27. RUMEIN, ipsum רמן, RMN, RIMNO, RUMEN, *malorum Punicorum*, *Granatorum*; quae etiam Diis Inferis sacra, et singillatim Baccho, et Proserpinae, ut in *Pantheo Etrusco* animadvertimus.

28. HEC, חוק HUK, חק HQ: *Pyxidem*, vasculum, sinum, lecythum.

29. XRI, TZRI, יצהר ITZER, IXER, XRI *olei*, pinguedinis oleosae.

30. TUNUR, צנר TZNR, *canaliculos*, *fuscinulas*, tridentes, instrumenta, nempe quibus cibi saepe adsumuntur, arripiuntur, efferuntur.

31. CLUTIFA; CLU-TIFA. CLU, GLU, nam Etrusci caruerunt G, גל GL, *pila*, *glomus*, TIFA est צופ, TZUPH, TUF *Lana*, *vellus*, in ceremoniis funebribus adhibita, et saepe defunctorum collo suspensa.

32. XELA TZELA, ipsum צלא, TZLA, *orent*, *precentur*, preces fundant.

4. *Inscriptio quarta Perusi a.*

EULAT TANNA LAREXUU AME FACHR LAUTN FELTHINA SEST LA APHUNAS SLEL ETH CARUTEXAN PHUSLERI TESNES TEIS RASNES IPA AMA HEN NAPER XII. FELTHINA THURAS ARAS PERAS CEMUL MLESCUL XUCI ENESCI EPL TULARU.

AULESI FELTHINA SARXNAL CLENSI THII THILS CUNA CENU EPLC PHELIC LARTHALS. APHUNES CLEN THUN CHULTE. PHALAS CHIEM PHUSLE FELTHINA HINTHA CAPE MUNICLET MASU NAPER SRAN CXL THII PHALSTI FELTHINA HUT NAPER PENEXS MASU ACNINA CLEL APHUNA FELTHINAM LERXINIA INTE MAMER CNL FELTHINA XIA SATENE TESNE ECA FELTHINA THURAS THAURA HELU TESNE RASNE CEL TESNS TEIS RASNES CHIMTES PELTHUTAS CUNA APHUNAM ENAHEN NAPER CI CNL HAREUTUSE.

Haec insculpta sunt in prima facie ingentis Cippi quadrati lapidei inventi in Agro Perusino anno 1822. Ea statim et saepius edidit cum adpendice, de qua etiam nos paulo post, multa semper cum laude nominandus Perusinus Vermigliolius: quin commentario instruxit ann. 1824. et locum in suis *Iscriz. Perug.* 1832. pag. 85. 90. opportune dedit. Edidit etiam Franc. Oriolius in *Antol. Florent.* 1824. 1825. Hinc Vincentius Campanarius in *Giorn. Arcad. Roman.* 1826. tom. XXX. pag. 293. ad 349. et 1827. tom. XXXIV. pag. 47. 206. etc. etc. Accessit tandem, Desiderius Maggius, qui animadversiones suas vulgavit in *Letter. di Etrusca Erudiz.* Franc. Inghiramii pag. 219. ad 240. Horum autem Interpretationes, coniectiones, explicationes petat curiosus lector ex ipsorum operibus.

Nostra vero huiusmodi: Arbitramur scilicet rarissimum Documentum Etruscae Civilitatis hoc Cippo

contineri: *Legem* scilicet *operis faciendi*, ut Romani dicebant; cuius illustre exemplum est in *Lapide Puteolano*, qui incipit *a Colonia deducta:* quodque olim Marquez Mexicanus, nuper Guarinius, et Zannonius illustrarunt, capta occasione a *Dissertatione* nostra lecta in Academia Herculanensi, qua interpolationem inscite adiectam, non ipsum Fragmentum *Inscriptionis* impetebamus, affirmantes Fragmentum quidem genuinum, sive ex alio marmore, sive ex aere deductum, at falsis Epochis et nominibus auctum. Quoad Cippum autem Etruscum putamus agi de erigenda, ornanda, extruenda Turri funebri, quo clari nobiles et insignes Viri Perusini defuncti inferrentur: et quidem post instaurationem Urbis factam, bellis Civilibus absolutis, et plurimis familiis illustribus ex aliis etiam Urbibus Etruriae Perusiam confluentibus, et ad eam se se colligentibus: quin *Turrim* hanc funebrem tum faciendam putamus esse ipsam *Turrim*, quae modo dicitur *Sancti Manni*, et in qua insculpta est maxima et pulcherrima Inscriptio funebris et liturgica, quae adhuc agnoscatur, et paulo supra explicata pag. 219. 222. Quam *Turrim* usibus funebribus destinatam certissimis argumentis constat, quorum plura attulit Vermigliolius in *Iscriz. Perug.* I. pag: 126. 127. aliaque dubio procul detegent, qui laudabili labore ad eam lustrandam et examinandam accedunt.

Hinc vertimus: *Cippus docens Decretum Larthum, coniuncto consilio factum, ponendi Arcem funebrem convivalem; adiectis rationibus extruendi, exornandi Urnis funebribus, Simulacris per* 99 *mensuras. Addendae simul mansiunculae excavatae, Contignationes Turris, cubilia, velamenta, praemium eloquentiae et prudentiae illustrium Virorum, elevato Titulo.*

Exclusi e Felthina, sive Arce funebri, ignobiles, Rhetores inepti, mendacibus Titulis famosi, ca-

rentes claro nomine, laborantes in arvis Larthum.

Leges Operis faciendi constitutae studio Societatis.

Altitudines murorum exaequandae, Conclave, Cavea, loculi, ambulacrum excavandi; Convivalia stragula abundanter paranda. Felthinae termini effodiendi: Aedis egressiones, ambulacra, mansiunculae perforandae. Leges ad Felthinam spectantes Larthum malignorum praeordinato sermone factae silebunt. Felthinae pars spectabilis hic ponenda 90 modulorum erit. Felthinae contignationes purae erunt altae 90 mensuras; Universa 99 mensuris constabit; quinque depressionis. Iurisperiti definient leges, discretiones effossionum. Hic silebit ira consulentibus, et indicantibus.

1. EULAT est ipsum עלת OLT, עלות OLUT Syrorum et Poenorum, *Ara* nempe, *Cippus*, res alta, elevata, posita, erecta ad aliquid monendum et indicandum.

2. TANNA, a תנה, TNE, TANE, TANNA *narrans, docens*, referens, unde Chaldaeis תנא, TNA, doctor, praeceptor, et TANNAIM *doctores* illustres Rabinis.

3. LAREXUU: Editum LAREXUL, quia L Etruscis ita saepe simile est U, ut vix discernantur. Scribendum LARE-XUU, sive LARE-TZUU *Larium, Larthum*, צוה TZUE *iussum, praeceptum, Scitum*, nempe *Senatus-Consultum*.

4. AME ipsum αμα Graecorum, et עם, OM, Orientalium *una, simul*; coniuncto, adsociato consilio:

5. FACHR, ipsum פכר, PHKR, FCR *consilio*, deliberatione, voluntate.

6. LAUTN, לעתן, LOTN *conviviale, epulare*, ut alibi adnotavimus: Neque hic inopportune: Nam ut notum ex plurimis etiam Inscriptionibus Romanis nullae solemnitates apud Veteres, ne funebres quidem, absque sacris, solemnibus, et splendidis Epulis.

7. FELTHINA est ipsum Arabum בלדין BLDIN BELTHINA, *aedes*, *turris*, *palatium*, coemeterium, nosque, ut iam indicavimus, putamus esse ipsam *Turrim* Perusinam dictam *Sancti Manni*; salvis detrimentis per duo fere annorum millia factis.

8. SEST, ששות, SSUT, *ponenda*, *fundanda*, exstruenda a שות SUT *ponere*, et ש intensivo addito, vel relativo.

9. LA, לוה LUE *addere*, *adiicere*, additis, adiectis.

10. APHUNAS, AS–APHUN, AS, יש, IS signum numeri pluralis: APHUN ipsum אפן, APHUN, *norma*, *forma*, instar legis, scilicet additis *legibus*, formis operis faciendi et exsequendi.

11. SLEL ipsum סלל, SLL, SLEL *elevandi*, attollendi, substernendi, lapidibus sternendi.

12. ETH, ED ipsum עד OD, *ornandi*, *exornandi*, *parandi*.

13. CARUTEXAN, CARUT–ETZAN *Urnis* funebribus, *Arculis* sepulcralibus, loculis defunctorum. Nam קרץ, QRZ, Etrusco ore et scriptura CARUT, est *Sepulcrum*, *sepulcralis*, funebris, et ETZAN, צנע TZNO artificium, *opus*, labor, opificium, ut sunt *Urnae funebres* Etruscorum.

14. PHUSLERI, PHUSL–ERI, nempe Imaginibus, *simulacris*, iconibus, sociis, adiunctis, adsociatis, Nam PHUSL est ipsum פסל, PHSL *Imago*, *Simulacrum*, *Icon*, et ERI est רעה ROE *socia*, *adsociata*: Nemo autem ignorat opercula Urnarum funebrium Etruscarum fere omnium esse facta ex *Iconibus* et *simulacris* eorum, quorum cineres in *Urna* conditi et compositi.

15. TESNES: ES–TESN usque ad תשע, TSO, תשעין, TSOUN *nonaginta*.

16. TEIS, תשע, TSO, TEIS *novem*.

17. RASNES, ES–RASN, *mensuras*, modulos. Genus *mensurae* linearis, ut nos certo tenemus. Etiam Rabinis רסן RSN·RASN est *mensurae* genus, et ma-

net adhuc, ut puto, lapis Etruscus indicatus a Bonarota et aliis, inscriptus RASNAL, ex quo *Typus* civilis *mensurae* RASN accurate insculptae servetur ad rei memoriam et demonstrationem. Vide superius adnotata pag. 188. 189.

18. IPA. vel ופא, UPA, *addere*, *adiungere*, addenda, adiungenda.

19. AMA, Graecum ἄμα, Semiticum עם OM, OME, Latinorum *cum*, *una*, simul, etiam.

20. HEN, חין, CHIN, *sinus*, caveas, *forulos*.

21. NAPER, NBR, נבר NBR, *excavare*, excavatos, XII. duodecim.

22. FELTHINA THURAS, *Felthinae* aedes, *contignationes*, *Tabulata*. Nam THURAS, AS-THUR est a טיר THIR, contignatio, conclave.

23. ARAS, ערש ORS *lecti*, *strata*, cubilia.

24 PERAS פרש PRS, *vela*, velamenta, aulaea, stragula lectorum.

25. CEMUL, GEMUL, ipsum גמל, GML praemium, compensatio, retributio.

26. MLE, מלא, מלל MLL, *eloquentiae*, eloquii.

27. SCUL, שכל, SKL, SCUL *intelligentiae*, prudentiae, sapientiae.

28. XUCI, TZUCI, ipsum צחח TZCC, *claris*, *illustribus*, splendidis.

29. ENESCI, אנש, ANS, ENESCI, hominibus, viris.

30. EPL, עפל, OPL, פלא PLA, *elevato*, elato, erecto.

31. TULARU, Stele, Titulo funebri, de quo diximus supra pag. 127. 128. 189. 190.

32. AULESI, non ex radice *Auli*, ut alias, sed quasi AUL-ESI; AUL, אל, AL *non minime*, vel הול, EUL *eual*, *turbare*, *deturbare expellere*: Nempe *eiectis*, expulsis ex *Felthina* nobili; ESI, איש, AIS *hominibus*.

33. SARXNAL, SARTZ-NAL, sive שרץ SARTZ, *ge-*

*

nerationis , *originis* , progeniei , nativitatis: NAL, נול NOL *inquinatae* , *sordidae* , maculatae.

34. CLENSI , a קלס QLS, inserta nasali CLENSI, *Oratoribus*, *Rhetoribus*, forensibus hominibus.

35. THII, DII, דוי DUI, *obscuris*, *minutis*, debilibus, infirmis.

36. THILS, DILS, ipsum דלס DLS *mendacibus*, *falsis* titulis, falsis nominibus notis, *Impostoribus.*

37. CUNA, כנה, KNE *Nominibus*, Cognominibus, Epithetis noti.

38. CENU iterum כנה KNE alia inflexione, *nomine*, *fama.*

39. EPLC, ipsum בלח BLC, *fatua*, *levi*, tenui, בלק BLQ *vacua*, *futili.*

40. FELIC פלח, PHLC, *Phellac*, *agricolis*, *cultoribus* arvorum, qui *agros* colerent, non proprios, non hereditarios; sed agros Larthum.

41. LARTHALS spectantes *ad Larthes*, *ad Optimates* : ita ut necessario essent humilis et abiectae conditionis.

42. APHUNES, ES-APHUN, ES signum pluralis numeri, אפן APHUN, *typus*, *forma*, *lex*, et adeo rationes, leges. Hinc autem incipit *tertia Pars Senatus-Consulti Perusini*, sive *Lare-tsuu Perusini*, quoad *Felthinam*, sive *Arcem funebrem* exstruendam.

43. CLEN, vox Idiomatica facta a קלא QLA CLA indicere declarare, CLEN *dictae indictae.*

44. THUN ipsum טן, THUN, טין, THIN, *studio*, *cura*, aemulatione.

45. CHULTHE, ipsum חלט, CLTH, *Societatis*, *Congregationis* : quae vox est sumenda stricto et vero sensu; Nam per intimam *adsociationem* aliquot insignium Virorum Perusinorum hoc consilium et propositum potuit statui, et leges aedificii describi, et opus absolvi.

46. PHALAS, vox, mea sententia, etiam idiomatica, et una ex paucissimis vocibus Etruscis adoptata a Romanis, ut patet ex Festo in *voce:* de qua diximus in FALANDO pag. 106. 107. et adeo puto vertendum *elevatio, altitudo*, a פלא, PHILA, *arduus celsus.*

47. CHIEM ipsum חומה CUME *muri*, murorum, parietum; Imo Tabernaculi, *aedis*, casae, חום, CUM.

48. PHUSLE, פצל, PHTZL, *excellens*, *praestans*, *eminens*, prominens.

49. HINTHA, HINDA, HIDA, חדע, HDO, HINDA *penetrale* cubiculum.

50. CAPE, כאפ, KAP, *cavea* Latinorum, a *cavitate* et *capacitate;* Nam Arx ista Funebris non plane tota extra Telluris superficiem esse debuit, sed eius pars etiam et necessario Hypogaea.

51. MUNICLET, ut et superius animadvertimus, pag. 209. *foruli, loculi.*

52. MASU, כמשא MSA, *ambulacra*, semitae, viae, per quas et in *Turrim* ire, et ex *Turri* egredi et abire commode possint omnes.

53. NAPER, NABER, נבר, NBR, *excavanda*, effodienda.

54. SRAN, a שרי־ן SRI-N, *habitacula*, *cellae.*

55. CXL, CTZL, ipsum חצל CTZL, *fiant*, producantur, efformentur.

56. THII, טוע, THUO, tractus telluris, terra, regio

57. PHALS, פלס PHLS, *aequanda*, *exaequanda*, dirigenda, quia superficies inaequalis.

58. TI, ZI, זה, ZE *hic*, hoc loco, quo positus Cippus.

59. FELTHINA HUT, nempe חוצ, HUTZ, HUT, *fines*, *termini.*

60. NAPER נבר NBR *excavandi effodiendi :* dubio procul, ut locus fieret religiosus, ut erant omnes funebres, et adeo a profanis evidenti signo, sulco, vallo, muro, saepimento discerneretur.

61. PEN-EXS, PEN-ETZS, nempe, ריוה, BNE, PNE *aedis*, *aedificii*, יצא, ITZA, ETZ *exitus*, *egressus*.

62. MASU משא MSA, *semitae*, *viae*.

63. ACNINA, חנן, CNN, *mansiunculae*, *habitacula*.

64. CLEL חלל CLL *perforanda*, *transforanda*, effodienda.

65. FELTHINA APHUNAM, AM-APHUNA-FELTHINA; AM, עם, *quoad*, *circum*, *leges*, *rationes*, *Felthinae* :

66. LERXINIA, LER-TZINIA, LAR, Larthum, Nobilium, Optimatum, צנע, TZNO, TZNIA, *astutiae*, *fraudes*, calliditates, fraudulentiae.

67. INTEM, INZEM, quia Etrusci caruerunt z a זמם, ZMM, *prava*, *insidiosa*.

68. AMER ipsum אמר AMR, *verba*, *sermones*, loquutiones.

69. CNL, ipsum קנל QNL KNL *silebunt*, *tacebunt*.

70. FELTHINA, XIA, TZIA, *lux*, quae ad *lucem* est, *pars illustris*, et super terram :

71. SATENE, SAT-ENE, ENE ipsum הנה *hic hoc* loco, שות, SOT, *ponenda* aedificanda, quo Cippus infixus.

72. TESNE ECA, תשון, TSUN, איך, AIK, sive, *nonaginta*, *mensuris*, *modulis*, quantitatibus.

73. FELTHINA, THURAS, AS-THUR; טיר THIR, *contignationes*, elevatio murorum.

74. THAURA, טהר THER, *pura*, ad *lucem*, extra terram.

75. HELU, חול, HUL, חאל HAL *manebit*, permanebit, stabit.

76. TESNE RASNE *nonaginta mensuris*.

77. CEL, male editum CEI, כל, KL *tota*, *universa* altitudo

78. TESNES, TEIS, RASNES, *nonaginta novem mensurarum*, erit.

79. CHIMTE, חמש CHMS, Chaldaice CHIMT. *Quinque*.

80. SPEL, שפל *depressa*, *hypogaea*, sub superficie Telluris.

81. THUTAS, DUT-AS, AS-DUT. AS, AIS איש AIS *homines Viri*. DUT ipsum דעת, DOT, *legis*, *Iuris*, nempe *Iuris periti Doctores:*

82. CUNA, כון, KUN, aptabunt, definient, determinabunt.

83 APHUNAM, AM APHUN totum hunc Typum, hanc Normam, hanc Legem:

84. ENAHEN, נחה, NCHE, NHE, in *deducenda*, disponenda, dirigenda, efficienda.

85. NAPER, נבר, NBR *effossione*, excavatione, opera:

88. CI, זה, ZE, hîc hac in re, hoc negotio.

89. CNL, קנל QNL KNL, *sileant*, *taceant*, *obmutescant:*

90. HARE, חרה, HRE *irae*, *iracundiae* privatae, affectus domestici.

91. UTUSE, עוץ OUTS, UTUS, *furores*, *odia*, inimicitiae, vel a יעץ IOTZ, IOTS, IOTUSE *consulentium*, *consiliariorum*, eorum, qui de hoc insigni opere consuluntur, et deliberabunt.

5. *Inscriptio quinta Perusina.*

In latere minori eiusdem Cippi Perusini haec adscripta:

FELTHINA SATENA XUCI ENESCI. IPA SPELA NETHI. PHULUM CHVA. SPEL THIRE NETHI ESTAC. FELTHINA ACILUNE TURUNES CUNE XEA XUCI ENESCI ATHUMICS, APHUNA SEPENTHNA AMA. FELTHINA APHUN THURUNI EINXERI UNACCHA THIL THUNCHULTHE LICH CACE CAXI CHUCHE.

Hanc autem Inscriptionem ediderunt et tractarunt iidem docti Viri, qui ediderunt, et tractarunt priorem et prolixiorem partem. Nos istam sic vertimus: *Arx funebris ponenda hic illustribus Viris; addendus Campus arboribus consitus, vallis pro-*

funda, campus arboribus consitus ad deambulationes tacitas. Felthinae reditus Iuris periti decernent ex legatis illustrium Virorum morientium. Exemplaria custodiet secreto et studiose Congregatio. Lex faciendae Turris servabitur coram elevato loco studio Congregationis in Tabulá sermonem proprium et patrium loquente: Nam

1. FELTHINA, ut vidimus p. 226. est ipsum בלדין BELDIN Arabum *Palatium*, et proprie domus, *Sepulcrum*, *Coemeterium*.

2. SATENA; SAT-ENA, SAT, שות, SOT, *ponenda*, *collocanda*, statuenda, ENA, הנה, ENE, *hic hoc loco*.

3. XUCI, ENESCI צחח,אנש, TZCC, ANS, *viris illustribus*, *claris*, ut dictum supra p. 227.

4. IPA, UPA; ופא, *addendus* adiungendus.

5. SPELA ipsum שפל, SPL, *planicies*, *campus* humilis, et depressus, locus non elevatus et sublimis, sed planus campestris.

6. NETHI, נטע, NTHO, *plantis ornatus*, *arboribus consitus*.

7. PHULUM ipsum פלום, PHLUM, *Valle*, loco palustri, humili, *aquoso*.

8. CHVA, חיב, CIB, CHIV *sinuoso*, *cavo*, profundo, non elevato sublimi.

9. SPEL, שפל, SPL, *campus*, *ager*, spatium, locus.

10. THIRE טיר THIR *deambulationis*, ambulationis.

11. NETHI, נטע, NTHO, arboribus consitus, *nemorosus*.

12. ESTAC, ipsum שתק, STQ, STK, ESTAC *tranquillus*, *silens*, silentiosus.

13. FELTHINA, *Arcis funebris*, Felthinae.

14. ACILUNE, AC-ILUNE, AC est איך, AIK, *modus*, *ratio*, quantitas, mensura; ILUNE ab ולה, ULE, ולן, ULN, ILNE, *reditus*, *tributi*, pensionis. Nam absque *reditibus*, absque vectigali constituto impos-

sibile et funera, et convivia, et solemnitates potuisse decenter curari et celebrari.

15. TURUNES, NES-TURU, NAS, נאס, NAS, *homines Viri*, תורה, TURE, *Legis, Iuris Iurisperiti, Iurisprudentes.*

16. CUNE, כון, KUN, *aptabunt, statuent*, iuste constituent.

17. XEA, TZEA, TZUA, צוה, TZUE ex *praeceptis, iussis*, voluntate, testamentis, codicillis, et voce populari et propria *legatis.*

18. XUCI ENESCI *Virorum illustrium.*

19. ATHUMICS: ipsum דמך DMC *dormientium, morientium*, qui diem suum obierint.

20. APHUNA: *Typi, exemplaria* Testamentorum, Codicillorum; statuta, iussa morientium, qui ratos reditus *Felthinae* relinquebant et adsignabant.

21. SPEN ipsum ספן SPN *condentur, recondentur*, secreto et occulto loco custodientur servabuntur.

22. THNA, טן, THUN, טנא, THNA *studio cura* attentione sedulitate.

23. AMA עמה, OME, *Synagogae, Congregationis, Societatis.*

24. FELTHINA APHUN THURUNI nempe APHUN *Typus*, lex, *norma* THURUNI טיר THIR *contignationis* aedificationis *Felthinae;* nempe ipsa *Lex operis faciendi :*

25. EINXERI, a נצר, NTZR, *servabitur, custodietur.*

26. UNACCHA ipsum נכחה NKCHE, *coram, ante oculos*, in adspectu, ob faciem omnium.

27. THIL, טלע, THLO, *alte, elevate*, תלה, TLE, sublimi loco posita, unde EULAT factum.

28. THUN CHULTHE, טן-חלט, THIN-CHLTH, *studio cura Societatis* Congregationis, Synagogae.

29. LICH, LUCH, לוח LOCH *Tabula, Cippo.*

30. CACE, חכה, CKE, CACE *Sermone, lingua*, loquela.

31. CAXI, CATZI, חצי, CTZI *propria*, *patria*, hereditaria, Etrusca:

32. CHUCHE ab ipsa Radice חכה CHEKE pronuntiatione ob significationem variata, nempe *loquente*, *dicente*, *narrante*, *docente*.

SECTIO V.

Exploratur relatio et mutuus nexus inter Hieroemblema vel Hierodrama Urnarum funebrium Etruscarum et Titulum adscriptum: sive tentantur Hieroglyphica propria Etruscorum.

CAPUT I.

Hieroemblemata, sive Monstra Tartarica.

I. *Capiti* MEDUSAE, cui sunt *alae* Vespertilionis: Titulus adscriptus: TITE. FIE. SIS: Scilicet Defunctus est *Larthes*, nam praenomen neglectum, ex Gente *Titia*, ex Familia *Fesia*, quorum integrum Hypogaeum edidit Vermigliolius *Iscriz. Perug.* I. p. 183. 190. etc. At cur effictum *Caput* MEDUSAE? Primo quia Symbolum non recens et Hellenicum, sed vetustissimum et *Cabiricum Tartari* ipsius et Sedis Infernalis, ad quam se recipi Defunctum putabant. Secundo, quia si interpungimus TI. TEFI. ESIS. sive TI. TEBI. ESIS habebimus: *Haec vindex et ultrix fortissima* improborum, qui Sepulcrum violarint, vel Defuncto nocere utcumque adtentarint. Nam TI, זה, ZE, TE *haec ista*, nempe *Medusa Tartarica*, TEBI תבע, TBO, *ultrix*, *vindex*, ESIS אשש, ASS, ASIS *fortissima* validissima, חשש ESS *effringens*, *confringens omnia*; quam potestatem tribuisse Veteres *Capiti* Medusae et Gorgonum iam alibi animadvertimus.

II. *Capiti* MEDUSAE in ingenti Cratere crispo pendenti, et fere abscondito praefixus Titulus: LARTHI SEIANTI PHRAUNISA ATIU NUTEIR: apud Bonaro-

tam ad *Dempster.* Tab. 82. Passerium in *Paralip.* pag. 11. et Lanzium II. *Sagg.* pag. 352. Scilicet est: *Larthia* Patre *Seiantio*, *Feroniae Sacerdos*, *Custos Signorum*; Ut in *Pantheo Etrusco*, de *Phraunia*, sive *Proserpina Etrusca* agentes explicamus; cuius haec mulier Etrusca dicitur אשה ASE foemina *Phrauniae*, consecrata in *Phrauniae* cultum: At si haec ipsa Vocabula interpungimus: LAR. THISE. IANTI. PHRAU. NISA. ATIUNU. TEIR: Habebimus: *Daemonem absconditum et pendulum*, *capillatum*, *alatum*, *serpentiferum:* quod ipsum est MEDUSAE *Caput* in Urnâ expressum. Nam

1. LAR, *Lara*, Lemur, quivis *Spiritus Tartaricus:* quivis *Daemon:*

2. THISE est טשא THSA, *absconditus*, occultatus in Cratere.

3. IANTI ipsum ינט, INTH, IANTHI, *pendet*, est *pendulum*, oscillat.

4. PHRAU, ipsum פרע, PHRO, PHRAU, *capillatum*, *comatum.*

5. NISA, נצה NTZE *alatum*, alis instructum.

6. ATIUN est a תנין, TNIN, ATNIN, *Serpentibus*, *Draconibus.*

7. UTEIR, TUIR, תור, TUR *circumdatum*, praecinctum. Quae omnia et singula sunt in Hieroemblemate proposito.

III. *Capiti* MEDUSAE, cui hinc inde adstant duae *Camillae Tartaricae* faciferae, adscriptus Titulus: AU. PULPHNA PERIS. AU. SEIANTIAL: supra explicatus pag. 171. 172. Et si Titulum interpungimus. AUPUL. PHNA. PERI. SAU. SEIANT. IAL habebimus: *Effera facies saevi vastatoris cupientis eminentiam Dei.*

1. AUPUL est ipsum עפל, OPL, AUPUL *effera*, *audax*, superba; PHNA, פני, PHNI, *facies vultus.*

2. PERI, פרא, PHRA *saevi* ferocis.

3. SAU, שאה SAE vastatoris.

4. SEI , סוה SUE *cupientis* desiderantis.
6. ANTI , נתה NTE ANTI *eminentiam* praestantiam
7. IAL , AL. אל , איל , AIL *Dei.*

IV. *Capiti* MEDUSAE adscriptum CAIA RUSFRIA ACRIS ; apud Gorium in *Mus. Etrusc.* III. 2. Tab. 14. Scilicet est *Caia* Patre *Rusfrio*, Viro *Acrio*. At CAIA , כאה KAE est *tristis* , *afflicta* , consternata : vel active *affligens*, *consternans*: RUSFRIA est RUSFRIA, est רשף, RSPH , *Daemon malus* , *noxius*: et RIA רעה ROE , est *malus, nequam.* ACRIS est קרם, QRS , KRS, *tortus* , *distortus* , pravus , depravatus, ut *Medusa* Tartarica.

VI. *Capiti* MEDUSAE glossecphorae adscriptum : SAELIU CAPNAS TL. apud Gorium *Mus. Etrusc.* I. Tab. 67. et Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. pag. 226. qui prave vertit : *Salvia Capevania.* Nos contra arbitramur spectare Titulum ad aliquem *Larthem* Gente *Saelia* , Familia *Capnas* , putamusque TL , esse Chaldaice , pro SL , שלה, SLE , *quiescat* , *requiescat*: idque additum sollerter ad Lemma efficiendum: *Tartarus corripiens Homines pueros*; quum שאול SAUL, SAELIU sit *Tartarus*, כאפ KAP *capiens*, נאס NAS *Homines*, טלי THLI *pueros*. Nam Veteres putabant esse quosdam Daemones , sive *Lamias* sive *Striges*, quarum Symbola et Emblemata Medusae et Gorgones Glossecphorae habenda sunt, quae *infantes* et pueros avidissime quaererent, et arriperent, et necarent, ut *Lilitha* Iudaeorum.

VII. *Capiti* MEDUSAE adscriptum : LTH. PERIS MATUSNAL : apud Vermigliolium in *Sepol. Chius.* et *Opusc.* IV. p. 17. et 25. qui non recte vertit : *Larthia Peresia Matusia nata*: Est contra : *Lethus Perisia* familia , Matre *Matusia*. Qui *Lethus* adsumsit Stemma *Medusae* dubio procul a Nomine Matris *Matusiae* , ob homiophoniam quasi *Metuseae* et *Meduseae.* Quin si interpungimus Titulum : LTHPE. RIS. MATUS. NAL. habebimus : *Malum caput Medusae impurae.* Nam :

1. LTHPE est לטפ LTHP, *malus*, *peior*. 2. RIS, ריש RIS *caput capitis*. 3. MATUS; MEDUSAE, homiophonice. 4. NAL, נול, NOL *foedatae*, maculatae, *impurae*.

VIII. *Dramati* SCYLLAE, quae Serpentinis voluminibus duas mulieres alligatas et prostratas tenens, duos alios viros intorquet, praefixus Titulus: LA. SENTIPATE ATHUNIAL: apud Bonarotam ad *Dempster*. Tab. 80. Passerium *Paralip*. p. 127. Gorium in *Mus. Etrusc*. I. Tab. 14. Lanzium *Sagg*. II. pag. 442. Passerius et Lanzius dederunt SENTINATE, et recte, quoad genuinam Nominis lectionem; sed acutus scriptor Tituli, ambigua litera usus fuerat, ut sententiam arcanam certe constitueret, et nomen notum non corrumperet: Quamobrem si certum est legendum SENTINATE, qui est *Larthes* Gente Paterna *Sentinate*, Materna *Athunia*, legendum est *Sentipate* ex arcana lectione: Nempe: LASE. NTIP. ATE. ATHUN. IAL. Scilicet *Lasa involvit advenientes Serpentibus pessimis*. Nam 1. LASE לישא, LSA *Lasa* nomen statum et solemne Etruscorum datum *Spiritibus malis*, malignis, noxiis a לישא, LSA *perdere*, *nocere*: 2. NTIP est ipsum נתפ NTP, *involvit*. *obvolvit*, intricat, circumagit. 3. ATE, אתה ATE *venientes*, advenientes. 4. ATHUN, אטון, ATHUN *funibus*, *funiculis*, vinculis. 5. IAL, עול, OUL, *malis pessimis*, nempe Serpentinis.

IX. *Dramati* HIPPOCAMPI sive *Equi marini* bicaudati, cui adiectum Acrostolium Navis, Titulus adscriptus: THANA ARINEI PERISALISA: Apud Vermigliolium in *Sep. Chiusin*. p. 12. et *Opuscul*. tom. IV. pag. 16. qui non recte vertit: *Tannia Arrinia Peresia nata*: quum sit *Thana Arineia uxor Perisii*; vid. pag. 175. Et si interpungimus *Tha. Naari. nei. Peris. Alisa*; habebimus: *Regionem aquarum habitat Equus malus*. Nam: THA est טע, THO, THA, *Regio*, locus, sedes: 2. NAARI. ipsum

נהר NER, NAAR, aquae, *mare*. 3. NEI, נוה NUE, *habitat*. 4. PERIS. פרס PRS *Equus*, caballus. 5. ALISA, לשא, LSA, *maleficus*, pravus. Etruscis autem etiam *Hippocampum* fuisse Symbolum atque *Emblema Tartari* et Daemonum Tartaricorum animadvertemus *in Pantheo*.

X. *Dramati* GRIPHI, qui prostratum hominem est voraturus, adscriptum: SEPHRI CAPNAS: apud Bonarotam *ad Dempster*. I. pag. 464. Vermigliolium in *Iscriz. Perug*. I. p. 225. 226. qui vertit *Sephria Capenis*, cum probabilius sit *Larthes* Gente *Sephria* familia *Capnas*. Is autem *Larthes* adsumsit hoc Hieroemblema, quia et GRYPHUS Etruscis Symbolum *Daemonum Tartaricorum*, et qui vitam hominibus auferrent, et mortem inferrent: et SEPHRI est vox homiophona צפיר, TZPHIR, CEPHIR uni ex vocibus, quibus GRIPHUS Cryptice conditus, ut diximus in *Tentamine. Hermen. generali* pag. 37. 38. CAPNAS, ut modo diximus pag. 236. est *capiens*, *arripiens*, vorans *Homines*.

XI. *Dramati* FURIARUM vindicum, quo nempe *Furiae* taediferae acriter insectantur Virum nudum socio suo adhaerentem, et contra obstantem adscriptus Titulus: AILESI ARCUNA SPC; apud Gorium in *Museo Etrusco*: I. Tab. 151. Scilicet Urna funebris videtur posita *Aelio Arcunio*: sed Titulus aperte aptatus ad arcanam Dramatis interpretationem. Nam quid ad Nomina Personalia SPC? Nemo adhuc explicuit; nec alibi vox occurrit. Est quidem שבח SBC, SPC *Laus*, *gloria*, *canticum*, est שבק SBQ, SPC, *indulgentia*, remissio, misericordia: Et hoc Defuncto opportunum: sed si interpungimus. AIL. ESI. ARC. UNA. SPC: habemus: *Furentes mulieres veniunt opprimere socios*: quod Dramate exprimitur. Nam

1. AIL est הלל ELL, *furere*, *furore* agi, furens, *furia*.

2. ESI, אשה, ASE, *mulier*, mulieres.
3. ARC, ארח ARC *veniunt, adveniunt*, gradiuntur.
4. UNA, ענה, IUNE, *vexare*, *opprimere*, angere.
5. SPC ספח, SPC *Sodales*, *Socios*, coniunctos, ut Orestem et Pyladem, quos ipsos, si quis in Dramate Etrusco velit agnoscere, haud adversamur. Nam Hierographos Etruscos Graecorum Mythos Parodiace saepe in usos suos adsumsisse et adhibuisse certum est, ut in *Disquis. de origine Hierograph. Etruscae* pluribus ostendimus.

C A P U T II.

Scenae funebres, et Tartaricae.

I. *Dramati*, quo *Funus* Etruscum insigne exhibetur, adscriptus Titulus: AELES CNEPHES LARTHIALISLA. Ediderunt Gorius et Passerius in *Museo Etrusc.* III. pag. 79. 80. Tab. 20. 21. Maffeius in *Osserv. Lett.* VI. p. 117. 118. Lanzius *Saggio* II. Tab. XIII. 5. pag. 350. 351. Inghiramius *Monum. Etrusc. Serie* VI. Tab. Z. 2. Vermigliolius *Iscriz. Perug.* I. p. 144. 146. Tab. VI. qui falso vertit *Aeliae Gnaviae Larthiae filiae*: quum defunctus sit mas, et mihi sit *Larthes* ex Gente *Aelia*, ex Familia vel Collegio *Cnephio*, ex matre etiam *Larthia.* Nam *Puellus* dubio procul defuncti filius a *Muliere* et adeo summa probabilitate *Matre*, sive Uxore *Defuncti* pronus trahitur ut osculetur vel utcumque contingat *Patrem* defunctum: quam ipsam Scenam filialem exprimi *Titulo*, si illum certa ratione interpungimus, palam est. Nam LARTHIA. AL. ISLA. AUL. ESC. NEPHES: est: ISLA-AL-LARTHIA: שיל SIL ISLA, ut vidimus pag. 116: *filius*, AL *spectans ad* matrem *Larthiam*. 2. ESC, SUC, שוח, SUC, *pronus*, *curvatus*, demissus. 3. AUL על, OL, AUL, *super*, *supra*. 4. NEPHES, נפש, NPHS *cadaver corpus defuncti*, quae ipsa scena est Sepulcro adsculpta.

Et hoc Exemplo est vehementer probabile indicari ritum et morem non tantum pium et religiosum, sed etiam Civilem et politicum, quo scilicet *Larthis Filius* in obitu Patris successionem nobilitatis et hereditatis Aristocraticae assumebat et declarabat.

II. *Dramati* UMBRAE, quae *Equitans* ad Tartarum a tribus Parcis, vel Tartareis Ianitricibus excipitur: adiecto *Vase inverso*, intra equi crura: adscriptus Titulus: L. AULEMI. LARTHIAL. CALISNAL. Apud Gorium in *Mus. Etr.* I. Tab. 84. Scilicet est *Larthes Aulemius* familia *Larthia*, Matre *Calisnia*. At si interpungimus. L. AULEMI. LAR. THIAL. CAL. IS. NAL: habebimus AL, אל, *Ad.* 2. AULEMI ipsum עולם OULM *Mundum aeternitatis*, *Mundum absconditum*, Mundum alterius Vitae. 3. LAR, *Spiritus*, *Umbra.* 4. THIAL ipsum טול THUAL *ambulat*, *graditur*, proficiscitur. 5. CAL, חיל, CIL. *Equo.* caballo. 6. IS, איש AIS, *hominem.* 7. NAL נהל, NEL *ducente gestante.* Quin est animadvertendum *vas* illud *inversum* non modo esse *Symbolum* receptum et statum *Hominis defuncti*, et cuius officia amplius nulla in hoc Mundo, ut *vasis inversi:* sed insuper proprium Lexeoschema Nominis Materni CALISNI. Nam *vas* est כלי KLI CALI, et שנה SNE est *inversum.*

III. *Dramati* CAMILLARUM Evergetidum Tartaricarum, quae Virum et Uxorem expiant et ad aeternas Nuptias in Tartaro coniungunt orantes et manus capiti imponentes, adscriptum: LTH. FELCIALU. FIPINAL. LUPU. Nempe *Lethus Felcialius*, matre *Fipinia*, *Gaudeat* laetetur. At si interpungimus: LTH. FELC. IAL. UFI. PIN. AL. LUPU. habemus: *Precibus arcanis Ministri Dei coniungunt mortuos ad Gaudia.* Nam 1. LTH, לט, LTH לוט LOTH sunt *Preces arcanae*, magicae, incantatrices, involutae. 2 FELC. ipsum פלח, PHLC, *ministri*, *administri.* 3. IAL, איל, AIL, *Dei.* 4. UFI. ופא UPHA, ופי, UPHI *appo-*

nunt, *adiiciunt*, adiungunt. 5. PIN, פנה, PHNE, *mortuos*, *defunctos*. 6. AL אל *al ad*. 7. LUPU לעב LOB *gaudia* laetitiam, *Elysias Nuptias:* vid. p. 123.

IV. *Dramati* plane simili adscripta haec: LARTH. APHLNEI SETHRESA: apud Bonarotam ad *Dempster.* Tab. 44. Passerium *Paralip.* pag. 79. 80. Lanzium *Saggio* II. Tab. XIII. 9. et pag. 429. qui videtur recte legisse APHUNEI: At Scriptor Tituli adhibuit literam ambiguam data opera. Nam si legimus L pro V, quae literae Etruscis fere eaedem, et interpungimus: LAR. THAPHL. NEISE. THRESA: habemus: LAR nempe *Daemon*, *Camilla* Tartarica 2. THAPHL ipsum תפל TPHL orationes, *preces*. 3. NEISE נשא, NSA saepius *mulieri* coniugatae, mulieri viro iunctae. 4. THRESA, דרש, DRS *pronuntiat*, *recitat*. Mulier defuncta est *Larthia*, Gente *Aphulnea*, uxor *Sethrii*. Quod si re vera scriptum APHUNEI etiam sic natura *Dramatis* plene servatur. Nam erit LAR. THAPHU. NEISE. THRESA. Scilicet *Daemon*, *Camilla* Tartarica THAPHU, טפי, THPHI, *mortuis* defunctis; NEISI אנש ANS *Hominibus*, דרש DRS *orat*, *precatur*, impetrat precibus bona.

V. *Dramati* MENSAE *funebris*, quo nempe Vir seminudus, lecto adcubans, pluribus sertis laneis et feralibus ornatus, Pateram dextra habet: Ad eum accedit Famulus lancem cibis plenam adferens, alio famulo cum olla et forcipibus abeunte: Adscriptum: AU. THURMNA. AR. MAFSL. apud Bonarotam ad *Dempster*. Tab. 79. Passerium in *Paralip.* p. 126. Lanzium II. *Saggio* pag. 379. Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. p. 182. 185. Passerius, Lanzius, Vermigliolius nulla ratione habuerunt defunctum ut foeminam; et prave verterunt. Est contra: *Aulus Thormenia* Gente, *Arunthe* patre, matre *Mafsia*, vel *Mafselia*. Nam ut modo dicemus certo Scriptorem voluisse scribere MAFSL. Si interpungimus AUTHUR. MNA. AR. MAFSL: habebimus: *Coronas* et *odores*

tribuit : aufert cibos culinarios. Nam. 1. AUTHUR est עטר, OTHR. *corona* sertum, *odores*, odoramenta. 2. MNA, מני, MNI *dat*, *tribuit*, affert. 3. AR, ארה ARE *tollit aufert* alius famulus, MAFSL, מבשל, MFSL, *cibos Culinarios*, *cibos coctos*, *pulmenta*; quae sunt in Dramate.

Caput III.

Pugnae et praelia.

1. *Dramati Pugnae*, qua CENTAURUS staturae immanis barbatum, coronatum, paludatum, et securigerum Virum opprimit, Viro alio nudo obstante, et furca *Centauri* collum claudere, et suffocare conanti, adscriptum: LA. SENTINATE LAPLI NPL: Apud Bonarotam ad *Dempster.* I. Tab. 21. Passerium in *Paralip.* pag. 57. 58. Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. p. 233. 234. qui absque nota causa pro recepto LAPLI. NPL: dedit LA. PUMPUNI: Contra est *Lar. Sentinate* Patre, *Laplia* matre: NPL autem est homiodynamicum Etrusci AL, עול, OUL, *filii*, et idiomatice: nam ceteris Semitoglossis נפל NPL est *abortus*, *foetus abortivus*, qui *procidit* cadit: sed quum *cadat* omnis *foetus maturus* Etrusci et Osci in sensu *foetus* et *partus maturi* vocem iure adhibuerunt et constituerunt, ut mihi non ex uno tantum, sed ex aliis exemplis demonstratum est: at cur, inquies, scriptor Tituli hanc rarissimam vocem hîc adhibuit? aequissima, inquam, ratione: Scilicet, ut aptaret Titulum Dramati, et adhiberet vocem plane characteristicam homiodynamicam receptis. Nam si interpungimus: LASE. NTINA. TELA. PLI. NPL: habebimus: *Poenam dedit*, *furca divisit Centaurum.* Nam 1. LASE est לשא LSA, לזה LZE, *malum*, noxam, damnum, poenam. 2. NTIN, נתן, NTN, *dedit*, *tribuit*, *fecit*. 3. TELA, תלה, TLE, *furca*, *furcilla*. 4. PLI, פלא, PLA, PLE, *divisit*, *separavit*,

removit. 5. NPL, *Nephil*, filium *Nepheles*, *Centaurum:* Symbolum malorum hominum antediluvianorum, qui dicti sunt *Nephilim:* adeoque nullus hic Pirithous, nulli mythi Thessalici: sed ex Hieroemblemate *Centauri* vetustissimo, et dubio procul *Cabirico* Drama Etruscum est originalis, et Idioethnicae, non Hellenicae et externae formationis. De qua originali natura Etruscae Hierographiae egimus in *Disquisition.* praefixa *Pantheo Etrusco.*

II. *Dramati* CLAVAGERORUM; quo nempe duo Viri plane nudi Clavas intentant in duos Semiviros anguipedes prostratos, qui contra in eos magnos lapides intorquent; adscriptum: ACHIANA. CAPHATES CASPRAL SECH: apud Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* I. edit. I. pag. 126: Tab. 1. n. 7. et edit. 2. pag. 178. 179. qui non recte vertit: *Appiana Caphatii uxor*, *Casperia nata*, *Sexti filia:* quum sit: *Thana*, Domina; *Achiana*, nempe ex *Achia* Paterna *Gente*, uxor *Caphatii-Caspralii:* cuius scilicet *Viri* Pater esset ex Gente *Caphatia*, mater ex Gente *Casperia:* quarum utraque clara. Si autem interpungimus: ACHIAN. CAPH. AT. ES. CASP. RAL. SECH; habebimus: *Fratres Serpentini lapides iaciunt nudi*, *trementes*, *prostrati.* Nam 1. ACHIANA fit ab אח AC *frater*, אחין *fratres;* tum חוין CHUIN, A CHUIN sunt *serpentes*, *serpentini*, *anguinei.* 2. CAPH. כאפ, *lapis*, *lapidis.* 3. AT, את. active, אתי, ATI, *ducunt*, trahunt; אדה Arabibus *molestare*, vexare, unde *ατaω* Graecorum הדה, EDE, *iacere*, *coniicere.* 4. ES, איש, AIS, *homines*, viri. 5. CASP. חשפ, CSP, כשפ, KSP, *nudi denudati.* 6. RAL, רעל, *trementes*, *pavidi.* 7. SECH, שוח, SUCH *prostrati.* Et hoc Drama non Mythus sive Cabiricus sive Hellenicus Gigantomachiae; sed est *Parodia Hieroglyphica*, et *Blasonica.*

III. *Dramati* Pugnae *Equitis* et *Peditis*, quo nempe *Pedes* nudus, et clavager correptis habenis Equitis

Clavam in eum intorquet, ab *Equite* contra longa lancea transfigendus, cuius mucro pectori iam admotus: adscriptum AU. PULSUTINA. AU. CALISNAL. Apud Gorium in *Mus. Etr.* I. Tab. 137. Maffeium in *Mus. Veronen.* p. 7. Lanzium *Saggio* II. pag. 440. n. 358. Vermigliolium *Iscriz. Perugin.* p. 230. 231. Lanzius loc. cit. vertebat prave: *Aula Vulsutia, Auli filia, Calliae nata*; et Vermigliolius versionem probabat; quum sit omnino: *Aulus*, Patre *Aulo-Pulsutinio*, Matre *Calisnia*. Et si interpungimus: AUPUL. SUTINA. AU. CALI. SNA. L. habebimus: *Audax adversarius vult transfigere odiosum Larthem*. Nam AUPUL, עפל, OPL, AUPL, est *audax*, *efferus*, *atrox*. 2. SUTINA, שטן, STHN, SATHAN, *adversarius*, inimicus. 3. AV, AVE, ABE, אבה, *vult*, *cupit*, desiderat. 4. CALI, חלל, CLL, *transfigere* transfodere. 5. SNA, שנא, SNA, *invisum*, *odiosum*. 6. L. *Larthem:* Inter pedes Equi est etiam hîc *vas inversum*, nempe כלי KLI, CALI, שנה, SNE, sive CALISNALIS Lexeoschema: Quae Drama faciunt non Graecum et Mythicum, sed Hieroglyphicum et idioethnicum.

IV. *Dramati* magni Praelii, quo plures vestiti et braccati pugnant cum nudis, eosque confodiunt et debellant; adscriptum: THFN. ASERTHUNI. SATHINIS: Apud Bonarotam *ad Dempster.* Tab. 70. Passerium in *Paralip.* p. 112. 113. Vermigliolium *Iscriz. Perug.* I. p. 220. 221. qui dedit THANIA SERTHURI SAPHINIS, nullâ causâ additâ: Est potius *Thana*, *Aserthuni*, uxor *Sathinii*; sed *Tituli* auctor scripsit revera THFN. Nam si interpungimus THB. NASER. THUNI. SATHIN. IS: habebimus: *Vestiti victores transfodiunt adversarios:* Quod Drama *Tituli* est. Nam: THB, תיב, TIB, est *vestis tunica*, et תבן, TBN, sunt *femoralia*, sunt *Braccae*, ut illae vestes sunt prorsus insolentes, et ceterum ignotae, quae in hoc Dramate conspiciuntur.

2. NASER est נצר, NTZR, *victor*, qui *vincit* debellat. 3. THUNI, טען, THON, *confodiunt transfodiunt*. 4. SATHIN, שטן, SATHIN, *adversarios*, *hostes*, inimicos. 5. IS, איש, AIS, *homines*.

Cura Hellenophili sit, post labores Oliverii et aliorum definire hoc in Dramate, an adsit Apollo braccatus, Diana elcesipepla, et Minerva scutata; nobis satis est Drama hoc ex patriis Traditionibus Etruscorum de Praeliis Titanicis et Angelicis desumtum, et derivatum fuisse.

V. *Dramati* Pugnae, qua Praeliatorem ab adversario prostratum Senex elevare et tueri conatur: adscriptum: LARTH. CAISLINI. AULES. BETNALISA. Apud Bonarotam ad *Dempster*. Tab. 87. Passerium *Paralip.* pag. 137. 138. Lanzium *Saggio* II. pag. 351. n. 54. qui non recte vertit: *Larthia Caulinnia Auli filia*, *ex Vettia*: quum sit: *Larthes Caislinius*, *Auli filius*, ex matre *Betia*. Et si interpungimus: LARTH. CAISL. INI. AULE. SBE. TNE. LISA. habebimus: *Larthem prostratum oppressum elevat Senex*, *dando noxam malefico*. Nam 1. LARTH. est *Larthes* vir *Nobilis*. 2. CAISL. ipsum כשל, KSL, qui *cecidit*, *procidit*, prostratus. 3. INI, ינה, INE. *oppressus*. 4. AULE, עלה, OLE, AULE, *elevat*, *sublevat*, attollit hunc 5. SBE, שבה, SBE, *Senex* grandaevus. 6. TNE, תנה, *dans*, *praebens*, reddens. 7. LISA, לזה, LZE, LISA *malum*, *noxam*, damnum, adversario hosti.

VI. *Dramati* Pugnae, quo *duo Iuvenes* mutuis vulneribus sese confodiunt, alter in alterius pectore, alter in ventre gladio condito: adscriptum: THANA TURXINIA CAISLINISA: apud Bonarotam *ad Dempster*. Tab. 88. Passerium in *Paralip.* pag. 93. 94. Lanzium *Saggio* II. pag. 351. Scilicet est: *Thana* Patre *Turxinio*, viro *Caislinio*. At si interpungimus: THANA. TURX. INIA. CAISLI. NISA. habebimus: *Transfodientes se violenter et opprimentes*

corruunt Duces. Nam : 1. THANA טען THON *confodientes* , transfodientes se. 2. TURX תרץ TRTZ *violenter ruentes* , vehementer in pugnam sese inferentes , praecipites agentes. 3. INIA , ינה , INE , *vexantes* , *opprimentes.* 4. CAISLI כשל , KSL debilitantur , infirmantur , *corruunt.* 5. NISA , נשיא NSIA *Duces* , *principes.* Hîc quidem revera clamant Interpretes universi en *Eteoclem* , en *Polynicem* Graecorum. Et ego contra : en Drama profunde Psychologicum veterum Cabiristarum et Tyrsenorum : Ex quo Mythus Graecorum effictus , ut dicemus alibi : quod Drama iure suo fecerunt modo Blasonicum Hierographi Etrusci.

VII. Eidem *Dramati* in alia Urna funebri adscriptum : PHASTIA THACTREI AULIAS FL. Apud Santem Bartolum in *Antiq. Sepulcr.* Tab. 92. Montfauconem *Ant. Expl. Suppl.* V. Tab. 56. Lanzium *Saggio* II. p. 451. qui vertit : *Fausta Acteria Auliae nata :* Quum sit : *Phastia*, *Thactreio* patre, viro *Aulio*, *Gaudeat.* Nam FL , habenda contractio vocis AFIL, de qua diximus pag. 119. 120. Additumque hoc compendium ob arcanam Hieroglyphici rationem. Nam si interpungimus : PHASTIA. THA. CTREI. AULI. ASFL : habebimus : *Transfodiunt sese Gemelli* , *transfodit erectus depressum* , et viceversa. Nam : PHASTIA est פצע , PHTZO , PHSTO , *perforare* , *transfodere.* 2. THA , THO , תוי THUI , *duplex* , *gemelli* , *Gemini.* 3. CTREI , est a חתר , CTR , *perfodit* , transfodit. 4. AULI , עלה , OLE, elevatus , erectus. 5. ASFL. שפל , SPL , *depressum* , *prostratum ;* et viceversa.

CAPUT IV.

Dramata Festiva.

1. *Dramati* FESTI , quo plures ad aram accensam adstant , arietem sacrificat miles , alius miles pate-

ram effundit in caput sacrificuli, adolescens agnum pedibus comprehensum offerendum gestat, alius minister lancem fructibus plenam gerit, Puella tympanum pulsat, adolescens inflat duas tibias etc. etc. adscriptum: AU. TITE FESI FEL. CACEINA.... Apud Bartolum in *Antich. Sepol.* Tab. 92. Montfaucon *Ant. Expl. Suppl.* V. Tab. 57. Lanzium *Saggio* II. p. 371. Scilicet est: *Aulus Titia* Gente, Familia *Fesia*, Matre *Caecina*. Et si interpungimus: AUTI. TEFE. SIBEL. CACEI. NAI, vel NAL: habebimus, *Festum*, *Baptismus*, *Oblationes*, *Tibicen*, *Festum perfectum*. Nam:

1. AUTI, est ab עד, OD, AUTH, Panegyris Congregatio festiva, festum, vel ab הודה, EUDE, EUTHE, *confessio*, *professio* sacra, conventus sacer, הריה, EDIE. 2. TEFE. vel a טוף, THUF *rigare*, *irrigare*, adspergere, quod facit ille, qui pateram invertit: vel TEFE, TEBE est a צבע, TZBO, *baptizo*, *tingo*, intingo. 3. SIBEL a סבל, SBL, est *munus*, *oblatio*, nempe *agnus*, *lanx* fructuum. 4. SIBEL a שבל, *subulo*, *tibicen*, *auletes*. 5. CACE, CAGE, חג, CG, CACE *festum solemnitas*, festivitas sacra. 6. NAL, NEL, נהל NLE, *perfecta*, absoluta, vel נאי NAI *pulcra*, *decora*, *decens*.

II. *Dramati* FESTI turbati, profanati, confusi, sacro igne aqua iniecta extincto adscriptum: AU. TITE. FESI. BEL. CACEINNI: Apud Bonarotam *ad Dempster.* Tab. 37. 1. Passerium *Paralip.* pag. 72. Et si interpungimus AUTI. TEF. ESI. BEL. CACE. INNI. vel INNAL. habebimus. *Festum*, *aquarum effusione ignis extinctus*, *confusio*, *festum oppressum*, vel *profanatum*. Nam: AUTI, עד, OD, הודה, EUDE, *conventus*, *confessio*. 2. TEF, טופ, THUPH, THUF, *aquarum effusione irrigatione*; טפי, THFI, *extinctus*. 3. ESI, איש, AS, *ignis*, *focus*. 4. BEL. בלל BLL *confusio*, confusa omnia. 5. CACE, חג, CG, *festum*. 6. INNI. ינה, INNE, *oppressum*, vel INAL,

נול, NOL, *foedatum*, *profanatum*, quae Dramate expressa evidenter et plene.

III. *Dramati*, quo ad *Aram*, ex qua deiectus ad terram fuit ignis, qui adhuc ardet, adolescens pileo Phrygio tectus Puellam nudam coronatam brachiis comprehensam adtollit ad *aram*, et sacrificulum adstantem, qui pateram in Caput Puellae effundit, alia Puella Agnum adferente: Adscriptum: FR. TITE. FESIAE. CU. SITHIAL. Apud Bonarotam *ad Dempster.* Tab 37. 2. Passerium in *Paralip.* p. 72. Gorium in *Mus. Etrusc.* I. Tab. 172. 2. Lanzium II. *Saggio* pag. 371. Inghiramium *Serie* VI. Tab. L. Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* pag. 189. 191. qui dedit FL. TITE. FESI. SE. CUSITIAL: et vertit: *Velia Titia Vesii uxor*, *Sexti filia Cossutia nata:* Prave. Nam si genuina est eius lectio et restitutio defunctus Etruscus est mas, ut maluit Lanzius: si lectio falsa, et Icon revera foeminea tum interpretatio est alia. In qua nolo me hîc impedire. Atqui si lectionem a Bonarota aliisque pluribus propositam interpungimus BRTI. TEFE. SIA. ECU. SI. THIAL: habebimus: *Puella baptizatur*, *vastatur focus*, *elevatur agnus.* Nam: BRT, ברת, BRT, *puella.* 2. TEFE, טופ, THUF, *irrigatur*, *adspergitur.* 3. SIA, שאה, SAE, *disperditur.* 4. ECU, אח, ACU *focus.* 5. SI. שא, SA *attollitur.* 6. THIAL, טלי, THLI *agnus:* imo est CUSITH. IAL, קשט, KSTH *agnus*, איל AIL *Dei.* Atqui hoc est illud Drama, cum aliis similibus plurimis, in quo Lanzius, et Vermigliolius, aliique Hellenophili ipsis oculis suis *sacrificium Iphigeniae* conspiciebant: discernebant Agamemnonem, Achillem, Victimarium, Anonymum etc. et plurima eruditione apertam absurditatem exornabant; quum contra tenendum sit hoc Drama vel fictum originali modo a Hierographis Etruscis, vel elementum Mythi Hellenici argutâ Parodiâ in usum suum convertisse.

IV. *Dramati*, fere simili, quo nempe Sacerdos

canit ex libro Puella pulsat lyram, Tibicen inflat duas tibias, Iuvenis galeatus *adolescentulam* plane nudam adtollit ad os magni putealis, Sacerdote pateram versante in caput Puellae, alio ministro longa pertica ipsum *Puteal* suffodiente adscriptum: TITE. ELIUMNIAS. ACRIL. SECH. Apud Bonarotam *ad Dempster.* Tab. 9. Passerium in *Paralip.* pag. 38. Lanzium II. *Saggio* p. 552. Vermigliolium in *Iscriz. Perug.* 180. 181. qui non recte vertit: *Titia Velinnia Acria nata, Sexti filia:* quum sit *Thana* Domina, Gente *Titia*, uxor *Eliumnii-Acrii.* Et si interpungimus: TIT. EEL. IUM. MNI. AS. ACR. IL. SECH: Habebimus: *Sacerdos canit, aquas versat mulieri, fodiunt ad Puteum.* Nam TIT. TITE. est *Titial*, ex Sacerdotibus *Titiis*, quod Collegium etiam Sabinis et Latinis fuit. 2. EEL, ipsum הלל, ELL, *canit occinit.* 3. IUM. pro MUI, מיא MIA *aquam, aquas.* 4. MNI, מני, MNI, *praebet, dat, versat.* 5. AS, ASE, אשה ASE *mulieri, puellae.* 6. ACR. כרה KRE, *fodere, effodere*, excavare. 7. IL אל AL. *ad* prope. 8. SECH, שוח SUC puteum, foveam.

V. In *Dramate*, quo ad Ianuam clausam magnae Domus duo Cantores adstant, quorum unus vel canit vel legit ex libro, alius Syringem inflare est paratus, adscriptum: LARTHI PETRUI THURMNAS AETEI. Apud Bonarotam *ad Dempster.* Tab. 73. Passerium *Paralip.* p. 119. 120. Lanzium *Sag.* II. pag. 379. Vermigliolium *Iscriz. Perug.* pag. 184. 185. Scilicet est: *Larthia Gente Petrua uxor Thurmenii.* Sed quid AETEI? Prorsus ignotum, nisi ex significatione huius Dramatis. Nam si interpungimus: LARTHI. PETRUI. THUR. MNA. SA. ETEI: habebimus: *Larthes canunt, Porta clausa, elevant cantum.* Nam 1. LARTHI, sunt *Larthes:* et *Cantores* Sacerdotes, et Sacerdotes necessario *Larthes.* 2. PETRUI a פרט, PRTH, פרטים, PRTHIM, *musici*, Musicae artis periti, tum פתר PETR est

Interpres, qui explicat, qui legit ex libro et *exponit*. 3. THUR, תרע, TRO, *porta*, θυρα Graecis, דור DUR. 4. MNA, MNO, מנע, MNO, cohibita, impedita, clausa. 5. SA, שא; SA, *elevare*, *adtollere*. 6. ETEI, הודה, EUDE, *hymnum*, *laudem*, *cantum* confessionum sacrarum.

CAPUT V.

Dramata miscella.

I. *Dramati*, quo Leo irruit in quadrigam prostratam, Sene facem attollente, Adolescente clamante, alio adcurrente, adscriptum: AULE MARCI FRUMERNAL: apud Bonarotam *ad Dempster*. Tab. 71. Passerium *Paralip*. p. 126. Lanzium *Saggio* II. pag. 376. Micalium in *Monum*. Tab. 33. Si interpungimus: AULE. MAR. CIFRU. MER. NAL: habebimus: *Eleva facem: Leo ferus adgreditur*. Nam AULE est עלה, OLE, *attolle*, *eleva*, MAR, MAUR, מאור, MAUR, *lucem*, *facem*. 3. CIFRU, כפיר, KPHIR *Leo*. 4. MR, מרר, MRR, *ferus*, *ferox*. 5. NAL, נלה, NLE, נול, NUL *arripit*, *corripit*, *adgreditur*.

II. *Dramati*, quo *Senex* plane nudus *adligatur* ad magnam *arborem* a *Iuvene* etiam nudo, sed *pileato*: adscriptum: BEL. FESIS SAPEFANIAL CLAN. Apud Bonarotam *ad Dempster*. I. Tab. 9. Passerium *Paralip*. p. 11. 12. Lanzium *Sagg*. II. pag. 571. Vermigliolium *Iscriz. Perug*. 189. 191. quorum uterque dederunt CAPEFANIAL nulla ratione adiecta. At si interpungimus: BEL. BESIS. SAPE. FAN. IAL. CLAN. habebimus: *Dominus nudus senem ad quercum attorquet*. Nam FEL, BEL, בעל BOL *Dominus*, *herus*, *liber*, *pileatus*, ut in Dramate. 2. BESIS. בזז, BZZ, BSS, *spoliatus*, *expoliatus*, בוש BUS *pudens*, pudendo statu, nempe prorsus *nudus*. 3. SAPE, SABE, שיב, SIB, SABE, *Senem*, *canum*, שבה, SBE, *Captivum*, *Captum*. 4. FANI. פני PHNI, FANI,

coram, *ad faciem*, contra, *ad*. 5. AL AIL, איל, AIL, *quercus*, arboris magnae. 6. CLAN, קלע, QLO, KLO *torquet*, *attorquet*, alligat. Nos hîc vidimus Hierographos Etruscos lege sua Lexeoschematica, et Blasonica libere et originali modo uti. Hellenophili contra ipsis oculis suis hîc Pileatum Apollinem deglubentem miserrimum Marsyam conspiciunt.

III. *Dramati*, quo duo Viri *succincti aequilibrare* conantur *Amphoram futilem:* adscriptum: LA. CAI. UTHTABE FELUS SURNIAL. Apud Bonarotam *ad Dempster.* Tab. 85. Passerium in *Paralip.* pag. 136. 137. Lanzium *Sagg.* II. pag. 380. Vermiglioliun *Iscriz. Perug.* pag. 182. 183. Scilicet est: *Larthes*, *Caius Uhtabius*, familia *Belia*, Matre *Surnia.* At scriptum LTH. non UTH. Nam si interpungimus: LA. CAIL. THT. ABE. FELUS. SUR. NIAL. habebimus: *Laborant Vas luteum volentes aequilibrare, et rectum ponere.* Nam 1. LA est לאה LAE, *laborare*, *niti*, *defatigari.* 2. CAIL, כלי, *vas*, *vasis*. 3. UTHT, טיט, THITH, *luti*, *luteum.* 4. FELUS, פלש, FLS *aequilibrare* dirigere et rectum ponere. 5. nempe SUR, ישר, ISR *rectum*, directum. 6. NIAL, נול, NOL *sustinere sustentare* ponere tenere.

TENTAMINIS HERMENEUTICI ETRUSCI
PARS TERTIA
SIVE
ELEMENTA GLOSSOSOPHIAE ET GLOSSOGONIAE HUMANAE, UT EIUS FUNDAMENTA PRIMA HIC INDICATA.

LIBER I.

DE PRIMIS GLOSSOSOPHIAE HUMANAE FUNDAMENTIS, SIVE THEORIAE GLOSSOSOPHICAE COMMUNES ET GENERALES.

SECTIO I.

De elementis et partibus fundamentalibus Linguarum humanarum.

I. ***De Elementis proximis et immediatis Linguarum humanarum.*** Quid Lingua, quid Cogitatio, quid Sermo: quid Vocabulum, quid Vox? etc.

II. ***De primis Linguarum Elementis.*** Quid Litera, quae Vocales, quae Consonae? Quae Vocales clarae? quae obscurae? quae breves, brevissimae, quae longae? quae adhaerentes, et necessariae? quae Palatinae, quae Gutturales, longae, graves, adspiratae? Quae Consonae Labiales, Dentales, Palatinae, Gutturales? quae Simplices, quae Duplices? quodnam earum criterium? Qui Numerus praecipuarum Literarum oris humani? Et quae debent seligi et constitui et haberi insigniores et praecipuae?

III. ***De Syllabis et Diphthongis, deque Criterio vocum Monosyllabicarum.***

IV. ***De Vocabulis Radicalibus, Derivatis, et Compositis.***

V. *De Materia*, *et Forma Linguarum*:
Scilicet de Lexeographia sive Glossohylaea, et de Glossomorphe sive Glossoidea.

VI. *De partibus Orationis.*

Sectio II.

De potestate Ideographica, Aestheseographica, et Praxeographica praecipuarum Literarum Oris humani.

I. *Praecipuis literis Oris humani inest vis et potestas significandi atque exprimendi Ideas Mentis humanae.*

Quae vis et potestas attenta meditatione, accurata reflexione semper et necessario sentitur; tum consensu omnium Grammaticorum, Rhetorum, Oratorum cuiuscumque aetatis certum est eam fuisse semper animadversam.

II. *Esse in Genere humano Linguam aliquam cuius Vocabula Ideas Mentis humanae propria vi et potestate significent plurimorum Theologorum et Philosophorum pertinax semper et constans sententia fuit.*

Ut Hebraeorum, Syrorum, Arabum, Aegyptiorum, Neoplatonicorum, Iatromagorum: quod auctoritate et testimoniis multis animadvertimus olim in *Fundam. Hermen. Script. Cryptic. et in Disquis. Abraxea.*

III. *Plenum et certum Lexicon omnium Potestatum Ideographicarum, Aestheseographicarum, et Praxeographicarum, quae insint Literis praecipuis Oris humani condere et constituere abstrusi quidem et difficilis est operis, non tamen impossibilis, vel prorsus difficillimi.*

IV. *Indicantur rationes et Methodi, per quas Potestas Literarum oris humani Ideographica, Aestheseographica, et Praxeographica possit certo definiri, et decerni.*

Nempe: 1. Meditatio, reflexio profunda, pronuntiatio alta longa prolixa, sive declamatio Literarum 2. Comparatio Literarum declamatarum cum sonis, rumoribus, et strepitibus corporum motorum. 3. Sylloge Vocabulorum characteristicorum, quibus Plebs Populorum sollertium et cultiorum plurimas actiones evidentiâ grammatophonicâ pingit atque exprimit: 4. Examine tandem atque analysi formationis et generationis ipsius Literae per Organa vocalia Oris humani.

V. Potestas *Ideographica* Literarum Oris humani recte potest appellari *Grammatodynamis*, attente considerata significatione et sono tum vocis γραμμα, tum vocis ϛοιχειον.

Sectio III.

De fontibus Linguarum humanarum.

I. *Qui fontes primitivi, et rationales Linguarum humanarum?*

Grammatodynamis, et Physiophonia.'

II *Qui fontes Physiophonici?*

1. Pathophonia 2. Zoophonia. 3. Cinescophonia, sive Somatophonia: puériliter appellata *onomatopoea.*

III. *Qui primitivi irrationales?*

Anthropolalia Sematophonica, sive Sematophonia.

IV. *Quae Species Sematolaliae?*

Paedophonica, Nepiophonica, Systematophonica, Technophonica.

V. *Quid fons derivativus? Qui fontes derivativi Linguarum humanarum: qui naturales et physionomici?*

VI. *Quae et quot sunt causae Physiophthartismi Linguarum humanarum?*

1. Climata. 2. Professiones. Biotropismus idioethnicus: 3. Periodi civilitatis, insignes mutationes status cuiuscumque Civilitatis.

VII. *Qui fontes derivativi et technici Linguarum humanarum?*

Glossotropismus Technicus et Systematicus cuiuscumque Linguae datae, maxime Grammatodynamicae et amorphae.

Sectio IV.

De characteribus et Criteriis Lexicorum Physiophonicorum originalium.

I. *Qui characteres et criteria Lexici Pathophonici?*

Natura vocalica, adspirata, monosyllabica, reduplicata; tenuissimus numerus Radicum heterophonarum.

II. *Qui characteres Lexici Zoophonici?*

1. Si imitatio est satis accurata, Ruditas, asperitas vocum, Monosyllabismus polysymphonus, Alphabetum prolixum, Reduplicatio; Numerus tenuis; Summa variatio et inconstantia vocum et sonorum ex ipsa varietate vocum Brutarum, ex climatum diversitate, ex varia facultate imitationis in Homine.

III. *Qui characteres Lexici Cineseophonici sive Somatophonici?*

Monosyllabismus saepe stridulus, asper, polysymphonus, alphabetum prolixum, obscurum, confusum. Reduplicatio, Varietas et inconstantia, ob Sonorum originalium, et facultatis imitativae diversitatem.

Sectio V.

De Lexicis Sematophonicis originalibus.

I. *Qui characteres Lexici Paedophonici?*

1. Vocaleitas; Labiismus; Mono-Symphonismus; Reduplicatio; Tenuissimus Radicum numerus.

II. *Qui characteres Lexici Nepiophonici?*

Vocaleitas; Monosyllabismus: vel Disyllabismus; reduplicatio, Tautologia, Labialitas; Dentalitas. Alphabetum breve.

III. *Qui characteres Lexici Sematophonici Technici?*

Ipsae Leges et Canones, quos Auctor sibi constituit: qui fere semper sunt evidentes.

Sectio VI.

De generatione, characteribus, et criteriis Lexici Grammatodynamici originalis.

I. *Quae natura, qui numerus literarum Alphabeti genitoris.*

Literae pleraeque simplices, clarae, distinctae, temuricae. Duplices aliquot, ut Scha, Tza: Vocales longae tantum gutturales graves, et labiales adspiratae: omnes Literae circiter 24.

II. *Quid est Thesaurus Grammatodynamicus?*

Index omnium potestatum et significationum singularum Literarum Alphabeti Genitoris: quae potestates esse possunt circiter 200. Has potestates indicabimus Adpendice ad *Tentam. Hermen. Oscum.*

III. *Quid Thesaurus Vocum, quae adhuc non sint Vocabula?*

Si literae genitrices = 24. et 24 × 24 = 576. binae et binae efficiunt nempe 576. voces binarias: si 576. × 24. = 13, 824. erunt voces Triliterales, quo in numero consistunt vocabula Radicalia Grammatodynamica. 1. Tum quia ultra procedendo Vocabula fierent particularia et nimis definita. 2. Secundo quia est revera difficillimum ultra progredi. 3. Tertio quia Vocabula augenda insuper literis vel syllabis Glossomorphicis fierent absurdae prolixitatis. 4. Quarto quia tres characteres et criteria sunt plusquam satis ut aliquod obiectum discernatur, et designetur.

IV. *Qua ratione et Methodo hae Voces fiunt Vocabula Grammatodynamica?*

1. Accurata determinatione potestatis Ideographicae, Aesthescographicae, et Praxeographicae singularum

Literarum datae vocis, secundum Canones constitutosin Thesauro Grammatodynamico; collectis omnibus potestatibus literarum illa Idea, illud Obiectum, illud Pragma, cui potestates ille conveniunt, erit Grammatodynamice nuncupatum.

V. *Quae vocabula Grammatophonica, atque a Grammatodynamicis discernuntur?*

In *Grammatodynamicis* singulae Literae singulos et distinctos characteres et proprietates *Ideae* vel Obiecti significant: In *Grammatophonicis* unus tantum distincte, vel plures confuse et indistincte significantur. Ut Italorum infinita: *Sbuffa*, *arruffa*, *arraffa*, *schioppa* etc. Quae Grammatophonica, non Grammatodynamica sunt.

VI *Quae criteria evidentia et sensibilia Linguae Grammatodynamicae?*

Ea est: Consonantica, Gutturalis, Adspirata, Musica, Temurica, Biliteralis vel Triliteralis, non pluriliteralis, Alphabetogenita, et Alphabetigenitrix facta ex literis circiter 24. non Paedophonica, non Nepiophonica, non Zoophonica, non Cineseophonica vera et propriâ externarum vocum imitatione.

Sectio VII.

De Lexicis Derivativis, Technopoeis, Systematicis, Lexeotropicis.

I. *Quae et quot sunt Methodi praecipuae, per quas Datum Lexicum potest in aliud diversum atque heterophonum immutari, et transformari?*

1. Methodus Lexeoplastica. 2. Grammatotropica. 3. Lexeoallactica. 4. Fractio vocum prolixarum.

II. *Quae Methodi Lexeoplasticae, et Lexeoeuristicae ex veteribus et Datis Radicibus.*

Adpositio mutua, Superpositio, Compositio veterum Radicum, quibus Vocabula nova conduntur. *Heleretymismus*, sive expressio et significatio alicuius

ideae et obiecti per alias Radices: Ut si Italice *Equum* non *Cavallo*, sed *Destriero*, et *Corsiero* adpellarem. Per *Capita Radicum*, si scilicet Idea et Obiecto per Lemma polylexicum explicato, mutuo coniungerem primas tantum literas vocabulorum datorum et unam vocem effingerem.

III. *Quae Methodi Grammatotropicae?*

1. Homiophonia. 2. Temura. 3. Exallactismus unius literae systematicus. 4. Exallactismus omnium Literarum per inversionem Alphabeti. 5. Isopsephismus.

IV. *Quae Methodi Lexeollacticae?*

1. Aphaeresis unius Literae, Prothesis literae unius, Epenthesis, Paragoge.

V. *Possuntne coniungi hae Methodi, ut habeatur Lexeotropismus gravior et remotior?*

Imo frequentissime coniunguntur.

VI. *Quae praecipuae causae Glossopoeismi Systematici et Technici?*

1. Dialecti populares inopes, imperfectae, absurdae. 2. Lingua Originalis, et Protopegaea Populariter intractabilis, quia amorpha, et facta plane inharmonica, vel heteroharmonica. 3. Mira facilitas ditandi, et augendi Lexicon Populare deficiens et mancum per Radices Linguae Protopegeae, per Methodos Glossotropicas et Isoharmonicas tractatas. 4. Propositum condendi Hierographiam amplam et insignem, Hieroagalmata, Hieroemblemata, quae maxima ex parte necessario debent esse Lexeographica, ut demonstratum est in *Fundam. Herm. Script. Cryptic.* et necessario flagitant usum duarum Linguarum, quarum una, nempe Protopegaea debet esse populo ignota et incommunicabilis. 5. Propositum condendi Systema Mythicum amplum, insigne, quod etiam haberi non potest nisi per usum duplicis Linguae, quarum Protopegaea populo etiam incommunicabilis et ignota. 6. Propositum firmissimum abscondendi, immutandi, transformandi Linguam originalem et Protopegaeam

factam Sacram Theologicam Liturgicam Hierographicam, Mythologicam, et ideo removendi eam ab ore et notitia Populi.

Sectio VIII.

De Lexicis monopegaeis, et polypegaeis, monotechnis et polytechnis, homogeneis et heterogeneis, simplicibus mixtis adsociatis coniunctis.

I. *Qui fontes Linguarum humanarum originales ligolexici?*

Ii nempe ex quibus unis et solis non potest condi Lingua Pasilexica, et Plerolexica? Scilicet 1. Pathophonia, Zoophonia, Somatophonia, Paedophonia, Nepiophonia, Grammatophonia, non Grammatodynamice adhibita.

II. *Qui fontes Linguarum humanarum Plerolexici?* Grammatodynamis, et Sematophonia.

III. *Qui fontes derivativi oligolexici?*

Linguae omnes rudes et barbarae.

IV. *Qui fontes derivativi Plerolexici, et Pasilexici?* Linguae Gentium cultiorum, quibus nempe est Cultus Theologicus, Liturgicus, Ethicus, Politicus, Technicus, Polysophicus.

V. *Quae Linguae Polypegaeae?*

Quae constant vocabulis deductis ex pluribus Fontibus originalibus vel derivativis, puta, Physiophonico, Paedophonico, Sematophonico, Grammatophonico: vel ex pluribus Linguis datis et vetustioribus.

VI. *Quae Linguae Monopegaeae?*

Quae ex uno tantum Fonte deducuntur: ut Grammatodynamica, et Sematophonica Pasilexica.

VII. *Quae Linguae Polytechnae?*

Quae Vocabulis constant non eodem artificio non per easdem Methodos conditis, non per eadem Collegia Glossopoeia composita.

VIII. *Quae Lexica mixta, coniuncta, adsociata?*

*

Sectio IX.

De Glossomorphe Linguarum humanarum originali atque Idiotechna.

I. Omnes voces originales et primitivae Generis humani sunt amorphae et aoristae: Omnis humana Glossomorphe, et Glossoidea adiecta est et technica.

II. *Species Glossomorphes rationalis et significativae sunt:* 1. Grammatodynamica; 2. Lexeodynamica. 3. Idiolexica et moerolexica. 4. Idiolexica et adfixiva. 5. Praefixiva, vel subfixiva: ut *al Padre, Patr-is.* 6. Gestica, imitativa, Pantomimica.

III. *Species Glossomorphes Sematicae et irrationalis sunt:* Casuistica, inflexiva, terminativa, Paragogica, Casuistica Aphaeretica, Rizophthartica, Sematica literalis, Topodynamica, Taxeodynomica, Bulentica, arbitraria.

IV. *Quae Glossomorphe Polypegaea et Polytechna?*

V. *Qua ratione Aoristicismus et ambiguitas vocum originalium potest tolli vel minui?*

Inventione, et determinatione *Articuli*, sive pronominis sive Nominis substantivi generici, quo res, *substantia*, subiectum significatur, ut *to, pi, as, es, is*, quibus omnia Nomina significantur. Inventione *verbi* auxiliaris *εἰν*, *esse*, *are*, *ere*, *facere*, *agere*, quibus omnia verba definiuntur et discernuntur.

VI. *Qua ratione potuerunt primum declinari Articulus, vel Pronomen demonstrativum, vel primitivum Verbum auxiliare esse, facere?*

VII. *Quae rationalis Declinatio Nominis, et Verbi cuiuscumque?*

VIII. *Quae habendae et dicendae Declinationes sematicae systematicae technicae irrationales?*

IX. *Nonne Glossohylaea, et Glossoidea, Glossolexica et Glossomorphe in omnibus humanis Lin-*

guis unà et simul currunt, progrediuntur unà et similiter augentur unà et ditescunt?

Haudquaquam. *Glossohylaea* sive *Glossolexicon* natura est prius *Glossomorphe:* et ubi Tribus et Gens in vita rudi, pastorali, agricola tantum manet; etiamsi per centum saecula vivat potest facile omni fere *Glossomorphe* carere, et Lingua uti quasi amorpha, vel saltem *Pavromorpha*. Quo *Pavromorphysmo* linguae utetur etiam illa Gens, quae lexicon suum originale faciet *Theologicum* et Liturgicum et adeo *Crypticum* et arcanum. Tum enim ipsi Sacerdotes dabunt operam ne *Glossomorphe* accedat, et ne *lingua* fiat umquam *eumorpha*: ut factum revera est in *Linguis* omnibus *Transgangeticis*, quae numquam per plusquam 2500. annos factae sunt *pleromorphae*. Et nemo nescit apud maximam Sinensium Gentem posse proferri *Lexicon* 30,000, imo 50,000, imo 80,000 characterum et signorum, quibus obiecta ideae facta significantur, non vero *Glossomorphe* et *Glossoidea:* Quae ferme nulla est in antiquis Senensium et doctioribus libris. In nostra Europa potens et ampla Anglorum Gens iam per sex saecula quotidie auget *Lexicon* suum ex amplissimis lexicis veterum et illustrium Gentium, manente tamen et fere immota tenui et levi *Glossomorphe*. Omnes *Linguae Romaicae* in Europa deponunt et proiiciunt partem *Glossomorphes Latinae*: ut Linguae Germanicae partem *Glossomorphes Teutonicae* in libris adoptatae. Qui igitur teneret *Glossomorphen* et *Glossoideam* cum ipso *Glossolexico*, et *Glossohylaea* sensim una et necessario similiter procedere et currere, funditus erraret et veterum Linguarum tum origines tum formationem absurde corrumperet et confunderet; quod et iterum monemus *Libro* IV. sect. 4.

Sectio X.

De Glossomorphe adoptata, recepta. Xenopegaea, et Xenotechna.

I. *Quae caussae et necessitates adoptandi maiorem vel minorem partem Glossomorphes Linguae Externae?*

1. Summa difficultas condendi originalem et Idioethnicam. 2. Homioharmonia duarum Linguarum. 3 Elementa quaedam originalis Glossomorphes communia. 4. Propositum condendi Linguam Proselyticam, et latissime dilatandam. 5. Claritas Gentis externae, Bibliotheca insignis, Scriptores plurimi. 6. Defectus Collegiorum Sacerdotalium in Patria literatur condenda coniuratorum.

II. *Quae Elementa Glossomorphes facilius adoptantur et recipiuntur?*

1. Divisiones partitiones et distinctiones partium orationis. 2. Pronomina Personalia, demonstrativa relativa etc. 3. Verba auxiliaria.

III. *Cur Glossomorphe adoptiva et recepta numquam sit plane identica et eadem cum Glossomorphe Paradigmatica et originali?*

1. Quia Lexica duarum Linguarum semper sun plus minus heterophona, numquam penitus homophona. 2. Quia Elementa aliqua Glossomorphes propriae homioharmonicas inflexiones efflagitant. 3. Qu propria et idioethnica est sollertia et vis ingenii i Glossopoeis. 4. Quia omnibus inest Philautia, et superbia idioethnica; qua independentia propriorum factorum ostentatur, et etiam fingitur.

IV. *Quae criteria et Characteres Glossomorph. adoptivae et receptae?*

Insignis similitudo utriusque Glossomorphes: que non possit tribui fortuitis et casualibus cogitationibus Gentis utriusque. 2. Lexica utriusque Linguae valde dissimilia, quidquid sit de congruent

centum vocabulorum inter Radices 2000. 3. Defectus Historiae Pragmaticae generationis et formationis. 4. Defectus Collegiorum Idioethnicorum et una conspirantium. 5. Vel Collegia Proselytica, Syncretistica, aemula.

Sectio XI.

De Linguis homogeneis, atque heterogeneis, cognatis, adfinibus, diversis.

I. *Quae Linguae homogeneae, homiophonae, similares, sorores, filiae, cognatae, matres?*

II. *Quae Linguae heterogeneae?*

1. Grammatodynamicae. 2. Physiophonicae. 3. Sematophonicae. 4. Lexeotropicae. 5. Fractae.

III. *Quomodo habentur Linguae sorores et filiae?*

1. Per Colonias et transmigrationes. 2. Per temporum successiones. 3. Per Civilitatis immutationem. 4. Per Gentes antea heteroglossas et heterophonas. Qnae Linguam vel plene vel fere plene adoptent et adhibeant.

IV. *Quae Criteria Linguarum Sororum, et Filiarum?*

Plusquam media pars Lexici evidenter servata, et homiophona. Reliqua homiophona, vel corrupta. Glossomorphe quoad Leges fundamentales servata.

V. *Quae Linguae Pseudo-Cognatae, et quae earum Criteria?*

Heteroharmonia vocum mutua. Facilis distinctio vocabulorum heteropegaeorum originalium. Causae certae mixtionis adsumtionis Lexici heteropegaei, vel heterotechni.

Sectio XII.

De Linguis Amorphis, Pavromorphis, Crypticis Semicrypticis, Agraphicis, Graphicis.

I. *Quae Linguae Amorphae, vel Oligomorphae?*

Et si omnia Lexica originalia amorpha et aorista,

quo pacto potest haberi usus socialis Linguarum Amorpharum, vel Oligomorpharum?

II. *Quae Linguae Crypticae? Qui earum characteres necessarii?*

Polydynamis, Synonymismus, Amorphismus, vel Pavromorphismus.

III. An ex humanis Linguis alia a Grammatodynamica et Amorpha possit esse utiliter Cryptica?

IV. *Qui adhibebunt et servabunt Linguas Crypticas?*

Sacerdotes Castici, Aristocratici, Samanaei Coenobitae, Collegiales, Scholastici, Theosophi, Mythopoei, Theurgistae, Hierographi, Agalmatopoei Hieroglyphicistae, etc.

V. *Possuntne condi Linguá Crypticá Libri populares et communes, an habenda agraphica Lingua Cryptica?*

VI. Possuntne scribi Linguis Crypticis Libri Sacerdotales et arcani in familiis Sacerdotalibus acerrima cura servati?

VII. *Quae dicendae Linguae Semicrypticae?*

Quae Polydynamicae, Synonymicae, sed metriomorphae. Tum duplex sententia potest bene eidem Lemmati subiici, et Syntaxi satis clara et necessaria.

VII. *Quae Linguae Bibliographicae Polygraphicae, Pasigraphicae Encyclopaedicae?*

Plerolexicae, Oligodynamicae, Pleromorphae.

Sectio XIII.

De characteribus et criteriis Linguae Brutogenitae, si possibilis est.

I. *Qui fontes Linguae Brutogenitae?*

1. Paedophonia, Nepiophonia, Zoophonia, Somatophonia, Pathophonia.

II. *Quum hi Fontes sint omnes Oligolexici, quo pacto habebitur Lexicum utcumque Plerolexicum?*

Non ex fonte Grammatodynamico, quod plane impossibile: Non ex fonte Grammatophonico, quod prorsus difficile, vel rarum: Sed ex Sematophonico.

III. *Qui numerus Literarum Linguae Brutogenitae?*

Si pronuntiatio est paedophonica, tenuissimus: si Zoophonica amplus magnus et varius.

IV. *Quae Glossomorphe harum Linguarum?*

Tenuis, levis, facta per voces auxiliares, quibus Aoristicismus vocum originalium definiatur, et terminetur.

V. *Qui characteres Linguae huiusmodi?*

1. Vocaleitas 2. Labiismus, et Dentalismus. 3. Monosyllabismus, sed asper fremens frendens, ut brutâ animalia stridentia, et corpora mota. 4. Reduplicatio, repetitio, nullus usus verarum Gutturalium. 5. Homiophoniae manifestae cum vocibus Pathophonicis, Zoophonicis, Cineseophonicis, etc. etc.

Sectio XIV.

De varia et diversa Linguarum humanarum praestantia.

I. Quoad numerum Literarum Alphabeti Oralis et Scripti. Praestantissimae quibus circiter 24. ex praecipuis et claris. 2. Minus praestantes quibus 16. 18. 3. Illaudabiles quibus sunt 30. 40. 50.

II. Quoad numerum Radicum. Linguae indeclinatae et polydynamicae, quibus Radices circiter 3000. laudabiles. Metriomorphae laudabiles si habent 2000. Declinatae et Pleromorphae si habent 2000, 2500. Minus laudabiles si habent tantum 1500.

III. Quoad intimam Vocabulorum significationem. Praestantissimae Grammatodynamicae. Hinc Grammatophonicae: Hinc Physiophonicae: Hinc Lexeotropicae; postremae Sematophonicae.

IV. Quoad magnitudinem Radicum; Praestantis-

simae Linguae triconsonanticae : Hinc paullo longioribus vocabulis ; Damnandae verae Monosyllabicae.

V. Quoad Harmoniam et sonum vocabulorum , et usum etiam vocalium. Ut ingrata O vel A in Lingua Chaldaeorum , et Syrorum ; Ā in Samscritica.

VI. Quoad unitatem vel pluralitatem Fontium. Monopegaeae praestantiores.

VII. Quoad conservationem , vel corruptionem Radicum. Praestantissimae quae Radices servant intactas : minus praestantes , quae Analogice tantum et Homiophonice inflectunt. Damnandae , quae prorsus corrumpunt.

VIII. Quoad naturam Glossomorphes : Grammatodynamicae primae ; Hinc Idiolexicae et Moerolexicae. Idiolexicae et adfixivae. Casuisticae , Analogicae , Systematicae. Casuisticae anomalae , Brachysematicae etc.

IX. Quoad quantitatem Glossomorphes. Primae Pleromorphae , et Eumorphae 2. hinc Metriomorphae , 3. hinc Perissomorphae , hinc 4. Cacomorphae , mixomorphae 5. Pavromorphae 6. Amorphae.

Sectio XV.

De Linguarum humanarum Chronologia et successione data Lingua primitiva Grammatodynamica et amorpha.

I. Quoad numerum literarum Alphabeti Systematici et Genitoris : Vetustissimae , quibus 24. circiter clarae Gutturales, adspiratae etc. 2. Minus Vetustae, quibus 16. 18. systematice contracto Alphabeto : 3. Minus vetustae , quibus literae 30. 40. 50.

II. Quoad Vocaleitatem Radicum : Vetustissimae quibus nullae vocales Palatinae longae clarae , omnes adhaerentes , vel adspiratae. Recentiores quibus breves plures palatinae. Recentiores quibus plures longae. Recentissimae quibus pleraeque vocales Palatinae et longae.

III. Quoad numerum Radicum. Primitivae Linguae Amorphae Radices sunt circiter 3000: Linguis Symmorphis a 2500. ad 2000. Linguis Lexeotropicis formatis Plerolexicis 2000. ad 2500.

IV. Quoad conservationem, vel depravationem Radicum Linguae quo magis sunt Rizophylaces eo vetustiores, quo minus, recentiores.

V. Quoad vim et potestatem Radicum. Vetustissimae clare et distinte Grammatodynamicae: Recentiores obscure et leviter.

VI. Quoad Lexeoplasin in Linguis Lexeotropicis, quo Radices clariores, selectiores, eo lingua vetustior, quo obscuriores corruptiores, eo recentior.

VII. Quoad quantitatem Glossomorphes. Vetustissimae Linguae Amorphae, hinc Oligomorphae, Pavromorphae: Hinc Metriomorphae; Pleromorphae. Perissomorphae. Hac recentissimae, ut Samscritica inter illustres Japeticas veteres.

VIII. Quoad qualitatem Glossomorphes: Vetustissimae Linguae in quibus Nomina et Verba pridem Aorista et amorpha discernuntur per voculas sive articulos dices, sive pronomina demonstrativa, sive Generica verba. Recentiores illae in quibus Nomina, Verba et aliae partes orationis haud certo criterio dicernuntur, et systematice videntur constituta.

LIBER SECUNDUS

De variis Linguarum Generibus, quae derivari, oriri, et condi possunt ex Lingua Grammatodynamica et amorpha, additis saepius Elementis Lexicorum Physiophonicorum, et Sematophonicorum.

Sectio I.

De Linguis Similaribus et Synmorphis, quae derivari possunt et debent ex Lingua Grammatodynamica et Amorpha apud Tribus homogeneas et Rizophylacas.

I. *Cur Lexica harum Linguarum ut ut similarium non sunt identica, sed sensibili diversitate distincta?* Ob electionem, vel reiectionem plurium Radicum; quas prima Tribus habebit, ea secunda non, et viceversa. 2. Ob diversam Potestatem eidem Radiei tributam, quia Lingua est Polydynamica. 3. Ob aliquam diversitatem pronuntiationis, et Alphabeti. 4. Ob varium ingenium et sollertiam compositionis in Nominibus Propriis, Politicis, Topographicis.

II. *Cur erunt Symmorphae, si Mater Amorpha?* Ob amplitudinem Tribuum et Gentis. Ob propositum condendi Leges communes Sacras, Liturgicas, Civiles: Ob propositum scribendi Historiam. Linguae enim Amorphae sunt necessario agraphicae, utque fiant Syngraphicae aeque necesse est ut fiant Symmorphae.

III. *Quae natura Glossomorphes harum Linguarum?* Fundus Grammatodynamicus, ut Lexici, et adfixivus: qui erit communis omnibus Sororibus, quia formationis est difficillimae Glossomorphe Grammatodynamica.

IV. *Cur Glossomorphe non erit plane eadem?* Ob Tribuum separationem, et Regimina alia: ob

Biotropismum vel diversum vel distinctum. Ob Philautiam idioethnicam.

V. *Cur hae Linguae plerumque sunt Pavromorphae et Cacomorphae?* Quia immediate derivatae ex Matre *Amorpha*; 2. Quia Lingua haec originalis Mystica Theologica Cryptica. 3. Quia etiam filiae Theologicae, et Semicrypticae. 4. Quia Tribus leviter in Civilitate Technoeuristica, et Sophioeuristica profecerunt.

VI. *Qui characteres et criteria Dialecti, sive Linguae Sororis praestantioris?* Cui Alphabetum 24. circiter literarum, et vetustius. 2. Lexicon uniforme, homogeneum, non hybridum, non Polypegaeum. 3. Grammatodynamis certa, clara, facilis, non incerta, obscura, difficilis. 4. Glossomorphe etiam Grammatodynamica. 5. Omnes characteres evidentes Linguae Grammatodynamicae. 6. Rizophylacismus constans, evidens, perpetuus, perfectus. 7. Usus temperatus literarum vocalium adspiratarum. 8. Libri Scripti vetustiores.

Ea his criteriis omnium Linguarum Semiticarum praestantiorem longe ceteris habuimus Hebraicam.

Sectio II.

De Linguis Similaribus Amorphis et Physiophtharticis, quae ex Lingua originali Grammatodynamica et Amorpha oriri, et progigni possunt et debent.

I. *Quae Causae Physicae ob quas Lingua Grammatodynamica et Amorpha necessario immutetur et corrumpatur?* 1. Dispersio, dissipatio, propagatio Tribuum in varia et diversa climata. 2. Temporis diuturnitas, vitae socialis progressus et cursus. 3. Professiones diversae, Biotropismus alius. 4. Idioharmonia Tribulis, gentilis, idioethnica. 5. Universae Civilitatis gravis immutatio; Systemata Politica. Regimina diversa.

II. *Cur hae Linguae etsi similares et Sorores possint esse mutuo inintelligibiles Tribubus, quae eas adhibeant?* 1. Ob Idiophoniam, pronuntiationem Climatericam, Tribulem, Chronicam factam Idioethnicam. 2. Ob electionem vel reiectionem diversarum Radicum. 3. Ob potestatem diversam tributam iisdem Radicibus. 4. Ob Voculas Glossomorphicas diversas selectas et adoptatas: 5. Ob variam compositionem Radicum in Nominibus propriis et Officiorum. 6. Ob Professiones, artes et vitam diversam: 7. Ob varium Usum Lexici Physiophonici, et etiam Paedophonici, Pathophonici, Zoophonici, etc.

Sectio III.

De Linguis Similaribus et Pavromorphis, quas ex Lingua originali Grammatodynamica et Amorpha condent sibi Tribus Pastorales et Isonomicae.

I. *Quodnam Lexicon harum Linguarum?* Idem ac Maternum, quoad Radices. Pronuntiatio tamen Climaterica, et Idioethnica. 2. Vocabula composita Idiotechnica. 3. Electio Radicum et potestas Idioethnica.

II. *Quae Glossomorphe?* Tenuis, levis: Idiolexica, sed adfixiva. Paucissima alia Moerolexica.

III. *Cur hae Linguae non fiunt Eumorphae et pleromorphae?* Quia nulla Collegia Sacerdotalia, conspirantia, nulla Systemata Mythica, Hierographica ampla magna proposita, nullae Scientiae, nullus Philohistorismus. Vita Pastoralis, Semi-Agricola, simplex, rudis: Unde nulla gravis necessitas, et nullae aequae rationes obtinendae Pleromorphes.

IV. *Quae Scriptura harum Linguarum?* Nulla indigena, et Idioethnica, nulla antiqua vetus; Sed recens Xenopegaea, ut ut idioethnice modificata ad leves et tenues usus, et non ad utilitatem proprie politicam, et Sophiographiam plenam comparata.

Hinc ducta nobis Fundamenta Hermeneutica *Tentaminis Osci*, quod modo, Deo dante, editur.

Sectio IV.

De Linguis Similaribus et Pavromorphis, quas sibi constituent Collegia Sacerdotalia et Aristocratica ex Grammatodynamica originali et Amorpha.

I. *Quodnam Lexicum harum Linguarum?* Radices Linguae Maternae originalis omnes fere servabuntur, sive ad Linguam domesticam et familiarem, sive ad Linguam arcanam et secretam, Theologicam Liturgicam Hierographicam Hieroglyphicam Divinatricem constituendam. Vocabula composita plurima Idiotechnica.

II. *Quae Glossomorphe?* Tenuis levis, ob Crypticismum Theologicum et Politicum acerrimum et pertinacissimum. Nam omnes Linguae Crypticae necessario amorphae, vel pavromorphae sunt.

III. *Quae Scriptura?* Sacra, Sacerdotalis, qua libri Theologici, Theurgici, Divinatorii descripti prorsus secreta, prorsus arcana, invisibilis profanis, incommunicabilis, certe Idiotechnica, et Idiomorpha, vetus antiqua. Alia communis, domestica, socialis recentior, Xenopegaea, facta maligne idiotechnica suppressione aliquot literarum, vel aliarum ignotarum additione.

Hinc petita nobis fundamenta Hermeneutica *Tentaminis Etrusci* hic editi.

Sectio V.

De Linguis Similaribus Pavromorphis et Pseudomorphis, quas condent Collegia Fratriaca Gentium Agricolarum et Plutarchicarum.

I. *Quodnam Lexicon harum Linguarum?* Ex eadem Lingua Matre Grammatodynamica et amorpha desumtum, adhuc similare, et homiophonum. Vo-

cabula tamen facta Idioethnica ex pronuntiatione Climaterica, Tribuli, Chronica; quin plurima composita ad minuendum Aoristicismum, et alia etiam plurima aucta et producta accessione aliarum Radicum ad Crypticismum augendum, et Idioglossam constituendam.

II. *Quae Glossomorphe?* Vera et realis tenuis, et levis; Quia adhuc Lingua arcana, Theologica, Liturgica: quamvis Tribuum Regimen ponatur Plutarchicum non Aristocraticum. Nobiles enim fere semper Plutarchici, et Plutarchici prudentes fiunt brevi Nobiles. Hinc ad fallendum sive Lectores, sive auditores Glossomorphe fit fallax, falsa per paragogismos inanes et grammatotropismum deceptorem.

III. *Quae Scriptura harum Linguarum?* Recens adoptata, sed facta Sacerdotali sollertia Idioethnica.

Hinc ducta nobis Fundamenta Hermeneutica *Tabularum Engubinarum*: Quarum specimen editur cum *Tentamine Osco.*

Sectio VI.

De Linguis Dissimilaribus et Cacomorphis, quae in Regiminibus Casticis Plebi constituuntur.

I. *Qui fontes Lexici harum Linguarum?*

1. Ipsae Dialecti Plebeiae corruptae et depravatae ex Grammatodynamica et amorpha originali. 2. Lexica Physiophonica, nempe Zoophonicum et Somatophonicum. 3. Lexicon Nepiophonicum, Sematophonicum. 4. Ipsum ex aliqua parte Lexicum originale Grammatodynamicum crypticissimo modo a Sacerdotibus transformatum, et transmutatum.

II. *Quae Methodi Lexeotropicae?*

1. Si Lexicon domesticum et biotechnicum servat adhuc plures et insignes homiophonias cum originali Grammatodynamica Sacerdotes per HeteroEtymismum, per inversionem Alphabeti, aliosque Crypticos

modos facient prorsus heterophonas. 2. Multa immutantur per Temuram. 3. Plura per Aphaeresin, per Epenthesin etc. 4. Non pauca per Homiophoniam, sed semper barbaricam.

III. *Quae Glossomorphe?*

Levis, tenuis, varia, incerta, confusa, mixta, quia Plebs levis, confusa, hybrida, inconstans: nullaque miseris institutio atque educatio: una cura acerrima Dominis brutificationis eius.

IV. *Cur hae Linguae conduntur?*

Ut Lingua Sacerdotalis, Hieratica, Hieroglyphica, Sacra fiat penitus diversa a Profana et Plebeia, ut Casta Sacerdotalis sacra pura discernatur etiam Lingua ab impura et populari. Ne commercio Linguae, si eâdem utrique uterentur, Imperium et Sacra occuparent Plebeii, et Castam Sacerdotalem pellerent et perderent.

V. *Qui Linguae Auctores?*

1. Tum ipsi Plebeii homines ex variis Tribubus et locis collecti et coacti Cacophoni et Heterophoni; Tum Optimates in Linguam plebeiam plurima Vocabula a Sacris et propriis plane heterophona maligna diligentia et sollertia inserentes.

VI. *Quae varietates harum Linguarum?*

Plurimae; Quia in his Regiminibus Plebs asperrime tractata perit quotidie, et nova semper per Mancipiorum Mercatores, per bella recipitur et sufficitur: Et adeo semper vetus lingua gravissime immutatur et fluctuat.

VII. *Quae Scriptura harum Linguarum?*

Nulla prorsus sub imperio Castico severo et indigena. Ubi tamen Regimen temperatur Xenocratia, Regione ab alia Gente occupata; tum Plebi sunt aliqua iura, aliqua stabilitas, et aliqua forma accedit Linguae, et potest utcumque scribi.

VIII. *Quae Criteria harum Linguarum?*

1. Lexicon domesticum et Technologicum ineptum,

Plebeium, Tavtophonicum. 2. Plurimorum Vocabulorum balbuties. 3. Voces reduplicatae. 4. Compositio vocum plebeia. 5. Nulla Vocabula profunda sollertia condita.

Haec nobis lingua Coptica, de qua prolixe etiam egimus in *Fundum. Herm. Script. Crypt.* ann. 1830. pag. 283. ad 337. et quam adhuc post tot annos Alphabetistae pueri habere pergunt, ut linguam sacram, profundam, doctam Hierophantum Aegyptiorum, et Mercurii Ter-Maximi!

Sectio VII.

De Linguis Dissimilaribus, sed Euphonis et Pleromorphis, quae ex Lingua Grammatodynamica et Amorpha condentur apud Populos Poëtophilos, Mythophilos, Grapheophilos.

I. *Qui fontes harum Linguarum?*

1. Dialecti Populares Physiophthairticae, sed praestantiores, quae magis homiophonicae, et Euphonicae habentur. 2. Lingua originalis pura a Sapientibus servata. 3. Lingua Physiophonica. 4. Et Paedophonica. 5. Grammatophonica originalis perennis, sollerti homini naturalis.

II. *Quae Methodi Glossotropicae praecipuae?*

1. Vocaleitas Palatina adfectata et aucta. 2. Rizophthartismus systematicus, certis legibus ac regulis subiectus. 3. Homophonia cum vocibus originalibus exclusa. 4. Homiophonia additis voculis Paragogicis permissa. 5. Temura, Prothesis, Epenthesis, Aphaeresis temperate adhibita. 6. Scita et sollers compositio Vocum novarum frequenter facta. 7. Plura per Heteretymismum immutata.

III. *Quae Glossomorphe?*

1. Plena, clara, sed systematica, saepe sematica, casuistica, inflexiva fere tota, et rizophthartica, etsi analogica constans, et profunda sollertia regularis.

IV. *Quomodo educta huiusmodi Glossomorphe, si Lingua originalis amorpha?*

Meditatione, studio, analogia, comparatione aliarum Linguarum plurimarum, sive veterum, sive recentiorum. Nam nulla Lingua fiet *Pleromorpha*, nisi post decem ad minimum Saecula, ex quo plures Gentes sensibili *Glossomorphe* uti incoeperunt. Nec ullum sive Poëtarum sive Oratorum Collegium Linguam Pleromorpham condet, nisi plurimarum Linguarum scientiâ comparatâ.

V. *Quae Caussae condendi has Linguas?*

1. Propositum canendi Hymnos, laudationes, Cantica Deorum, Semideorum, Heroum etc. 2. et impossibilitas vel adhibendi in eis Dialectos Populares, quia absurdae, inopes, cacophonae 3. Vel ipsam Sacram et originalem Linguam amorpham et heterophonam. 4. Unde facta necessitas, ut dicebamus et supra p. 258. augendi, ditandi, illustrandi Dialectos Populares inopes pauperes per hanc Sacram Linguam Radicibus uberrimam unis Sapientibus notam: et adeo facta necessitas condendi et constituendi *Neoglossam* et *Idioglossam* Gentis doctae et eruditae. 5. Tum Propositum condendi Systema *Mythicum*, scilicet Historias Deorum atque Heroum, quum impossibile sit condere *Systema Mythicum*, nisi per duplicem *Linguam Sacram* et arcanam *unam*, Popularem et communem alteram. 6. Aeque impossibile condere *Systema Hierographicum* et Hieroglyphicum, nisi data *duplici Lingua* heterophona et heterotechna.

VI. *Qui Auctores harum Linguarum?* Pantheopoei, Poëtae Theologi, et Theologi Poëtae, Hymnologi, Liturgistae, Mythopoei, Hierographi, Ascetae, Sacerdotes acastici, qui dici possunt *Samanaei*, Errones pii, Sacerdotes et expiatores vagi, ut Orphici et Homeridae Graecorum etc. omnes piissime coniurati, ut Deorum Religionem et cultum constituant, figant, augeant, propagent, sed per Fabulas, Mythos, Symbola, et transformationes omnis generis, et Dramata, Emblemata, Agalmata profundissime allegorica etc.

VII. *Quo pacto Neo-Glossa Populis traditur?* 1. Per Hymnos et Cantica Deorum, per Carmina Heroica: 2. Per Formulas, et Lemmata Liturgica. 3. Per Mythos et Fabulas Sacras.

VIII. *Quomodo servatur et custoditur haec Lingua dum conditur?* 1. Memoriâ Populi, et Ascetarum, qui condunt. 2. Et Alphabeto horum arcano et secreto hactenus Plebi ignoto, quae unam Eorum vocem et Hymnos audit et haurit.

IX. *Quamdiu durare potest plena et absoluta formatio et perfectio harum Linguarum?* Plura profecto saecula, puta X. XII. XV. a prima, et characteristica separatione a Materna et originali Lingua Grammatodynamica et amorpha.

X. *Quae Criteria harum Linguarum?* 1. Nulla Historia Pragmatica, et Palaeographica Linguae: quia Linguae Conditores arcani, secreti, anonymi, pseudonymi, perfecte anhistorici. 2. quia Alphabetum *Samanaeum* Poëtarum arcanum, Populare recens. 2. Historia Poëtarum et Poëmatum obscura, confusa, absurda; quia Ascetae et Samanaei auctores Linguae Anonymi, vel Pseudonymi. 3. Memoria Cantorum Rapsodorum Hymnologorum plurima, sed Scripta historica nulla, quia *Samanaei* Anhistorici, et Mythos et Fabulas condunt, scilicet veras Mundi historias et facta in absurdas Fabulas transformant non Res genuinas et veras narrant vel colligunt.

Ex his Linguis Unam ipsam tenemus esse *Graecam*, de qua iterum agimus Libro VI. Sect. I.

Sectio VII.

De Linguis Dissimilaribus, Euphonis, et Pleromorphis, quas in Regiminibus mixtis condent sibi Plebeii Nomophili, qui ad Isonomiam Politicam tendunt.

I. *Qui Fontes harum Linguarum?*

1. Iidem fere ac superius indicati. Accedit tamen

adoptio partis *Lexici* alicuius Linguae clarae et illustris, quia Plebeii sunt Xenophili, et prolixi laboris intolerantes.

II. *Quae Methodi Glossotropicae?*

1. Eaedem fere ac paulo supra expositae. At Homiophoniae cum Lingua originali sunt longe plures, quia haud ita *Crypticistae* sunt Plebeii Glossopoei: Contra plurima erunt Vocabula scitissime condita, et composita; quia Populi capere volunt, quum possunt, Vocabula.

II. *Quae Glossomorphe?*

Plena, Polypegaea, et Polytechna. Pars patria indigena, proprio ingenio condita et confecta; pars adoptata: Clisiacismus saepe Idiolexicus, etsi adfixivus: Plurima vocabula non systematice et sematice deducta et derivata; Sed scitissime composita.

IV. *Quae Causae formationis?*

1. Dialecti ipsae *Plebeiae* hybridae, absurdae, inopes. 2. Nobilium et Optimatum obscurae, parum notae, amorphae polydynamicae, ambiguae, arcanae. 3. Impossibilis usus Linguae Originalis Amorphae, et factae heterophonae et intractabilis populariter. 4. Necessitas absoluta Linguae clarae distinctae euphonicae pleromorphae ad Leges condendas, Historias scribendas, ad orandum quotidie ad Populum magnum, inquietum, turbulentum.

V. *Qui Auctores?*

Viri Plebeii, non miseri quidam, fatui et inepti homunciones, sed Cives, qui olim vel nobiles, vel ingenui, coacti ob factiones, et rixas Patria sua excedere, nec Lingua, nec congrua eruditione carentes ad aliam Civitatem accesserunt, in quam recipi non potuerunt nisi iuribus iniquis. Hinc conatus acerrimus aequandi Iuris, et condendae linguae, per quam totus Populus se suaque nosset.

V. *Quo pacto haec Lingua toti Populo potest tradi, et communicari?*

1. Per Comitia, per Orationes Tribunorum et aliorum. 2. Per Leges, Plebiscita, Senatus-Consulta. 3. Per Iurisperitos, et Interpretes Legum. 4. Per Poëtas.

Haec nobis Lingua Latina conatu proprio et originali Populi Romani condita maxima ex parte ex patriis et propriis Radicibus, ut dicetur iterum libr. VI. sect. 2.

Sectio IX.

De Linguis Dissimilaribus, sed Euphonis, atque Perissomorphis, quae constituuntur in Regiminibus Semicasticis et Proselyticis.

I. *Qui fontes harum Linguarum?*

1. Dialecti Castarum Nobilium. 2. Lingua originalis servata accuratissime ab Ascetis semicasticis. 3. Usus temperatus Linguarum externarum illustrium ad augendum proselytismum. 4. Nullus vel tenuissimus usus Lexici Physiophonici. 5. Nullus Grammatophonici.

II. *Quae Methodi Lexeotropicae?*

Iam indicatae. At plurima per Lexeotropismum arcanum, per inversionem Alphabeti, per Isopsephismum. Lexicon sacrum accurate compositum, reliqua per Grammatotropismum atque heteroetymismum facta: Unde exsurgunt pleraque Vocabula quasi surda, et quibus nulla potestas inesse videatur Ideographica, et Praxeographica; ut in Samscriticâ.

III. *Quae Glossomorphae?*

Plena, accurata, minuta, prolixa, implexa, analogica, systematica, sematica, inflexiva, casuistica.

IV. *Qui fontes Glossomorphes?*

1. Elementa Patria, et Elementa externa; Glossomorphe enim difficillima inventu et conditu est. Tum Ascetae Semicastici pigri; et Proselytici data opera assimilare se aliis student, ut eos ad Religionem suam adducant; et alios a se non se ab aliis sumsisse possint deinceps mentiri.

V. *Quae Caussae formationis?*

Necessitas habendi amplissimum Systema Mythicum, Poëmata plura; opera Liturgica, Theologica uniformia, clara et certa Lingua descripta, quibus tum Populi in Patria Religione contineantur, tum Sacerdotibus unus sit et uniformis docendi et sentiendi modus et tenor. Tum ne Patria Religio eruatur et perdatur per commercia et praedicationem Gentium externarum, quibus sunt praeclari Libri Theologici et Liturgici. Quin contra ut Libri huiusmodi sint etiam Ascetis Semicasticis, per quos Religionem Patriam possint et aliis locis et Gentibus inferre, et tradere.

VI. *Qui auctores Linguae?*

Non Ascetae acastici; non Castici et hereditarii, sed *Semicastici*: Illi scilicet, qui voluntarie ex omnibus Castis exeunt, et coeunt unâ in Collegia Ascetica et Sacerdotalia; et fiunt ita Casta et Classis Populi prima et praestantior, ut Indis fuit a temporibus Darii Hystaspidis, ut puto, ad VII Saeculum Christianum. Quae Indici Regiminis natura, quum a nemine prorsus adhuc fuisset capta et intellecta, absurdissimo modo historia Pragmatica Civilitatis Indorum fuit confusa et implexa. Nam omnes vulgo tenent Regimen Brachmanicum casticum et hereditarium fuisse in India et vetustissimum et latissime adhibitum, quum certo tenendum sit nullum amplum et insigne Regnum Indicum a Casta Brahmanica fuisse rectum ante VI saeculum Christianum.

Ex his autem Linguis arbitramur esse Samscriticam Indorum non Brahmanicam, sed Samanaicam, Semicasticam, et de qua agimus uberius libr. VI. Sect. 4.

Sectio X.

De Linguis Fractis, nempe Monosyllabicis, Oligolexicis et polydynamicis, quae constituuntur in Regiminibus Despoticis, Acasticis, et Aristarchicis.

I. *Qui fons Vocularum Lexici harum Linguarum?* Alphabetum 20 fere Literarum, quarum singulae per 20 circiter sonos et diphthongos variantur. Ita ut habeantur 400 circiter voculae. Hae variatae per 4 tonos efficiunt $400 \times 4 = 1600$: quae Radices datae universae Linguae.

II. *Quaenam est Scriptura, sine qua huiusmodi Lingua esse non potest: qua utraque vivit et existit?* Scriptura *LexeoSematica*, et Semiolexica: Cuius Syngrammata respondent uni vel duabus literis alphabeti Semitici, et quae possunt pronuntiari per Voculas 1600, vel 400 constitutas: ut iamdiu animadvertimus in *Fundam. Herm. Script. Cryptic.* Syngrammata Scripturae fundamentalia circiter 10,000.

III. *Quo pacto Lingua literata et librorum conditur?* Determinatione et fixatione 1600, vel potius 400 vocularum ad Syngrammata Scripturae. Nominato Syngrammate, nominata est etiam idea, obiectum, factum, quod per Syngramma exprimitur.

IV. *Quae alia auxiliaris Methodus ad Linguam vel Scripturam augendam, vel declarandam?*

Fractio directa, et meditata Vocum *Linguae* Primitivae et Amorphae, in singulas literas, vel binas. Tum enim recta ipsa vox *fracta* cum suo signo determinativo ponitur in Scriptura, et vox recipitur in usu sociali.

V. *Quo pacto formatur Lingua usualis, et domestica?*

Adpositione maxime et adsociatione plurium Vocularum, quae coerceant vim suam indefinitam, et ambiguam.

VI. *Quae Glossomorphe harum Linguarum?*

Literatae fere nulla, Domesticae tenuis, et mediocris: Omnis tamen Idiolexica et moerolexica.

VII. *Quae caussae formationis?*

Acerrimum Propositum condendi Linguam ita ambiguam et ineptam, ut Plebs et Populus una officia posset nosse necessaria et domestica, reliquorum ignarus, ob summam Linguae absurditatem: qua rebelliones et convulsiones Politicae essent fere impossibiles; qua sese Populi non intelligerent, nec de Politicis disserere scirent; quam uni viri doctissimi et ad Regimen occupandum idonei possent nosse et tenere, ac ea bene uti, ceteris ineptis. Unde posset condi Regimen vere et propriè Aristarchicum, et Sophocraticum.

VIII. *Qui Auctores harum Linguarum?*

Samanaei Politici, acastici quidem, et eclectici; sed qui quum profunde sensissent Populum plane Isonomum, data Lingua clara, Eumorpha, et Scriptura facili manifesta, eum numquam fere regendum iri a viris praestantioribus, quovis fabro et sutore prima Reipublicae officia ambiente, Linguam et Scripturam daemoniaca fere sollertia excogitarunt, qua una magna et praestantia ingenia possent officia et munera Reipublicae capessere. Et si hac Lingua et Scriptura profundissimo artificio conditis, nec Rebelliones impedierunt, nec saepius e trivio homines ad imperii culmen evehi et extolli; semper tamen et necessario factum ut per viros literatos Respublica administraretur.

IX. Si quis autem confert harum Linguarum Voculas cum vocabulis originalibus, cur eae constanter et perpetuo non congruunt et conveniunt ne in unâ quidem litera? 1. Primo quia maligni Conditores Linguae *Nomina Numerorum*, Pronomina Personalia, et aliquot alia Nomina insignia per *Heteroetymismum* profundum fecerunt a receptis heterophona. 2. Secundo, quia contraxerunt Alphabetum, et plures homio-

phonias vel perdiderunt vel corruperunt. 3. Tertio quia in Syngrammatibus Polysematicis frequenter litera communis et selecta et recepta minime illa est, quae recepto et noto Nomini respondet, sed altera et diversa.

Haec nobis Lingua et Scriptura Sinensis communis; de qua plura satis copiose egimus in *Fundam. Herm. Script. Crypt. veter. Gent.* et pauca alia addimus libr. VI Sect. 5.

Sectio XI.

De numero et qualitate Linguarum, quae secundum varia humana Regimina ab omnibus Gentibus ex Lingua primitiva Grammatodynamica atque Amorpha condentur et derivabuntur.

I. *Quae erunt Linguae in Regimine Castico severiore?*

1. *Prima* ipsa originalis 3000 ferme Radicum Sacra, Theologica, Theurgica, Hierographica, Hieroglyphica unis Sacerdotibus, Ascetis, Prophetis reservata. 2. *Secunda* similaris non plane eadem nec diversa, est Didactica, Magistralis, Scholastica, per quam nempe Disciplinae sacrae et Scientiae filiis tantum et fratribus traduntur. 3. *Tertia* Lingua domestica familiaris, socialis, Nobilium, Sacerdotum, Regis, Aulicorum, Praefectorum, etc. 4. *Quarta* Populi et Plebis funditus alia et diversa a Sacra et Hieroglyphica: quod hactenus capere non potuit *Cipellus* Parmensis, qui adversus *Systema* nostrum *Hieroglyphicum* scripsit.

II. *Quae Linguae in Regimine Semicastico Gymnosophistico non Proselytico?*

1. *Prima* Sacra, arcana, Theologica ipsa originalis Grammatodynamica, et amorpha. 2. *Secunda* didactica, Liturgica, similaris, idiomatica. 3. *Tertia* Politica socialis communis, heterophona, Lexeotropica, sed patromorpha, vel metriomorpha.

III. *Quae et quot Linguae in Regimine Semicastico Proselytico et Syncretistico?*

1. *Prima* arcana, originalis, 3000 fere Radicum amorpha, eaque Theologica, Liturgica, Hierographica etc. 2. *Secunda* dissimilaris, heterophona, facta per Methodos Glossotropicas, pleromorpha, perissomorpha; etiam arcana, etiam incommunicabilis classibus Civium sive Castis inferioribus. 3. *Tertia* Popularis, Classibus inferioribus communis per depravationem Linguae doctae certis legibus peractam condita. 4. *Quarta*, quinta etc. Linguae veteres Populares per Supplementa et Lexicum Linguae doctae impleta, suppleta, adaucta, et ita tamen, ut Linguae sint mutuo inintelligibiles et inexplicabiles: Scilicet dato uno lexico non intelligitur et capitur alia Lingua, nisi dato lexico suo Idioethnico.

IV. *Quae Linguae Regiminum Aristocraticorum severiorum?*

1. *Prima* illa iam saepius dicta originalis ab omnibus veteribus sapientibus et Politicis servata et custodita, Theologica, Liturgica, Hierographica, Hieroglyphica. 2. *Secunda* similaris Idiomatica, Pavromorpha, vel fere amorpha, didactica, Magistralis, docta, Literata, recepta in Libris Sacris et arcanis. 3. *Tertia* Lingua socialis, domestica, similaris, sed Physiophthartica, Climaterica, Tribulis, Chronophonica. 4. *Quarta* Plebeia, mixta, hybrida, confusa, cacomorpha, quae non scribitur, et perit ignota.

Tentamen nostrum Etruscum spectat ad *tertiam* Linguam.

V. *Quae Linguae Regiminum Aristocraticorum temperatiorum et Agoristicorum, vel Plutarchicorum, et Isonomicorum? Ubi Praestantiores Cives Poetophili, Mythophili, Agalmatophili?*

1. *Prima* illa ipsa Sacra et originalis saepius dicta, necessaria omnino ad Fabulas sacras, ad Mythos, ad Agalmata divina condenda. 2. *Secunda* docta Literata, Poëmatographica, heterophona, dissimilaris a

Sacra et arcana, facta per Glossotropismum Systematicum, Clisiaca, pleromorpha, Idioharmonica. 3. *Tertia* Plebeia popularis per systematicas depravationes ab ipsis conditoribus Linguae doctae constitutas recepta. 4. *Quarta*, quinta etc. mixtae confusae a Plebe indocili et illiteratâ conditae.

VII. ***Quae Linguae Regiminis Aristocratici sed mixti, quo Plebeii acri conspiratione ad Isonomiam tendunt?***

1. *Prima* originalis iam dicta Arcana secreta, sed Patriciis et Nobilibus nota, et praestantioribus Plebeiis, qui ingenui, vel nobiles in Patria sua, et adeo docti et eruditi, pro temporum conditione, fieri Plebeios in externa Civitate coacti sunt, ut iam supra innuimus. 2. *Secunda* Patriciorum et Nobilium Idiomatica, Similaris, fere amorpha vel pavromorpha. 3. *Tertia* Plebeiorum mixta confusa hybrida. 4 *Quarta* sensim sensimque facta communis Clisiaca, Eumorpha, Lexeotropica. etc. etc. etc.

LIBER TERTIUS

De Lingua Semitica et singillatim Hebraica Grammatodynamica.

Sectio I.

De potestate Ideographica, Aestheseographica, et Praxeographica praecipuarum Literarum oris humani.

1. Labialium B. P. F. V. M. 2. Dentalium D. TH. T. Z. TZ. SCIA. 3. Lingualium L. N. R. 4. Palatinarum. CHIA. GHIA. SCHIA. SCHA. 5. Gutturalium KA. GA. QUA. 6. De Potestate Literarum adspiratarum Labialium *ji*, et *Vu*. 7. De potestate adspiratarum Gutturalium HAA, HHEE, HHUO.

Lexicon harum Potestatum, Virium, et significationum unde necessaria et intrinseca Potestas Linguae Grammatodynamicae arguitur et demonstratur, editur, Deo dante, in *Tentam. Hermen. Osco.*

SECTIO II.

De relatione Literarum Alphabeti Hebraici cum praecipuis Literis oris humani.

1. De relatione Literarum ב *Bet*, ג *Ghimel*, ד *Dalet*. ז *Zain*. ך *Kaf*. ל *Lamed*. מ *Mem*. ן *Nun*. ר *Resch* cum literis Oris nostri.

2. De Relatione literarum ף, PHE, FE: צ *Tzade*, ק *Quof*.

3. De Relatione Literarum ח *Chiet*. ט *Theth*. ס *Sciamech*. ש *Schin*. *Schiain*. ת *Tau*.

4 De Relatione Literarum adspiratarum א *Haa*, ה *Hhee*, ע *Hhuo*, י *Ji*, ו *Vu*.

SECTIO III.

De Pronuntiatione fundamentali Librorum Mosis et Prophetarum Hebraeorum.

1. Absurdum in Alphabeto scripto Gentis illustris deesse literas Vocalicas longas et graves: Non absurdum deesse breves, raptas, adhaerentes, naturales, necessarias. 2. Si habemus literas adspiratas *Aleph*, *He*, *Vau*, *Iod*, *Huain*, ut vere fuerunt, vocales longas et adspiratas; ceterisque Consonis *Vocales adhaerentes* et *necessarias* nempe breves et raptas adponimus, habemus fundamentalem Pronuntiationem Librorum veterum Hebraeorum. 3. Pronuntiatio Masoretica intrinsece falsa est, ut ut utilissima Tironibus: quia impossibile esse *Quiescentes* origine sua et una *Mat es Lectionis Adspirationes* Vocalicas; impossibile adscititia *Puncta* plus valere quam *originales literas*, et ita porro per alia plurima argumenta iam a doctissimis viris excussa.

Hoc autem fundamentale Hebraicae Lectionis Systema ad nostrum propositum plane sufficiens, qui vocalibus brevibus nullam peculiarem potestatem tribuimus, ipsum est quod iam proposuit Volneins tom. VIII. oper. edit. 1822. qui per plusquam triginta annos profunde et docte in studiis omnium Linguarum et Dialectorum Semiticarum incubuit.

Sectio IV.

De vera et intima Polydynami, non Orthographica, Vocabulorum Semiticorum.

1. Lexicon Hebraicum appositis et adiectis omnibus punctis et signis Masoreticis manet adhuc et durat magna ex parte Polydynamicum.

II. Dato duplici sensu librorum Sacrorum Originalium, quem omnes fere Sectae Hebraicae, Christianae, Musulmanae unanimi consensu admittunt, danda est etiam Polydynamis originalis et intrinseca Vocabulorum Semiticorum.

III. Data Bibliotheca Hebraeorum Kabalica acerrima et pertinacissima cura quasi ab ipso Mose et Prophetis condita et servata, danda est intima Polydynamis Vocum Hebraicarum, et nullitas Punctorum Masoreticorum.

IV. Omnes fere Particulae Glossomorphicae sive adfixivae, sive moerolexicae Linguae Hebraicae utcumque punctis instructae sunt Polydynamicae.

V. Illa gravis, insignis, et frequens diversitas Versionum Biblicarum a tertio Saeculo Prochristiano ad quintum Christianum, tum a Saeculo XV, ad XIX, quae a viris et piissimis saepe et doctissimis profecta est impossibilis, nisi data originali et primitiva Polydynami vocum Hebraicarum.

VI. Polydynamis Vocabulorum Semiticorum est plane hactenus insolubilis per proposita systemata. Nam levia tenuia sunt et nihili, quae de nescio quo sensu primitivo, de translato, metaphorico, de radicibus Arabicis etc. proposuerunt Gousșetus, Neumannus, Avenarius, Hottingerus, Cocceius, Simonius, et longe doctissimus Schultensius, etc.

Sectio V.

Polydynamis Vocabulorum Hebraicorum imo totius Lexici fundamentalis Semitici a nulla plane nulla alia caussa oriri et gigni potuit, nisi a Dynami et Polydynami literarum humani oris, per quas potestates profunda et systematica sollertia Auctores et Conditores Vocabula condere et formare debuerunt.

Sectio VI.

Recensentur characteres Grammatodynamici manifesti et necessarii linguae Hebraicae.

I. Lingua Hebraica est Grammatodynamica, quia Lingua est. 1. Consonantica. 2. Gutturalis. 3. Musica ob א, ה, ע, quae recte pronuntiata saltem Semitono distant. 4. Triliteralis. 5. Temurica. 6. Adspirata. 7. Synonymica. 8. Alphabetogenita, et 9. Alphabetigenitrix.

II. Alphabetum Hebraicum originale non potuit spectare nisi ad Linguam Grammatodynamicam.

III. Voculae et literae Glossomorphicae Linguae Hebraicae sunt Polydynamicae et Grammatodynamicae.

Sectio VII.

Linguam Hebraicam esse vere et intime Grammatodynamicam, Specimine et analysi 400 circiter vocum demonstratur.

Specimen hoc editur in *Append. ad Tentam. Hermen. Oscum.*

LIBER QUARTUS

De falsis Linguarum humanarum characteribus atque originibus.

Sectio I.

Falsum est omnium Linguarum humanarum Radices esse paucissimas: puta ducentas, trecentas, quadringentas: Et adeo omnia reliqua Vocabula habenda esse derivativa, et deducta.

I. Primo, quia *Thesaurus* primitivus et originalis *Linguae Grammatodynamicae* habet plusquam 10,000 Radicum Triliteralium.

II. Secundo quia *Thesaurus* Linguae *Sematophonicae* est plane indefinitus atque inexhaustus, et per nostram naturalem *Anthropolaliam* possumus condere atque habere innumeras Chiliades et Myriades Vocum.

III. Tertio, quia Linguae Lexeotropicae per Methodos iam indicatas facillime chiliadibus Radicum ditantur.

IV. Quarto quia si verum est ex singulis Fontibus Physiophonicis Linguarum humanarum aliquot Centurias vocum singillatim non posse colligi; Aeque verum datis simul Fontibus. 1. Paedophonico. 2. Pathophonico. 3. Zoophonico. 4. Somatophonico. 5. Grammatophonico, posse colligi plusquam 400 Radices Lexeogonicas.

V. Quinto, quia impossibile est condi Linguam Encyclopaedicam per 300. tantum vel 400. Radices, et qui secus tenent ne maternam quidem Linguam suam norunt: et quid sit *Radix* nesciunt.

VI. Sexto quia nulla Lingua illustris constat 300 tantum vel 400. Radicibus, sed longe pluribus; ad minimum 1500.

VII. Septimo quia Vocabula, quae dicuntur et habentur *derivata* et *deducta*, habenda et dicenda

sunt plerumque *composita*, et *facta* ex pluribus *Radicibus* propriis et peculiaribus.

VIII. Systema Etymologicum Literatorum Batavorum Lennepii, Walckenaerii, etc. potissimum quoad Graecam Linguam nec Grammatodynamicum est, nec Physiophonicum, nullum ratione, absurdum proposito, ineptum et ridiculum opere est.

Sectio II.

Falsum est omnium Linguarum Radices esse Monosyllabicas, nempe Uniconsonanticas, vel Diconsonanticas: ita ut reliqua Vocabula proliziora habenda sint derivata et deducta.

I. Primo, quia omnis Homo, qui loqui vult, et significare aliis sensus suos desiderat, si arcanae et peculiares rationes non obstent, vult pingere, expingere, et quasi extendere expandere explicare ideas suas; quae patefactio atque extensio, vocum et sonorum ope est peragenda, quumque unius tantum consonae percussio sit plane levis et tenuis effectus, saepius et frequentius Homines in Polysymphonas voces excurrere et ferri necesse est.

II. Secundo quia Vocabula Linguae Grammatodynamicae natura sua possunt constare indefinito literarum Consonarum numero, et ratione tantum et voluntate plerumque tribus, et hinc quatuor, quinque ad Glossomorphen etiam Grammatodynamice significandam augentur.

III. Tertio quia Vocabula ipsa Physiophonica stridentia, frementia possunt et debent saepius constare plusquam duabus, vel tribus Consonis.

IV. Quarto, quia Lexicon quodcumque Sematophonicum potest constare indefinito numero consonarum.

V. Quinto, quia Vocabula Grammatophonica pleraque proliziora sunt duabus, vel tribus consonis.

VI. Sexto quia nulla humana Lingua clara et literata abundat Radicibus Uniconsonanticis.

VII. Septimo quia Infantes nostri si minus cumulant consonas in primis suis vocibus, voces saltem constantissime repetunt, reduplicant, ingeminant Adeo necessaria est quaedam rationalis prolixitas *vocabulis* humanis, ut melius auribus et mente capiantur

Sectio III.

Falsum est omnes humanas Linguas ab universo Populo et a tota Gente per tenuia, secreta, atque insensibilia incrementa condi, creari, augeri perfici.

I. Primo, quia in quacumque Gente humana, in quocumque Populo utcumque Isonomo, et Democratico Lingua literata et Librorum semper gravissime distat a Lingua Populari et Plebeia.

II. Secundo, quia Vocabula Professionum, Artium Disciplinarum, et Scientiarum non possunt inveniri condi, expoliri, augeri, perfici nisi a Professoribu et Cultoribus, non ab universo Populo et Plebe tota

III. Tertio, quia omnis Glossomorphe sive Grammatodynamica, sive Systematica et Analogica non mod numquam a Populo et Plebe ineptissima obtinebitur sed absque diuturna conspiratione et pertinaci coniuratione selectorum praestantium Ingeniorum habe numquam poterit.

IV. Quarto, quia in omnibus Regiminibus mini aequis Castico, Semicastico, Despotico, Aristocratic omnibus, in quibus nempe Classis Sacerdotalis litera et nobilis discernitur, non modo ab ista una litera Classe Linguae Sacrae Theologicae et literatae co duntur, sed ipsae Plebeiae reguntur, constituuntur modificantur, et saepius maligno artificio corrum puntur, et depravantur.

V. Quinto, quia omnes Linguas claras et illustr

temporum recentiorum et plane historicorum non Plebeiorum concursus et loquacitas, sed ope Linguarum Veterum, sed subsidio Lexicorum Gentium illustrium, selecta et praestantia Ingenia, magni et illustres Viri gravi et diuturna cura expolierunt, erudierunt, auxerunt, locupletarunt.

Sectio IV.

Falsum est in omnibus Humanis Linguis Glossohylaeum et Glossoideam, Glossolexica et Glossomorphen unâ incipere, et unâ simul et aeque augeri, crescere, et perfici, ut iam monuimus libr. I. sect. 9.

I. Primo quia omnia Vocabula originalia sive Grammatophonica, sive Physiophonica; sive Grammatodynamica biliteralia et etiam triliteralia, sive Pathophonica, Zoophonica, Cineseophonica, Paedophonica sunt natura sua amorpha, aorista, indeclinata. Scilicet est tempus, est Periodus in omni Gente loquente, qua est Glossohylaea absque Glossomorphe, Glossolexicon absque formis Grammaticis.

II. Tempus hoc Linguarum amorpharum, vel prorsus Oligomorpharum durabit quamdiu durabit Periodus Gentis Barbarica, sive rudis, pastoralis, agricola, patriarchalis. Nam quamdiu negotia per praesentes personas, et vocabula oralia, et symbola certa peraguntur, Radices Linguae potissimum Grammatodynamicae sunt satis. Nam plurima adduntur accentu, sono, nutu, adspectu, inclamationibus, signis, gestibus, et totius corporis motu.

3. Quin si collegia Sacerdotalia et literata coniurant ut Lingua constituta amorpha vel pavromorpha servetur, per plurima et longa saecula servabitur, ut factum apud omnes veteres Populos Aristocraticos, et Despoticos Transgangeticos; quibus et fuerunt semper et erunt adhuc Linguae pavromorphae.

Sectio IV.

Falsum est humanas Linguas, quas novimus, non esse nisi naturales, lentas, successivas, et necessarias corruptiones, et populares atque plebeias depravationes Protoglossae Generis humani.

I. Primo, quia Physiophthartismus Glotticus sive Climatericus, sive Tribulis, sive Chronicus certissimis finibus clauditur et coercetur super omni Telluris facie.

II. Secundo, quia humanae Linguae data Climatis et Civilitatis quadam aequitate per plurima saecula similares homiophonae agnoscibiles durant, ut certum est ex historia Pragmatica omnium Linguarum Semiticarum, Romaicarum, Germanicarum, Indicarum, Transgangeticarum, etc.

III. Tertio, quia nullus cursus naturalis, nullus progressus physiodromicus Civilitatis Linguam veterem ita immutat ut agnosci facile non possit, nisi reiiciatur et systematice transformetur.

IV. Quarto, quia est prorsus impossibile per naturalem rerum ordinem et cursum, per spontaneum Linguarum et Tribuum humanarum progressum, nisi accedant systemata profunde Glossotropica et Lexeoplastica, ex Lingua Hebraica ex. gr. oriri et gigni Copticam, ex Aethiopica Persicam, ex Arabica Graecam, ex Syra Latinam.

Sectio V.

Falsum est Humanas Linguas et singillatim veteres illustriores a brutis et mutis Hominibus factas et conditas.

I. Primo, quia characteres et criteria Linguarum Brutogenitarum, de quibus actum est Libro I. sect. 13. minime conveniunt characteribus et criteriis Linguarum veterum.

II. Secundo, quia impossibile est Deum Opt. max.

proiicere in Terra Homines brutos et mutos: sed infinitae eius bonitati conveniens est praeponere Generi humano Protoparentes aequa et rationali civilitate praeditos.

III. Tertio, quia est aeque impossibile humanas Tribus Ethica et Theologica civilitate imbutas in Climatibus aequioribus ob quascumque calamitates in mutam et brutam Barbariem decidere et devolvi; quod fatua et imperita Generis humani calumnia plures autumarunt.

IV. Quarto, quia nullae inventae umquam nullae descriptae Tribus vel Familiae Hominum brutorum et mutorum.

V. Quinto, quia omnes illustres veteres Gentes constantes et unanimes tradiderunt Linguas suas non a brutis et mutis hominibus conditas, sed a Diis immortalibus traditas et factas: ut Aegyptii, et Phoenices a Thaauto. 2. Chaldaei ab Oanne. 3. Graeci ab Hermete, vel Prometheo etc. 4. Latini a Mercurio Atlantio. 5. Indi Brachmanes a Brachma et Sarasuadi. 6. Indi Sivitae a Siva et Parvadi. 7. Scandinavi ab Odino etc. etc.

VI. Sexto, quia plures Linguae veteres illustrissimae, ut Graeca, Latina, Persica, Samscritica etc. habent tum partem insignem Lexici communem, tum aliam aeque communem cum Linguis Semiticis; quod impossibile si essent brutogenitae, et avtogennetae.

Sectio VI.

Falsum est Humanas Linguas, et singillatim veteres illustriores fuisse in Babelica clade miraculo infusas et conditas.

I. Primo, quia nullo prorsus aequo testimonio, nulla auctoritate neque Sacra neque profana tantum miraculum indicatur suadetur demonstratur.

II. Secundo, quia miraculum huiusmodi summae

Dei Opt. Max. bonitati adversatur: Absurde abrupta historia Pragmatica Generis humani, et maxime Religiosa et divina.

III. Tertio adversatur et Sapientiae eiusdem Dei Opt. Max.

IV. Quarto, quia ex ipsa Gentium humanarum Babelica divisione circa Euphratem et Tigrim constitutos invenimus Arphaxadeos, Assyrios, Aramaeos, Elamitas, Phoenices, et alias Gentes omnes homioglossas etiam modo post plusquam quatuor annorum millia; quod impossibile data Linguarum plurimarum infusione et creatione Babelica.

V. Quinto, quia imperium Nemrodi statim a Clade Babelica constitutum, et quidem super fere totum, quod tunc erat Genus Humanum, non potuit nisi in Homoglossos constitui et condi.

VI. Sexto, quia omnes Gentes, cum quibus Abraham et Isaac Hebraei agunt et tractant, fuisse homoglossas vel homioglossas certum est.

VII. Septimo, quia Linguae propriae et Idioethnicae, quae a Mose tribuuntur singulis filiis, et Nepotibus Noe non sunt intrinsece diversae et heterolexicae, sed Idiomatibus tantum, pronuntiatione, et Voculis Glossomorphicis distinctae.

VIII. Octavo, quia per miraculum heteroglossiae Babelicae omnis Scientia Etymorum, omnis cursus Linguarum amittitur, omnis nexus Historicus inter Mundum antediluvianum et postdiluvianum disrumpitur et perditur: et natura atque origo Heteroglossiae Generis humani nec invenitur, nec declaratur.

Sectio VII.

Attamen in Babelica Clade rebelles Homines insignem balbutiem contraxisse certo tenendum est.

I. Babelicam Turrim horrendis procellis deturbatam coelestibus ignibus combustam, et solo aequatam ex

plurimis testimoniis Veterum, et ex ipsis visibilibus reliquiis plane certo tenendum est.

II. Babelicae Turris ruinam et cladem stilo Theologico et phrasi sacra per Descensum Dei Opt. Max. aperte Moses significavit.

III. Recensentur effectus Physici, quos horribilis et ignea procella in Homines congregatos atque aedificantes debuit producere.

IV. Hos ipsos effectus physicos in Homines Babelicos Mosen Prophetam agnovisse et descripsisse, singulorum verborum analysi demonstratur.

V. Balbutiei Babelicae signa et argumenta multae Gentes et singillatim Pelasgicae servarunt.

VI. Data Balbutie Babelica, insigni certe adiumento heterophoniae Generis humani, consensus ille amplissimus et pertinax tum veterum tum recentiorum de Linguis pluribus in Babelica clade genitis explicatur et intelligitur.

LIBER QUINTUS

De veris et genuinis Linguarum humanarum originibus.

Sectio I.

Lexicon Semitoglossum per elementa adeodata a Protoparente Generis humani coeptum et constitutum, a Patriarchis filiis auctum fuisse est plane certo tenendum.

I. Lexicon Semitoglossum scilicet Grammatodynamicum, Consonanticum, Gutturale, Temuricum, etc. a brutis et mutis Hominibus formari, condi, augeri est prorsus impossibile.

II. Aeque impossibile est Lexicum Semitoglossum a Collegio doctorum Virorum conceptum animo et institutum tradi et communicari plurimis Tribubus Physiophonicis et Sematophonicis.

III. Unus primus Homo, unus Propator humani Generis peculiari Dei Opt. Max. providentia adiutus potuit Linguae Semitolexicae et Grammatodynamicae fundamenta ponere et constituere.

IV. Una haec Lingua Grammatodynamica et Deo conditore, et Protoparente adhuc pio, et ipso Genere humano digna esse potuit.

V. Divinam Linguae Semiticae originem plures illustres Gentes, plurimique viri doctissimi semper tenuerunt et propugnarunt, ut Hebraei, Arabes, Syri, Christiani, Moslemii, Neoplatonici Philosophi plures praestantissimi.

Sectio II.

Lexicon Semitoglossum traditum Mundo postdiluviano a Filiis Noachi etiam Semitoglossis certum est.

I. Cainianos Antediluvianos Lexico Protoparentis sui usos etiam ex Nominibus propriis a Mose servatis iure colligitur.

II. Etiamsi a Gigantibus, aliisque rebellibus antediluvianis sive parum sive multum Patria lingua immutaretur, Sanctum Patrem Noachum servasse illibatam Linguam Patris sui ex genere Sethi Adamici certum est, nempe Semitolexicam.

III. Lingua Semitolexica, quam modo novimus non potuit ad nos pervenire, nisi primum per Noachum et Filios eius Mundo novo inferretur.

IV. Lingua Generis humani usque ad Tribuum Dispersionem a clade Babelica fuit una prorsus Lingua Semitolexica.

Sectio III.

Lexicon Semitoglossum priorum Noachidum non ab unis Filiis Heberi Semitae, sed a pluribus aliis Tribubus, imo ab omnibus Sacerdotibus, ab omnibus Liturgistis, ab omnibus Ascetis, et Naziraeis fuisse servatum et custoditum tenendum est.

I. Primo, quia Lingua Patria, propria, originalis, ea maxime, quam Sanctae et divinae Traditiones commendarent, nisi ob ingentes et gravissimas caussas, quae valde raro, et sero accidunt, non deponitur vel immutatur.

II. Secundo, quia omnes Gentes Philarchicae, Pastorales, Isonomicae, Gerontarchicae, et etiam Plutarchicae, ut *Osci* nostri, numquam potuerunt vel voluerunt deponere *Linguam* suam veterem et originalem et patriam.

III. Tertio, quia omnes Sacerdotes, Hierophantae, Ascetae, Theurgistae, Iatromagi, qui non poterant nec invenire, nec excogitare Linguam Theologicam puriorem, potiorem, fortiorem, sublimiorem, necessario eam servare et retinere semper et ubique debuerunt.

IV. Quarto omnes Agalmatopoei, Emblematopoei, Hieroglyphistae, Symbolographi, Mythopoei necessario *Linguam Noachicam* servare debuerunt; quia absque illa nulla profunda Agalmata, Emblemata, Dramata, Mythi, et Fabulae divinae poterant condi et formari: Unaque haec Lingua *Lexeographicum* fundum facit universae Scripturae sacrae, et omnis Hierographiae Aegyptiae, Indicae, Sinicae, Syrae, Graecae, Italicae etc. etc. ut per alia etiam aeque intrinseca argumenta ostendimus in opere nostro edito ann. 1830. *de Fundam. Herm. Script. Crypt. veter. Gentium.*

Sectio IV.

Linguam Semitolexicam Saeculo adhuc Septimo Prochristiano ampliorem et latiorem Gentibus, uberiorem vocabulis, cultiorem forma prae reliquis omnibus, quae tum esse possent, est omnino tenendum.

I. Indicantur Gentes et Populi, qui Septimo Saeculo Prochristiano utebantur Linguâ Semitolexica: Hebraei, scilicet, Phoenices, Palaestini, Samaritani, Idumaei, Ammonitae, Moabitae, Chaldaei, Syri, Assyri, Medo-Pelvici, Arabes, Abissini, Poeni, Mauro-Phoenices.

II. Indicantur Populi Semitoglossi, quibus septimo Saeculo Prochristiano erant vel Libri scripti, vel Adversaria et adnotationes scriptae Alphabetice Lingua sua. 1. Hebraei scilicet. 2. Samaritani. 3. Phoenices. 4. Chaldaei. 5. Assyrii. 6. Medi. 7. Poeni etc.

III. Nullam Linguam neque Iapeticam neque Chamiticam ea aetate factam pleiolexicam et pleromorpham, quum *Homeri Poëmata*, nec his quae habemus identica, non sint vetustiora Pisistrato et Solone, est certo tenendum. Omnes Inscriptiones Graecae quae dicuntur VI. Saeculo prochristiano vetustiores apocryphae. Poemata Indica Christiana aera certo recentiora, etc. etc.

IV. Eodem saeculo Septimo Prochristiano si non negatur fuisse plures Gentes et Tribus, quae barbare adhuc et rudi ter Iapetice, et Chamitice, non Semitice loquerentur: est tamen tenendum fuisse alias plures, quae nec Dialectis plane Semiticis et perfecte, nec Linguis Iapeticis et Chamiticis adhuc barbaricis, sed Linguis Semitolexicis similaribus et Idiomaticis uterentur, ut in Italia *Etrusci*, *Osci*, *Aborigines*: in quorum Linguas, quas iure diximus *Pelasgicas*, edimus *Tentamina Hermeneutica*.

Sectio V.

Linguam Semitolexicam priorum Noachidum fuisse fere per omnia amorpham, aoristam, indeclinatam, radicalem est certo tenendum.

I. Primo, quia res humanas per gradus suos procedere et crescere necesse est, adeoque danda sunt initia rebus humanis parva, et ea tantum quae sunt prorsus necessaria. Atqui Lexicon amorphum vel pavromorphum primae Sociali Periodo congruum est.

II. Secundo, quia Homines vetustissimi potuerunt uti longe facilius, quam nos, Lingua amorpha et Aorista.

III. Tertio, quia Lingua priorum Noachidum fuit Lingua Ascetarum, et Theologorum; Scilicet *Sethianorum*; et adeo *Crypticistarum*: data maxime aemula et adversa *Caini* stirpe.

IV. Quarto, quia *Agraphismus*, vel *Oligographismus* omnium veterum Gentium oriri maxime debuit ex *Amorphismo* vel *Pavromorphismo* Linguarum: Ubi Linguae sunt *Amorphae* vel *Pavromorphae* condi et servari libros et scripturas impossibile: ubi sunt *Eumorphae* necessarium et facillimum.

V. Quinto, quia Scripturae *Hieroglyphicae* Aegyptiae, Sinenses, Chaldaeorum, et Medorum Cuneographicae linguam originalem *Amorpham* aperte indicant. Quod a nobis alio nostro opere de *Script. Cryptic. Veter. Gent.* indicatum prolixe.

VI. Sexto, quia omnes Linguae Transgangeticae *amorphae* vel *pavromorphae* factae ex fractione *Noachicae* necessario indicant Linguam originalem et veterem fuisse quoad formam naturae eiusdem. Nam si omnes veteres humanae linguae fuissent vel natura vel arte *Eumorphae* et *Pleromorphae*, quo pacto quarta fere pars Generis humani uteretur adhuc *lingua* quasi *amorpha* et prorsus *pavromorpha?*

VII. Septimo, quia Dialecti Semiticae Symmorphae et metriomorphae attente consideratae manifeste produnt se olim fuisse *amorphas*, vel omnino *pavromorphas*. Vid. *Disquisit. nostram de Hierographia Abraxea*.

VIII. Octavo, quia ipsae Linguae Iapeticae sive *metriomorphae* sive *pleromorphae* et *eumorphae* servant criteria aliqua *amorphismi* sui originalis: Haec clara in Zendica, Pelvica, Persica. Tum ex Articulo Hellenum et forma infinitivi modi φιλ-ειν, τυπτ-ειν certum priscos Hellenes usos fuisse Lingua fere *amorpha*.

IX. Facta accurata Historia Pragmatica Linguae Latinae certo colligitur eam usque ad VI. Urbis saeculum fuisse prorsus *Pavromorpham*.

X. Data Historia Pragmatica Linguae Anglicae, et Linguae Scandinavae Inscriptionum Runicarum certo colligitur veteres Linguas Germanicas fuisse apud Populum et Plebem *pavromorphas*: quaequae esset forma, quam in Versionibus Biblicis et Libris adsumerent.

SECTIO VI.

Omnes Linguas Iapeticas et Chamiticas illustriores factas fuisse per Lexeotropismum Systematicum et Technicum ex eadem Lingua Noachica et Semitica quoad maximam Vocum partem, necessario et certo tenendum est.

I. Primo, quia quum demonstratum sit Linguas veteres, ut Iapeticas illustres, non esse Brutogenitas: necessario caussas et rationes suas, nisi habeant in nihilo, in Lingua vetustiore et patria habere necesse est. At quia est aeque demonstratum per *Lexeotropismum* Systematicum posse condi et facillime condi linguas prorsus diversas, et tamen intime cum vetere et patria connexas. Ergo ita omnino eas *Linguas* revera fuisse conditas tenendum est.

II. Secundo, quia data insigni parte Lexicorum *Iapeticorum* homiophonica cum Lexicis *Semiticis* dandum est reliquam partem fere totam per Lexeotropismum Systematicum conditam.

III. Tertio, quia datis Systematibus Hierographicis, Mythicis, Symbolicis, Graecorum, Romanorum, Indorum, Scandinavorum, Aegyptiorum necessario dandae sunt Linguae Populares a Sacra et arcana heterophonae et diversae; eaeque per unum fere *Lexeotropismum* Systematicum ex eadem Lingua deductae a Collegiis Sacerdotalibus.

IV. Si omnes Linguae humanae auctae exornatae conditae a VII. Saeculo Christiano ad aetatem nostram caussas et origines suas in Linguis vetustioribus et clarioribus habent, utique est aeque tenendum Linguas auctas formatas conditas a VII. Saeculo prochristiano ad VII. Saeculum Christianum ex vetustioribus potissimum certo artificio et sollertia fuisse conditas. Atqui notum est potiorem partem et clariorem Generis humani VII. adhuc Saeculo prochristiano fuisse *Semitoglossam*.

Sectio VII.

De Samanaeis Syro-Cadmonaeis et Bathaneis praecipuis auctoribus Linguarum Lexeotropicarum et clisiacarum.

I. De Viris illustribus, Philosophis, et Theologis Cadmonaeis, et Bathaneis a primo Saeculo Pro-Christiano ad Islamismum: De Theurgis Chaldaeis, Zoroastricis, Gnosticis, Zabiis, Manichaeis, Neopythagoricis, Neoplatonicis, omnibusque cultoribus Philosophiae Anatolicae et Orientalis, quae esse non potest nisi *Cadmonaea*, et his in locis primum posita et culta, quod plane mirum non modo non probasse, sed vix sensisse leviter Brukerum et Moshemium, Walchium et Michaëlem viros in his Disquisitionibus principes.

II. De primis et vetustissimis *Cadmonaeis* et *Bathaneis* illustribus post Diluvium Nachore, Labano, Abrahamidis Keturaeis, Iobo, amicisque, Balaamo. Hinc de Inachidis, de Hermete Inachio, Taauto Phoenicio, de Mercurio Iovis Pici. etc. etc.

III. Zoroastrem Chaldaeum et Samanaeum, omniumque Samanaeorum Parentem foecundissimum, ipsum Buddam primum, ipsum Protopythagoram, sive *Budam-Gurum*, ex hac *Cadmonaea* et Bathanaea Regione prodiisse est omnino tenendum.

IV. Orphicos, Linicos, Musaicos, Eumolpidas, et omnes Poëtas Thraces praecipuos Linguae Hellenicae fundatores ex *Thracia Cadmonaea*, sive Terra *Cha-Drach* fuisse olim profectos tenendum est.

V. Fundamenta Latinae Linguae debentur Numae Pompilio discipulo *Semonis Sanci Dei Fidii*, qui Syro et Cadmonaeo ore est *Sciakia Buda Samanaeus*. Fundamenta Linguarum Celticarum, Germanicarum, et Slavarum debentur Discipulis Samanaeorum Zamolxidarum. Fundamenta Linguarum Persicarum Samanaeis Persis et Bactrianis: Fundamenta Linguarum Indicarum, et ultra Indicarum Samanaeis Bactrianis et Indicis, etc. etc.

Sectio VIII.

De Gordiaea sive Curdistana Regione Proto-Patria, et sede principe omnium Linguarum Iapeticarum.

1. *Qui characteres praecipui Linguarum Iapeticarum?* Vocaleitas. 2. Dentalitas. 3. Polysyllabismus. Radices nempe saepius prolixiores tribus consonis. 4. Pronomina omnia Idiolexica et Mocrolexica. 5. Verba generalia existentiae, agendi, faciendi plura et quasi declinata. 6. Frequens usus Articulorum, vel Vocularum, vel Nominum generalium, vel Pronominum demonstrativorum OS, AS, TO, PI. 7. Declinatio

Nominum et verborum saltem inchoata : Qui characteres ut quisque videt et sentit plane sunt alii a characteribus Linguarum Semiticarum.

II. *Quae pracipuae et primae ex Linguis Japeticis?* 1. Graeca. 2. Latina. 3. Persica. 4. Teutonica. 5. Slava. 6. Zendica. 7. Samscritica. 8. Balia. 9. Armena. 10. Georgiana. 11. Turcica. 12. Ungarica. 13. Celticae etc.

III. Circa Gordiaeos montes et Curdistanam regionem omnes filios Iapheti diutissime constitisse et durasse ex omni Geographia Hebraeorum certissime constat.

IV. Adsunt plura et invicta argumenta, quibus demonstretur omnes Scytharum et Japetidarum Tribus fuisse Caucaseas et Armenias: Germanos, Sarmatas, Hunnos, Turkas, Mogollos etc.

V. Ex Curdistana, Sophene, et Armenia Persica omnes vetustiores et clariores Tribus Iapetoglossas profectas esse certo tenendum. 1. Persae et Medi eiusdem Regionis ex parte Incolae. 2. Graeci sub Prometheo et Deucalione Scytha Caucaseo, Taurico, Gordiaeo. 3. Itali Sabini Sopheni, Hyperaei, Euphratei. 4. Germani Teutoni Cimmerii, *Aschenazaei*, sive *Euxinii.* 5. Moschi proximi, et ita porro. 6. Nam Tribus Indicae Iapetoglossae ex hac Regione proiectae in Indias a Regibus Assyriis et Chaldaeis etc.

VI. In Lingua praesenti Curdistana servatur adhuc Typus princeps et simplex Linguarum Japeticarum.

VII. Linguae Japeticae omnium primum aetate Abrahami Hebraei sub Tadale, sive Tantalo Rege Goim sive Gentium Japeticarum charactere suo Idioethnico non absolutae, sed incoeptae.

LIBER SEXTUS

Fundamenta Historiae Pragmaticae Linguarum veterum insigniorum Graecae, Latinae, Zendicae, Samscriticae, Sinicae, Copticae.

Sectio I.

Fundamenta Historiae Pragmaticae Linguae Graecae.

I. *Ab adventu Pelasgorum ad Solonem et Pisistratum obtinuisse in Graecia quatuor Linguarum genera tenendum est*: 1. Pelasgicas. 2. Proto-Aeolicas. 3. Cadmonaeas, Orphicas, Doricas. 4. Homericas, et Ionicas.

II. *Linguae Pelasgicae similares, Semitolexicae Physiophtharticae, Idiomaticae* e tota Graecia penitus pulsae a Linguis Lelegicis: sed servatae in Italia apud Etruscos, Oscos, Eugubinos, et Proto-Latinos.

III. Linguae Aeolicae Lelegicae, quibus Articuli, Pronomina Idiolexica et moerolexica; Verba auxiliaria, εἶναι, esse, ut iam innuimus.

IV. Linguae Cadmoneae et Orphicae super Alphabeto contracto XVI. vel XVIII. literarum factae per Glossotropismum Systematicum; unde tot eorum Poëmatum traditio et memoria: Quibus Linguis usos veteres Dores, Macedones, Epirotas, Thessalos, certo tenendum est; quia hi fuerunt ab Hellenibus recentioribus heteroglossi.

V. Lingua Homeridarum et Poëtarum Cyclicorum: qui eam ultimi perfecerunt, et quam unam modo novimus et discimus, a lingua *Orphicorum* et *Cadmoneorum* gravissime discrepantem. Nam si minus linguae discrepassent, impossibile omnia Poëmata *Orphica* et *Cadmonaea* potuisse penitus perire.

VI. Poetas Cyclicos atque Homeridas Graecam Linguam rudem asperam imperfectam inopem adhuc

susceptam ab Orphicis et Cadmonaeis auxisse, poliisse, perfecisse ingenti studio, summa sollertia tenendum est.

VII. Poetas Cyclicos et Homeridas filios et discipulos Orphicorum et Cadmonaeorum fuisse etiam ex Schola magna Samanaeorum Ascetarum, vel piorum Cantorum certo tenendum est: quia Anonymi, Pseudonymi, vagi, errones, mendici, Musici, Cantores, Poëtae, Rapsodi, Anhistorici, Hymnodi, Mythopoei, Mythologi.

VIII. Scholae Poetarum Cyclicorum et Homeridûm Graecorum arcanae et secretae. Clariores Chiensis, Smyrnensis, Cretensis, Cypria; clarissima Aegyptia Samanaica ab VIII. Saeculo Prochristiano, non Hierophantica, quae funditus incommunicabilis. Ex his Cyclici Graeci et Samanaei Homeridae profundam Glossosophiam et Polyglossiam didicerunt, unde potuerunt condere humanarum omnium Linguarum pulcherrimam, et praestantissimam.

Sectio II.

Fundamenta Historiae Pragmaticae Linguae Latinae.

I. Latina Lingua, quam a Plauto et Terentio, Virgilio et Cicerone discimus gravissime discrepavit a vetustiore Lingua Latina; etiam ea, qua utebantur quinto Urbis saeculo; adeout Fragmenta Linguae vetustioris per recentiorem explicari non possint: facto ingenti plane numero *Verborum obliviorum*, et *novorum*.

II. Falsum prorsus et calumniosum est Latinum Lexicon fere totum factum fuisse per Aeolicam depravationem Lexici Hellenici, quod habemus.

III. Fontes genuini Linguae Latinae recentioris sunt 1. Lingua Popularis facta ex Latina Prisca et Casca, ex Neo-Sabina, et Osca. 2. Lingua Hellenica inducta

per Coloniam Phocensium, quorum fratres Massiliam condiderunt. 3. Lingua Sacra Noachica et Semitica pura copiosa, quam Numa, et omnes Sapientes Romani sciebant, quia Linguae ipsae populares Italicae et Pelasgicae non erant adhuc fere totae, nisi ipsa *Lingua Noachica* Physiophthartica; et *Poeni*, *Arabes*, *Syri* semper frequentes fuerunt Romae, vel Romani facillime potuerunt eorum commercio uti; Ex huius autem Linguae *Radicibus* sollerter compositis et tractatis nova Vocabula et *nova Lingua* condebatur.

IV. Quoad fontes Glossomorphes falsum totam fere factam ex Glossomorphe Hellenica; etsi verum Glossopoeos Latinos Paradigmate Hellenico adiutos. Sed aeque verum pleraque esse patria et propria. Glossomorphe Graeca est magis analogica et regularis prae Latina, quia hanc Populus inquietus et turbidus adhibebat, illam Samanaei coniurati et conspirantes confecerant. Graeca tota fere Systematica est ac Sematica, Latina contra saepissime Idiolexica et adfixiva adhibet plusquam trecentas radices ad formanda illa Vocabula, quae falso dicuntur derivata, cum sint scitissime composita, ut *amandus*, *audax*, *patienter* etc. etc.

V. Numa Pompilius Neo-Sabinus Buddista Samanaeus, sive Discipulus Semonis Sanci Dei Fidii; sive Sakiae Budae Samanaei, ut iam indicavimus Praefat. ad *Hieroglyph. Hori-Apollin.* pag. XII. XIII. ex Sophene Gordiaea, vel proxima Cadmonaea, non ex Laconia, sive *La-Cedaemonia* Graecorum profectus primus Auctor Linguae latinae habendus est, ut habuit Varro de L. L. lib. VI. pag. 65. 66.

VI. Post magnum Numam auctores praecipui Latinae Linguae habendi sunt Decemviri, Iurisperiti, Tribuni Plebis, Oratores Comitiorum, Poëtae, etc.

Sectio III.

Fundamenta Historiae Pragmaticae Linguae Zendicae.

I. Lingua Zendica nobis nota per Libros Avesticos a nullo Populo domestice et politice adhibita fuit, ut in Libris est: Sed fuit tantum Lingua Theologica, Liturgica, Sacerdotalis, quam Populus nec penitus et per singula vocabula ignorabat, nec penitus et per singula verba sciebat.

II. Zoroaster Bactrianus Samanaeus, sive Collegium Samanaeum in Bactria et Kabulistana constitutum sub Gustaspide Caianida auctor Linguae et librorum habendus est.

III. *De aetate Librorum Avesticorum, et Zoroastri Avestici.*

1. Impossibile est in Annalibus patriis et propriis Parsorum Avesticorum, qui a Rerum exordio ad Arabes usque ordine descendunt esse lacunam 500 annorum; Et universam Parthorum Dynastiam penitus deesse.

2. Atqui Dynastia Sassanidum, quae Dynastiam Parthorum excepit, in Chronicis Parsis omnibus per paucissimas Geneas, non per 500 annos distat a Dynastia *Caianidum*: quin ipse *Sassan* est *Caianida.*

3. Dynastiam *Caianidum* esse Dynastiam Achaemenidum Persarum impossibile est: Non modo quia omnia facta, et singula gesta prorsus diversa sunt, sed etiam omnia loca et Regiones: quae depravatio fundamentalis, nec in fabulis quidem Romanensibus et in Mythis potest concedi.

4. Dynastia Caianidum habenda est ipsa Dynastia Parthorum Bactrianorum.

5. Compendia Chronica Magorum Parsorum methodo Cryptica et arcanâ, quam in Elementis nostris Historio-Sophicis explicamus, condita fuisse est certo tenendum.

6. *Feridun*, a quo tempora historica initium ducunt, habendus *Deioces*, vel potius *Phraortes* conditor Imperii Medi circa ann. 750 ante Aeram Christianam.

7. *Manu-Cheer* si post 200 annos a Feriduno ponitur, est ipse *Cyrus*, *Cheer*; si post 500, est *Cyrus* alter fundator Imperii Parthici, nempe *Arsaces* magnus circa 250 ann. ante Christum.

8. *Kai-Kobad*, *Mithridates* primus magnus. *Kai-Kaus*, *Mithridates* II. *Kai-Kosru* *Mithridates* III. sunt habendi.

9. *Lohorasp* est *Orodes* Crassi; *Rustan* temurice *Surenas*; *Gustasp* *Lohoraspi* est *Phraates* IV. amicus et notus Octaviano Augusto, sub quo *Zoroaster*.

10. *Afrasiab* habendus Typus Alexandri Macedonis, et Seleucidarum.

11. *Eskander Rumi* est magnus Traianus Parthicus.

Haec et alia plura in Opere nostro debita Analysi et comparatione demonstrantur.

IV. Colliguntur alia argumenta aetatis genuinae Zoroastri Avestici. 1. Systema Theologicum et Liturgicum, quod colligitur ex libris Avesticis est evidenter diversum et posterius Systemate Magorum, quod Graeci Latinique collegerant ab aetate Cyri, Darii, et Xersis ad Crassum et Pompeium.

2. Ex constanti Parsorum traditione in ipso Sadder recepta Zoroaster Avesticus apparuerat sub Lohoraspe et Gustaspe in ipsa temporum medietate, 3000 annis a Kaiomard, 3000 ante finem Mundi: Atqui ex omnium Veterum consensu, et ex ipsa Chronologia Parsorum certum est istam Temporum medietatem anno 40. circiter ante Christum natum habitam.

3. Ex Prophetia, quam Magi priorum Sassanidum ipsi Zoroastro Avestico tribuebant, colliguntur 300. circiter anni ab Alexandro Magno Macedone ad ipsum

Zoroastrum : Et alii anni 300 a Zoroastro ad Imperatores Sassanicos. Verum quidem est Arabes, per quos Prophetia ista nobis nota, ponere Zoroastrum ante Alexandrum, et adeo turbare funditus omnia : At Prophetia ea, quam protulimus, habenda est, quidquid de prioribus Zoroastris sit dicendum et tenendum.

4. Prophetiae *Histaspidis*, sive *Giam aspidis* coaevi Zoroastri Avestici de Messia et Imperio Romano non possunt collocari nisi circa initia Aerae Christianae.

V. *Qui fontes Linguae Zendicae?* 1. Lingua primum Noachica et Semitica Samanaeis Ascetis et Sacerdotibus notissima, per quam omnia Vocabula eaque plurima Theologica, Liturgica, Politica scite plerumque et accurate sunt condita : ut ex Specimine per nos edito in *Tentamine Hermen. Generali Hierograph.* an. 1831. pag. 159. 160. quisque potest colligere. 2. Linguae Populares Bactriana, Farsistana, Pelvica, quae ex parte Iapetica est et Gordiaea. 3. Tum Graeca a Seleucidis et Regibus Bactrianis inlata. 4. Latina inducta a 10000 captivis maxime ex clade Crassi. 5. Germanica, et Gothica patria Scytharum, qui Northicam Bactrianam haud multa aetate post Alexandrum Macedonem occuparant.

VI. *Quae caussae condendi Linguam huiusmodi?* 1. Propositum condendi lingua certa, stata, et satis clara, Librum Theologicum et Liturgicum, quo omnes uniformiter uterentur in Imperio Parthico etiam tum politice Atheo, et carente Libris publicis et solemnibus sacris.

2. Propositum Syncretismi Theologici inter varias Gentes etiam Heteroglossas Imperii Parthici.

3. Propositum constituendae Hierarchiae Sacerdotalis, certae, magnae, insignis, uniformis.

*

Sectio IV.

Fundamenta Historiae Pragmaticae Linguae Samscriticae.

I. *Estne vetustissima, an potius recens Civilitas in Indicis Regionibus?*

Recens: ut constat ex Chronologia physica Fluminum, Frigoris, et Metallorum adhuc aetate Seleucidarum. Nulla Sepulcra, nullae Cryptae funebres, nullae Necropoles. Nulli tum libri solemnes, nulla ingentia Templa, nulla prorsus argumenta insignis civilitatis. Gymnosophismus austerissimus, Samanaicus, et Metemphsychosiacus fundamentalis, qui non potest esse vetustior Pherecyde Syro, et originis Syrae.

II. *Quae origo praestantiorum Tribuum Indicarum?*

Syra potissimum Palaestina, et Curdistano-Persica: eaque certe ex vetustissimis et nobilissimis Gentibus et Populis facta ab immanibus illis Regibus Assyriis, et paulo post Chaldaeis, qui tertiam fere partem universae Asiae mediae, ad plures centurias Chiliadum a sedibus suis abstractas in Baetrianam, Pandiabum, et Gangeticas Regiones proiecerunt: Et invidia id aemulatione et odio haeretico factum a Samanaeis Politicis, qui in *Aula Assyria* et ad Aulam stabant, ut reliqui omnes Ascetae, Hylobii, Gymnosophistae, Naziraei, qui per Orontem, Iordanem, Euphratem, Tigrim vagabantur prae ceteris in Sagenis militaribus collecti in regiones longinquas amandarentur. Quod factum a 750. circiter anno Prochristiano ad 560.

III. *Quodnam Regimen praecipuorum Regnorum Indicorum aetate Regum Macedonum usque ad initia Saeculi secundi Christiani?*

Minime Braehmanicum Casticum; minime Buddisticum Acasticum, sed *Buddisticum Semicasticum*, factum nempe ex ordine Eclectico Sacerdotum Asce-

tarum ex omnibus Castis adsumto: reliquis Castis rigidissima sua incommunicabilitate immotis: illud que severum, austerum, Gymnosophisticum, Fetiscisticum, et adeo Abiblicum, agraphicum, illiteratum, legibus agraptis utens, omniaque memoria peragens, ut Strabo, et omnes veteres tradiderunt.

IV. *Quodnam Regimen invaluisse tenendum est in praecipuis Regnis Indicis a II. Saeculo Christiano ad septimum?*

Idem Semicasticum Samanaicum Buddisticum; sed factum Coenobiticum Collegiale Syncretisticum Proselyticum, sed factum Bibliophilum, Agalmatopoeum, Mythopoeum; nempe tenendum est per aliquem *Buddam*, puta tertium vel quartum, exemplo, opere, sermone Indos flexos et inductos ad condendam Bibliothecam Theologicam, Poeticam, Mythologicam, Hierographicam, quae antea vel nulla vel tenuissima.

V. *Quodnam Regimen a VII. Saeculo?*

Brachmanicum casticum hereditarium, quod adhuc durat. Nam quum VI. saeculo Christiano vel septimo ineunte surrexisset quintus vel sextus *Budda Godama*, qui et Castas penitus tolleret, et *Vedas* abrogaret, ingens et horrendum bellum conflatum, quo tota India commota, et ejecti omnes qui Acasticismo favebant: et advocati *Brachmanes* Castici, qui Costam supremam efficerent.

VI. *Qui ergo primi et veri fundatores et Auctores Linguae et literaturae Samscriticae.*

Uni Samanaei Buddistae, sed non adhuc heterodoxi et Acastici, ut Siamenses, Ceylanenses, etc.; sed homodoxi, Syncretistae, Mythologistae, Semicastici, quod ipsi fatentur Brachmanes alias superbissimi et mendacissimi in fictis Incarnationibus sui Brachmae: quod fatentur Buddistae Acastici et heterodoxi in historia suorum Patriarcharum, qui seliguntur modo in hac Casta modo in alia, quod in uno plane uno Regimine *Semicastico* fieri potest: quod colligitur ex

ipsis vetustissimis fragmentis *Vedorum*, quae *Oupnekata* appellantur.

VII. *Qui fontes Lexici Samscritici?*

Dialecti Populares, Japetoglossae Curdo-Persicae, Bractriana et Zendica, quasi propria Samanaeorum, Graeca, Latina etiam per Colonias in Indiam I. et II. saeculo Christiano inlata, Germano-Gothica per Indoscythas: Tum maxime Lingua Sacra Noachico-Semitica, et per Methodos Crypticas sive per Alphabeti inversionem saepissime transformata.

VIII. *Qui fontes Glossomorphes Samscriticae?*

Elementa vetustissima Curdo-Persica, Graeca, Latina, propria, Idioethnica, studio Samanaeorum inventa.

IX. *Quae caussae formationis huius Linguae?*

Propositum condendi Bibliothecam sacram Theologicam similarem uniformem homoglossam, syncretisticam, communem omnibus Samanaeis et Ascetis Indorum; Propositum condendi pro Populo Indico universo Libros Rituales et Liturgicos, Carmina, Poemata, Mythos, fabulas, quibus detinerentur et continerentur in Religione Patria, quam iam convellebant et perdere minabantur Graeci, Itali per commercia activissima, Zoroastrici, et Magi Parthorum, et Christiana Ecclesia Apostolica iam in Litore Indico constituta.

IX. *Cur Bibliotheca Indica tam sero condita.*

Quia Casta Sacerdotalis facta fuerat ex Ascetis miserrimis, nudis, inopibus, atrocissimis austeritatibus occupatis, Fetiscistis, fanaticis, nulla aemulatione, nulla Hierarchia excitatis, et quae Bibliothecae magnae et insignis condendae ne cogitationem quidem potest habere, nisi ingentes et plane maximae necessitates accedant. Hae autem necessitates in Regimine Indico Gymnosophistico non potuerunt sentiri, intelligi, et capi nisi sub finem primi saeculi Christiani, quo *Gymnosophistae* tum summam inferioritatem suam

et nullitatem prae Graecis, Latinis, Bactrianis, Persis sentire debuerunt : et adeo insigni conatu, coniuratione acerrima decernere, ut ea omnia sibi pararent, quibus his Gentibus vel aequiparari, vel antestare possent.

Sectio V.

Fundamenta Historiae Pragmaticae Linguae Sinicae literatae.

I. Sinensis Lingua 300 fere vel 400 voculis plerisque monosymphonis constans non modo non est Physiogenneta et Brutogenita, sed nisi a Collegio Samanaeorum acerrima coniuratione conspirante non potuit nec animo concipi, nec opere compleri.

II. Lingua Sinensis literata 300 fere vocularum est ipsum Alphabetum Gentis humanae 20 circiter literarum per diphthongos et nasales literas variatum.

III. Si Scriptura Sinica Lexeographica, ut demonstratum est in *Fundam. Hermeneuticis Script. Crypt.* ita condita est ut Vocabula adhibita in unâ saltem literâ congruant et conveniant, tum omnia *Syngrammata* possunt per illam communem literam appellari: Quod *Alphabetum Scripturae* intrinsecum et proprium variatum per Diphthongos et sonos nasales producit 400 circiter Voculas, quae ipsae sunt ac *Lingua Sinica* literata.

IV. Atqui Scriptura Sinensis facta est per vocabula Noachica et Semitica, ut in *Centur.* nostra *Sinogrammat.* edita 1830. demonstratum est. Ergo Lingua Sinensis est *facta*.

V. Scriptura et Lingua praesens Sinica literata ipsa est fundo et Scriptura ac Lingua constituta a magno Viro *Li-ssè* sub *Tsi-Scin-Hoang-ti* secundum vulgarem Chronologiam tertio Saeculo Prochristiano, secundum meam, sub Octaviano Augusto, facta scilicet ex 10,000 circiter characteribus, et 400 circiter voculis.

VI. Scriptura et Lingua inducta et constituta a *Li-ssé*, vel penitus, vel gravissime a vetustioribus et receptis discrepavit, quia eas penitus et funditus eiecit et perdidit.

VII. Omnes Libros Sinicos et primum Classicos post *Li-ssé*, et priores *Tsinos* et *Hanos* fuisse conditos et descriptos tenendum est 1. quia omnes scripturâ *Li-ssè* descripti. 2. quia ante *Li-ssè* nulla alia fuit Sinensium Scriptura nisi illa *Tsang-kie*, 540 characterum, quidquid falso alii de scriptura *Tcheûm* fingant: qua scripturâ characterum 540. impossibile scribi Libros *Kingios*, qui Scripturam 10,000 characterum ex postulant. 3. quia omnis Scriptura *τω Li-ssé* vetustior authentica ignota 4. Quia impossibile servari libros classicos et fundamentales scriptura et Lingua non originali. 5. quia Fabula *Fu-kiang* est fatue inventa. 6. Quia Fabula incendii *Librorum* est magis fatue ficta, quia incendia ista sunt impossibilia, et libri Politici civiles sacri religiosi a pluribus memoria servati statim, periculo amoto, restituuntur et instaurantur.

VII. Scripturam et Linguam Sinicam praesentem fundasse primum Arabes Hemyaritas vel Homeritas, qui sub *Sciamare al Ierache* Bactrianam, et sub *al-Akrane* Tibetum et Sinas, sive Regnum *Asemi* et *Siam* aetate *Gustaspi Caianidae*, et *Octaviani Augusti* cum aliquot Chiliadibus hominum occuparunt et habuerunt, tenendum est. 1. Primo, quia Imperium Sinicum fuisse primum constitutum et durasse diu ad Occidentem Provinciae *Iunnanae* circa Regna *Avae* et *Asem* prorsus certo habendum est ex analysi Imperii Chorographica, quae servatur in Classico Libro *Sciu-king*: quae Chorographia non Regionibus *Sciam-si*, *Sciem-si*, et *Honan*, sed *Asemi* et *Avae* et *Iunnanae* occidentali congruunt.

2. Secundo quia Dialectus Arabica maxime colligitur ex explicatione Scripturae Sinicae Lexeographicae.

3. Tertio quia Arabes Koreischitae et Moslemii constantissime tradiderunt miram quamdam et peculiarem Scripturam adhibuisse olim et habuisse Hemyaritas.

VIII. Primi autem architecti auctores primi Scripturae, Linguae, et Imperii Sinici habendi sunt *Samanaei Politici* et Aristarchici ex Assyria, Syria, et Aegypto cum pluribus Myriadibus hominum eiecti a Nabuchodonosoro magno a 620. ad 560. ante Christum in postremos Bactros, et Bukariam, et Badaghistanam, ubi primi et originales Sinae, primi et originales Seres Nortici sunt constituti. Hinc Samanaeos istos per fontes Gangis descendentes et inferioris Tibeti Regiones petentes, in his primam Imperialem Schekinam constituisse tenendum est.

IX. Criteria certa huius formationis et generationis sunt: 1. In Analysi Semitolexica ipsorum *Sinogrammatum*, cuius Specimen dedimus in *Centuria Sinogrammatum edita* 1830.

2. In Analysi lexici Hierographici sive Hieromythici, cuius Specimen dedimus in *Tentam. Hermeneut. Generali* edit. 1831. pag. 174. 186.

3. In *Lexico Vocularum* fractarum, cuius Specimen edetur in *Tentam. Herm. Osco;* et quod quisque potest iam nunc per se condere.

Sectio VI.

Fundamenta Historiae Pragmaticae Linguae Coptae.

1. Haec modo satis est petere ex *Fundam. nostris Hermeneut. Scriptur. Veter. Crypticar.* quae edita sunt ann. 1830 pag. 283 ad pag. 339. Nam quamvis ea possint adhuc amplissime dilatari, sunt tamen plusquam satis, ut Alphabetistae ab illa absurditate, qua obstinata pervicacia perdurant possint resipiscere, et tandem recte sapere.

FINIS.